





CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICÆ.

VOLUMEN SEXTUM.


CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICÆ.

PATHOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN PRIMUM.



MEDIOLANI

REIMPRIMEBAT JOHANNES SILVESTRI

MDCCCXVII.

INTROITUS.

---

§. 1. *De divisione et expositione morborum.*

Provisis omnibus, quae pertinent ad universa morborum genera, ad exponendum ortum et ad declaranda symptomata, singulorum tractatio incipienda est Hos autem in sua dividendos esse genera, ex antiquissimis inde temporibus, unus fuit omnium medicorum consensus.

Neglectis, quae e scholarum ratiociniis fluxerunt, partitionibus, atque, quam post Asclepiadem Bithynum plerique scholarum taedio occupati praedicarunt, divisione in acutos longosque morbos; id generatim monendum esse arbitror, plerosque nostrorum hominum, qui in usum vertere ratiocinia consuerunt, ad symptomata potius consilium transtulisse quam ad morbi essentiam, quae, cum vel lateat vel in contentione sit, divisionis normam constituere non posse credita est. Hinc et Cullenius et qui eum sequuntur ad Swediauerum usque, cum passiones maxime in pathologia speciali exponendas esse contendant (*Path. gen.* §. 8.) ad symptomatum concursum etiam ubique respexerunt: speciebus morborum vel e symptomatum diversitate, vel e sede varia, vel e potentiarum nocentium varietate deductis.

§. 2. *Continuatio.*

Quod etiamsi nec absonum nec inutile esse videtur, systematum tamen, quibus corpus constituitur, consideratio et rationi magis idonea est et utilior (*Phys.* §. 61, *Path. gen.* §. 28).

Quodsi igitur systema sanguiferum a musculari diversum, suis legibus adstrictum est, peculiari etiam modo a potentiis externis adficitur et morbos singulares constituit. Dividendos esse etiam existimo systematis sanguiferi aegritudines in eas, quae arterias ipsas et venas occupant, et eas, quae in systemate capillari sedent: illae *febrium*, hae *inflammationum* et *exanthematum* nomine veniunt. *Sanguinis* et humorum *fluxus* autem et cursus naturalis defectio his ipsis adnumerantur. Musculorum dein concentus adfectus *spasmos* constituit. Organa autem sensiferae vitae dum patiuntur, vel *dolores* inde vel sensuum vitia nascuntur. Denique si partes nutritioni seu reproductioni praefectae adficiuntur, *cachexiae* oriuntur.

Haec quidem haud ita sumenda sunt, quasi potentiae externae in nullum aliud organon agerent, neque morbus in alia ulla parte formam acquirat ac in indicatis. Etenim et febris cum spasmis, doloribus, sanguinis aliorumque humorum fluxibus, et dolores cum febribus, spasmis et exanthematibus et quaelibet fere aegritudo cum aliarum omnino partium adfectibus juncta esse potest. Symptomatum vero essentialium syndrome, seu passio ipsa (*Path. gen.* §. 8) formatur in singularibus illis partium systematibus.

Superfluum autem arbitror partitionis examen, quam post Troxlerum (*Path. gen.* §. 31) et Ackermannus et Clarus commendarunt, morborum nimirum vel processum vitalem vel plasticam formam occupantium, cum (l. c.) jam uberius de ea praeceperim.

§. 3. *Continuatio.*

Quodsi genera summa morborum sede constituuntur, species puto tum virium ratione, tum caussarum externarum aut internarum varietate, tum etiam haud raro symptomatum differentia graviore formari.

Virium ratio cautissime in quovis morbo aestimanda est, juxta systematis unius aut alterius vel debilitatem vel intentam efficientiam. Satis, enim probatum est (*Path. gen.* §. 52. 64. 66 seq.) neutram virium rationem universalem esse aut per omne omnino corpus aequabiliter dominari. Hinc in examine aegritudinis, dilucidata conditione pathologica (*Path. gen.* §. 7) seu sede morbi, inquirendum est, quodnam partium systema efficacia nimia aut abolita adficiatur. Namque et in iis morbis, ubi debilitas universalis vulgo statuitur, vel musculorum vel vasorum systema nimis incitatum, et in iis, qui e nimia efficacia vulgo derivantur, organorum plurium debilitas negari non potest. Neque puto amicos Clarum et Noldium, qui adynamiae informationem in morborum examine urgent, alienos esse a mea opinione. Ille enim discertis verbis (*Annal. des klin. inst.* 1, 57) adynamiae

duas species, alteram a remotis stimulis, alteram a nimia incitatione ortam, posse simul adesse perhibet, unde, inaequabilem saepius dispensationem virium accusandam esse (*Path. gen.* §. 57) quam veram debilitatem, fatendum est.

§. 4. *Continuatio.*

A caussarum externarum differentia saepissime proficiscendum esse, dum morborum species enumeramus, facilime probatur efficacia epidemicarum caussarum, contagii et venenorum: dein etiam vitiorum formae internorum, quae gravissimam saepe morborum differentiam constituunt. Lapsi tamen sunt, qui, Sauvagesio praeeunte, quamvis vel fortuitam caussarum varietatem velut peculiarem morbi speciem considerarent, exemplo cephalitidis aegyptiacae, quam Sauvagesius a cephalitide spontanea (*Nosol. meth.* I, 484 485) separavit. Multo melius egerunt Daniel et Swediauerus, qui congestas fortuitas varietates caussarum generibus quibusdam adnumerarunt, etiamsi ille ea genera justo pauciora veritatique haud satis consentanea stabiliverit, hic vero nonnunquam fallatur in enumerandis caussis.

Caussarum earum investigatio maximi est momenti, cum curandi modus ii nitatur. Symptomatum autem syndrome juxta ac examen praegressarum noxarum lucem foenerant, qua caussarum genera haec exponuntur.

§. 5. *Continuatio.*

Adminicula ejus investigationis largitur cadaverum sectio, quae tum morbi effectus in alienandis partium formis et destruendis organis tum vitia formae, e quibus aegritudines nascuntur, in conspectum edit. Eximium eum cognitionis pathologicae fontem optime et utiliter aperuerunt, qui, inventa in cadaveribus cum praegressis morborum phaenomenis cautissime conferentes, nexum symptomatum cum vitiis internis scienter probarunt, Morgagnii et Testae exemplo. Magnopere vero falluntur, qui quemlibet morbi effectum pro caussa habentes, diversos maxime morbos ex uno eodemque ortu repetunt.

§. 6. *Continuatio.*

Morborum examen igitur versatur tum in generibus, tum in speciebus exponendis, *diagnosticam* artem constituens, quae, quanti sit ac quantopere fructuosa, paucis vix dici potest: siquidem adfinium aegritudinum discrimen, e symptomatum et caussarum sedula et curiosissima investigatione erutum, curationis rationem saepe alienam probat. Hinc germanorum, Wichmanni maxime et Schmalzii, conamina nunquam satis laudanda sunt, quibus difficilium cognitu morborum cognitio dilucidatur.

§. 7. *Continuatio.*

Quae obtrectatores medicinae continuo objiciunt, incertissima praeceptorum indoles, e latentibus inprimis caussis fluunt (*Physiol.* Intr. p. 39). Is autem certitudinis defectus in dies minor fiet, si medici naturae morborum investigandae sedulo et cautissime operam dant. Plures enim morbi majoribus nostris dubii, nobis etiamnum manifestiores sunt. Hinc non desperamus de abstrusorum morborum cognitione, sed omnes latebras scrutando nihil intentatum relinquimus.

§. 8. *Continuatio.*

Morborum specialium historiam tractaturos oportet protinus nominalem exhibere aegritudinis definitionem, quam ὑπογραφὴν aut ὑποτύπωσιν veteres empirici nuncuparunt, quaque prolata quivis sciet, quid sit morbus quaque ratione discrepet ab aliis. Rationi enim congruum est et in omni scientiae doctrina receptum, primum dicere, quid res sit, dein vero quomodo cognoscatur, post e qua caussa oriatur. Hinc ὑποτύπωσιν merito sequitur morbi ea descriptio ac adumbratio, quae fortuitis rebus neglectis, constantia duntaxat et essentialia complectatur, atque ex omnibus observatis casibus verissimam imaginem proponat. In qua quidem adumbratione curiose est investigandus ordo phaenomenorum, ut prodroma symptomata ab initio, incrementum ab ἀκμῇ, haec vero a decremento rite distinguantur. Imago erit igitur muta-

bilis et pro ratione temporum, quae morbus percurrit, mutanda.

Huic adumbrationi adjugenda est diagnosis, seu symptomatum is delectus, quo ab adfinibus possit morbus distingui (*Path. gen.* §. 15. 16).

Eam historicam pathologiae partem excipit merito ratiocinium. Quod hactenus informandum est, ut caussarum externarum internarumque enumeratio praecedat, sequatur de natura morbi ratiocinatio, seu definitio realis. Eam, ἐπιλογισμόν et φαινόμενον λόγον a veteribus empiricis nominatam, rite ita instituimus, ut a manifestis rebus, phaenomenis et caussis, proficiscamur, transeamus autem, recta ratione et inductione (*Introit. ad phys.* §. 20) utentes, ad latentes res, seu adyta naturae. Sic probabilia conjectura sequentes discimus verecundiam verorum naturae scrutatorum, qui certitudinem nullam quaerunt, nisi quam in disciplina haec experimentali opperiri possimus (*ib.* p. 35. 36).

Addenda sunt praesagia, seu praecepta, quae sedula et cauta docuit observatio de decursu morbi et exitu.

LIBER I.

MORBI FEBRILES.

CAP. I.

DE FEBRE GENERATIM.

§. 1.

A pristinis inde temporibus febris nuncupata est aegritudo, in qua constanter motus sanguinis acceleratur et temperies corporis absque caussa externa transeunte mutatur (1). Motus duntaxat febriles oriuntur ab animi perturbationibus (*Path. gener.* §. 166), calore externo (§ 125), vini potu (§. 143), motu nimio corporis (§. 179) aliisque rebus incitantibus. Quae quidem orgasmi et temperiei mutatae phaenomena si morantur, febrem ipsam constituunt.

Quodsi unquam in febre pulsus tardatur et temperies nullo modo mutatur, febris nequaquam nominandus est is status, qui febrem potius sequitur, sicut nervorum resolutio spasmum, gangraena, inflammationem: febres autem malignae saepius

---

(1) *Πυρετὸς ἐστὶ πλεονασμὸς θερμασίας νοσώδους ἀναφερομένης μετὰ παραλλαγῆς σφυγμῶν ἐπὶ τὸ πυκνότερον καὶ σφοδρότερον.* Defin. med. in *Galen.* opp. 4, 395.

transeunt in eum torporem totius corporis, qui perperam febri ipsi adnumeratur.

Numerum quidem pulsuum febrilium aut gradum caloris febrilis mensura quadam circumscribere vetant varietates, quas sexus, aetas, clima, victus ratio inferunt (*Physiol.* §. 171).

§. 2. *Continuatio.*

Omnem febrem arbitramur esse adfectum universalem, seu eum, qui omnem omnino organismum a sanitatis lege deflectere jubeat, omnesque partes in consensum trahat (*Path. gen* §. 28. 29). Quodsi enim in parte quadam circumscripta motus sanguinis acceleratur, temperie mutata, congestio potius nuncupanda venit, quam febris (*Path. gen.* §. 77. — 79). Loquendi usus leges sanxit, quas nemo impune negligit.

§. 3. *Continuatio.*

Prodroma febris nec naturam speciei sequuntur, nec aegri conditionem nec potentiarum externarum indolem; sed fortuito vel adsunt vel deficiunt; siquidem febris nervosa modo sine ullo praevio symptomate infestat aegrum, modo diutius praenunciatur. Vulnera insignia et laesiones violentae post tertium nonnunquam diem febrem producunt, alioquin vero confestim.

Solent autem, si adsunt, prodroma versari in organico sensu alienato (*Phys.* §. 88, *Path. gen.* §. 275). Languoris sensus et morositas, capitis temulentia, stupores artuum et torpor totius cor-

poris, dolores tractorii per membra cum temperie varie mutata; horripilationes cum cute pallida oculorumque acie imminuta maxime vulgaria sunt symptomata. Accedunt secretionum vitia, urina turbida, lingua muco obducta, sudores languorem inducentes cum horroribus alternantes, vel suppressa omnino transpiratio. Appetitus naturalis deficit et gustatus vitia oriuntur.

Ea omnia interdum silent, dum aliquid salubriter excernitur, aut dum vires iterum naturae providentia refocillantur. Caussa enim quaevis, stimuli vices agens (*Phys.* §. 62), limitat vires, haud subito per totum corpus, neque constanter, sed leviter nonnunquam initio et obiter, ut inaequabilis dispensatio illico cessare possit, dum caussa removetur. Quodsi vero in actione praeternaturali pergit, morantur et recurrunt prodroma, donec aegritudinem ipsam efforment.

§. 4. *Continuatio*.

Initium febris utplurimum horrores, frigus aut ipsum rigorem complectitur (*Path. gen.* §. 233). Horror, remittentibus febribus peculiaris, e dorso et centro gangliosi systematis gastrico oriundus, fastidium infert et nauseam, cutis insuper aspritudinem, quam cum anserina comparamus; tremores; pulsus exiles, contractos et duros, frequentes tamen, secretionum denique suppressiones. Rigor, intermittentibus familiaris, stipatus incedit nervorum distensionibus, concussionibus membrorum, dentium stridore, cutis colore livido, plum-

beo, immobilitate membrorum, pulsibus maxime contractis, saepe intermittentibus, spirituum offensione et anhelitu, hallucinatione sensuum aut perfecta obfuscatione, animi fere perpetua desponsione, angoribus, cutis siccitate et urinae suppressione aut aquosi lotii parca excretione, alvo dura et lingua arida.

Interdum, praesertim dum horret aeger, incalescere solent aliae partes, aut eadem modo frigore occupari, modo aestu.

Mora frigoris varia est. In continentibus febribus semel initio ortum nunquam redit: recurrit continuo in intermittentibus, horrores etiam remittentium accessionibus ordiri consuescunt. Moratur vel paucula scripula horae primaria, vel horas integras, priusquam in temperiem aequabilem aut in aestum transiverit.

§. 5. *Continuatio.*

Aestus febribus peculiaris, initio localis esse, mox per totum corpus saevire solet. Principio cutis arida est, lingua sicca, urina suppressa aut flammea, oculi splendentes, rubentes genae; pulsus celerrimus, fortis, durus; spiritus frequentes, anhelantes; vigilia torquet aegrum; sensus omnes incitantur, organicus hallucinatur, unde nudato corpore illico horrores aut frigus sentiuntur, marmarygae ante oculos, susurrus aurium oritur; adsiduo jactatur aeger; sensus interni turbantur, ut etiam desipere soleat (*Path. gen.* §. 234. 235).

Dum vero madescit cutis, lingua humoribus

scatet, urina nubeculam levem accipit, aestus plerumque sese remittere, pulsus mollior fieri et liberior spiritus, aeger etiam placide solet obdormiscere.

§. 6. *Continuatio.*

Eo modo finita accessio vel recurrit, vel penitus cessat. Dum recurrit, intermedium tempus est vel febris penitus expers vel symptomatum duntaxat ferocia sese remittit. Ita typus febrium constituitur (*Path. gen.* §. 34), qui maximi est momenti, quamvis mutari in eadem specie soleat, ut febris, quae principio intermittens erat, post sese remittat aut continens etiam fiat.

Vulgatior ceteris esse typus tertianarius consuescit, ubi febris accessiones alternis diebus recrudescunt. Id in remittentibus ab omni inde antiquitate animadversum, a nullo, quod sciam, auctore expositum est. Legi obtemperat natura, quae nondum patefacta est.

Cum vero in accessionum duntaxat fine crises contingere possint, symptomatum activorum effectus (*Path. gen.* §. 18) necesse est critica phaenomena diebus alternis, id est, imparibus, tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, locum obtineant. Unde antiqui dierum potissimum imparium accessiones expectabant, adeo ut Hippocrates, si alio die febris desisset, recidivam timere sit solitus (*Aph.* 4, 61). Id Asclepiades, et qui sequebantur, ut vanum repudiarunt, neque in ullo die, quia par esset aut impar, vel majus esse vel mi-

nus periculum dixerunt. Saepius tamen in ipso morbi decursu accessionum ratio mutatur, ut typus vel anticipet vel postponat (*Path. gen.* §. 35). Ita fit gravior, qui remissior esse consueverat, atque vel quartusdecimus vel alius par dies criticus esse potest. Quodsi in cruditate ac prius contingit, quam coctio suborta fuerit, necesse est praecipitet aegrum, unde sextus dies et octavus praeprimis periculosi in remittentibus febribus esse consuescunt.

Dein vero praeter remittentes continentes febres solent periodum septenariam servare, ita ut lege statutum esse videatur, ejusmodi febres eodem vigore haud ultra septem dies morari: quem terminum si expleverint, possunt iterum novum durare septenarium, unde quartusdecimus dies περισσὸς, id est *praecellens* esse consuescit: in eo quoque magnam vim antiqui fatebantur. Quandoquidem continens typus cum remittente saepius junctus est: pares dies cum imparibus ita alternant, ut post septimum, nonum, undecimum, quartumdecimum ponat Hippocrates, post vero septimumdecimum, vigesimumprimum, vigesimumseptimum trigesimumqueprimum (*Aph.* 4, 36). Cum persuasum habeamus, observatione sola, nec ratiocinio niti eam dierum enumerationem, non possumus quin e debilitata critica naturae vi tardiores eos dies repetamus. Namque, quae initio celeriter sibi succedunt symptomata activa, ea tardius semet excipiant in progressu morbi necesse est.

Hinc declaranda etiam est dierum indicum (ἐπιδηλῶν *Hipp.*) ratio. Etenim pleraeque crises haud subito, sed ita contingunt, ut nuncientur symptomatibus coctionis, quae certis quibusdam diebus observantur, si certis diebus morbus judicandus est. Hinc in continentibus et peracutis morbis quartum diem indicem praedicat Hippocrates (*Aph.* 2, 24), quoniam coctio eo jam praesagiri solet, si crisis septimo sequutura est.

Id tamen exploratum habemus, compositione febrium, quae nostris temporibus frequentissima est, turbari dierum criticorum ordinem, eosque saepius penitus supprimi.

§. 7. *Continuatio.*

Symptomata activa tanta copia tamque insigni frequentia morbos febriles comitantur, ut non defuerint, qui, Helmontio, Stahlio, Boerhaavio et Stollio praeeuntibus, febrem universe constitui conaminibus naturae, quibus mors avertatur, servetur vita.

Alios autem morbos febre sanari, antiquissima jam docuit observatio. Aphoniam, convulsiones, apoplecticam dispositionem, hepatis dolores, lippitudines febri supervenienti cedere, Hippocrates pluribus locis innuit (*Aph.* 4. 57. 6. 51. 7, 52. *Coac.* 222. 477). Et quotidie fere observatur, morbos varios diuturnos, qui e motus tarditate et stasibus abdominalibus nascuntur, febre superveniente vel tolli vel levari.

Quinetiam ipse febris decursus docet, impe-

dimenta quae principio limitarent naturae efficaciam, ipsa incitata vi vitali et per accessiones agitata iterum removeri, eoque modo sese remittere morbum, dum salubriter aliquid excernitur aut abscedit in varia loca.

Neque tamen eo minus salubritas eo magis fortuita est, quam necessaria, siquidem incitatio virium tantum abest, ut semper ordinem servet ac cum fine a natura praescripto congruat, ut potius hos fines saepius transgrediatur, nimia fiat, nobiliumque partium adfectus perniciosos producat. Accedit, dum haud sufficit naturae vis, receptivitatem irrito incitari, nonnisi inaequabilem inde nasci distributionem ac vires potius infringi quam suscitari et erigi. Hinc nervorum distensiones, inflammationes periculosae, humorum depravationes per febrem nasci consuerunt. Itaque salubritas febrium celebrata, cum Hoffmanno, Werlhofio et Dumasio limitanda est.

§. 8. *Continuatio*.

Exitiosas esse febres frequentissimum est. In mortem autem praecipitant, dum vel rigore validissimo et accedentibus nervorum distensionibus in cor et pulmones sanguis nimio impetu corruit, ut sufflaminetur circuitus (*Phys.* §. 104). Vel accessiones reiteratae infirmas vires etiam magis pessumdant, ut nova imponderabilium penus generari nequeat: vel demum ipsa encephali et nervorum compages inflammatur aut hactenus adficitur, ut functionibus amplius vacare nequeat. Protinus igi-

tur occidere possunt febres, dum caussa proxime in organa nobilia agit et nervorum efficaciam subvertit.

§. 9. *Continuatio.*

Jam vero inquisituros in febrium ortum decet principio manifestas recensere caussas, qui febribus oriundis occasionem praebent.

Incitamenta omnia, quae primo limitantia vim, dein exsertam efficaciam proliciunt, febrem excitare valent, si in totum gangliorum systema aut in centra potius, quae cordi et arteriis provident, agunt. Etenim locales stimuli, vulnerum exemplo et lippitudinis, herniae incarceratae et ulcerum, tum demum febrem habent pedissequam, cum in consensum plura organa trahunt et nervorum systema adgrediuntur (*Path. gen.* §. 30). Animi perturbationes excitantes, insomnia, motus corporis arbitrarius nimis violentus, contagia, venena, hydrargyri vis, cibi potusque nimis incitantes, noxium aliquid in aëre, perspiratio suppressa, epidemicum aliquid *ἄῤῥητον*, vulnera, ulcera, exanthemata, inflammationes, dolores possunt febrem accendere, dum in centra gangliorum aut in plexus nervorum praecipuos agunt, quibus cor arteriaeque vires debent. Hinc e. g. abscessus tum demum febrem adfert, cum tantum humorum impetum producit, ut in consensum et cor et arteriae trahantur. Transitus Europaeorum in tropicum clima, febrem producit, sero saepe contingentem.

§. 10. *Continuatio.*

Vulgatissima autem est observatio, febri aequaliter pronos haud omnes esse, siquidem et infantes et feminae et meticulosi et ii, qui complexibus venereis luxuque debilitati sunt, maxime favent febribus. Contra senes et torpidi homines rigidique, melancholia adfecti et topicis adfectibus, raro febribus popularibus obnoxii sunt, unde et ulcera artificialia cavere a febrium contagio compertum est, quandoquidem circumscriptus partis cujusdam adfectus gangliis separatus prius in universalem morbum abire nequit, quam conductio per nervos aucta fuerit et accelerata (*Path. gen.* §. 29).

Necesse igitur est, diathesin febrilem statuamus esse receptivitatem nimiam, seu capacitatem, stimulis nimis obediendi, quae conductionem faciliorem complectitur et proclivitatem ad inaequabilem imponderabilium distributionem (*Path. gen.* §. 57. 58).

§. 11. *Continuatio.*

Ad quaestionem, quid febris sit, ita respondemus, ut morbum statuamus, qui versetur in nimio, post impeditam conductionem, impetu per gangliosos organicosve nervos systemati vasorum providentes.

Quae quidem definitio ut illustretur, monendum principio est, minus in organorum compage ac mixtione, quam in viribus ipsis seu forma febrem versari. Namque, quod saepius jam monui-

mus, si sanitas versatur in aequabili corporis concentu atque in recta ratione virium organorumque, aegritudo complectitur deflexum a consiliis naturae, quo vires mutantur vel citra materiei animalis mutationem, vel cum organismi ipsius vitiis (*Path. gen.* §. 7). Jam vero febrem generatim contemplantibus obvium est, nullam organorum ipsorum depravationem, nullum materiei animalis vitium subesse, sed esse dynamicam rationem turbatam. Namque et depravati humores organorum labes, per febrem succedentes, tantum abest, ut essentiam constituant, ut ubique sequelae sint habendae. Hinc in nervis habitare febrem, sententia est omnium eorum, qui curiose et libere febrem indagarunt, Thaerii inprimis et Schäfferi exemplo.

Neque tamen eodem modo, ac in aliis morbis, qui *nervosi* audiunt, nervi in febre adficiuntur. Compage enim integra sola conductio laborat; primum impedita ac retenta, dein magis elicitur ac vehementer incitatur. Accedit, quod maximi est momenti, encephali dominium minime turbari, sed gangliosos nervos solummodo adfici, praesertim eos, qui cordi vasisque provident. Namque, cum turbae circuitus febri sint peculiares, in quavis etiam febre cor et vasa pati manifestum est. Ineptum igitur nomen *febris vasorum*, quod recentioribus nonnullis placuit.

Cum plexus cardiacus sit primarius fons nerveae vis, qua cor vasaque gubernantur, hujus etiam adfectio conductionem turbans, febris essentiam

constituit. Sed differt morbus, pro adfectibus aliorum plexuum praegressis aut simul junctis. Quodsi enim solus cardiacus plexus turbatur, continuus fere impetus sequitur retentionem. Si vero simul adfectus est plexus splanchnicus, per circuitus participat alter plexus alterius turbas: hinc febres periodicae esse solent, e plexu splanchnico natae (*Path. gen.* §. 35. 57). Cum denique alii et intermedii plexus laborant, modo facilius, modo aegrius nervi conducunt, unde remittentium febrium ortus exponi potest. Cum vero plexus splanchnicus intermissiones potius producat quam remissiones, e separatione anatomica haud liquet, siquidem vagus nervus, in plexu eo terminatus, vasis majoribus cordi vicinis providet, unde communio quaedam inter utrumque plexum elucet. Sed splanchnicus plexus a natura ita conformatus esse videtur, ut difficilius cum aliis plexibus communicare suam incitationem possit, alii vero plexus ita ut id facilius contingat.

§. 12. *Continuatio.*

Verum esse hunc epilogismum, expositis phaenomenis febrium et caussis praegressis patefiet.

Constantissimum enim et necessarium symptoma, frigoris calorisque vicissitudines, nullam explicationem et magis idoneam et clariorem admittunt, quam conductionem electricam nervorum vel impeditam vel auctam (*Phys.* §. 305. 306. *Path. gen.* §. 232 — 234). Horrores etiam, ex ipsa plexus gastrici regione oriundi, sensus organici eam

diximus contentionem, quae valida quidem sit, neque tamen finis compos fiat (*Path. gen.* §. 233). Dein monuimus, incitatam nimis virium efficientiam excipere solere remissionem, quae chemicam secretorum humorum indolem mutat (*Phys.* §. 37. 247. *Path. gen.* §. 57). Hinc febrium vel cessatio perfecta vel remissio vel intermissio explananda.

Caussae praegressae nituntur praesertim incitamentis, quae in systematis sanguiferi vires nervosas agere easque turbare valent: accedente inprimis diathesi ea, quae inaequabilem per nervos distributionem complectitur.

Sed et ipsa febris curatio confirmat epilogismum.

Nullo medico consulente in febribus praeprimis ab ea, quae corpus regit, natura duci nos πρὸς τὸ δέον, Galeni jam est effatum (*Meth. med.* 10. 139). Imitatio igitur naturae nullibi magis idonea est. Vires enim nervorum organicorum febri intentae moliuntur continuo expulsionem aut mitigationem caussarum, quam adjuvare medicum oportet. Dein necesse est conductionem aequabiliorem reddere, dum aperiuntur viae, quibus efficacia naturae aliquid egerere possit. Denique in ipsum organicorum nervorum systema agendum est, ut dispositio tollatur.

§. 13. *Continuatio.*

Quamvis nimis longum esset, omnes definitiones febris, quas auctores unquam stabiliverint, ventilare, in praecipuas tamen exspatiari libet.

Erasistratus jam e turbido πνεύματι cor et arterias occupante febrem exponit, quod haud absonum videtur, si πνεῦμα veterum esse vis vitalis elementum statueris. Cum vero alii veteres πνεύματι calidum innatum substituerent, haud mirum est, is hujus praeternaturalem per cor et arterias impetum haberent essentiam febris (*Galen.* Diff. feb. 1, 329). Abrogata Galeni disciplina vitae principium rationale *Archeum* nominarunt cum Paracelso, quotquot mysticis ipsius philosophematibus adsentarentur: Stahlius vero, animae tribuens, quidquid mystici de Archeo nugati essent, autocraticos animae conatus motusque ad servandum corpus febrem constituere praecepit (*Theor. med.* 933). Quam recentiores sequuti, vel simpliciter naturae molimina nuncuparunt febrem, vel irritabilitatis aut sensiferae vitae incitationem eam, quae in corde arteriisque producta salubres effectus moliatur.

Frid. Hoffmanni sententia spasmo nervoso, quod per frigus repellatur sanguis ad interna, cor et arterias incitari, ut atonia, caussis febrium producta tollatur, febris constituitur (*Opp.* vol. 1, 167). Ii opinioni adstipulatur etiam Hallerus, dum eo spasmo irritabilitatem cordis arteriarumque augeri praeciperet (*Opp. min.* 1, 59). Adsentitur etiam Cullenius, spasmum eum a debilitate orientem et in molimina naturae medicatricia transeuntem putans (*Pract. of. physic*, 1, 35 sq.).

Consensus plerorumque commentorum, licet

differenter enunciatorum, nostram confirmare videtur opinionem.

§. 14. *Continuatio.*

Accedo ad divisionem febrium, quae ab antiquissimis inde temporibus juxta typum instituta fuit, intermittentes a remittentibus et has a continentibus distinguendo. Huic divisioni hactenus adhaesit posteritas, ut et sedem morbi juxta typum diversam statueret, in organis digestionis intermittentes, continentes in ipso corde arteriisque magnis, remittentes vero in aliis visceribus residere perhibentes. Recentiores vero, dichotomia virium praelata, duplex stabiliverunt febrium genus, cum aucta vitae vi et cum infirmata. Quod quam erroneum sit discrimen, ex iis patet, quae in pathologia generali de astheniae et stheniae differentiis monuimus (§. 69 sq.).

Itaque et nos, ut in usum converti possint, quae de febrium generibus statuimus, dividendas esse febres arbitramur secundum typum, ut intermittentes a remittentibus et has a continentibus distinguamus, haud neglecta tamen sede morbi et primarii organi adfectione.

CAP. II.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

I. Generatim.

§. 15.

Morbi intermittentis definitio (*Path. gen.* §. 35) febris etiam intermittentis notionem patefacit. Dum enim accessiones ita per circuitus redeunt, ut desinant symptomata necessaria, fortuitis persistentibus, febris intermittit, remittit autem sese, cum et necessaria persistunt. Interdum vero obscure persistunt symptomata essentialia, ut haud facile animadvertantur, unde remittentes febres in intermittentes abire nonnunquam, manifestum est.

Bene Sydenhamus jam quamvis accessionem febrilem habuit febrem continentem in compendium contractam, quippe cum rigorem excipiat aestus, hic autem abeat in solutionis aliquam speciem. Necesse est igitur, si accessionum tempus simul sumitur, easdem regulas exitus patefieri, quae in febre continenti observantur. Hinc, cum septenarius numerus valeat in continentibus, septem etiam circuitibus tertianam exquisitam judicari monuit Hippocrates (*Aph.* 4, 59).

§. 16. *Continuatio.*

Prodroma symptomata multo frequentiora sunt in sporadicis quam in popularibus, in autumnalibus quam vernalibus febribus.

Solet autem, quem febris intermittens habitura est, queri lassitudinem, torporem, membrorum sensum, quasi vapulassent, languorem insignem, et sudores post quemvis motum corporis, animi disponsionem, alacritatis saltem defectum, insomniam aut insomniorum angores; sensum acutissimum vicissitudinum temperiei et proclivitatem in frigus aut aestum. His accedit molestia in praecordiis, cum fastidio et plenitudinis sensu, gustatus varia vitia, ut modo acorem, modo mucum aut amaritudinem aut metallicum saporem querantur; siccitas linguae orisque, sitis, praesertim dum jejunus est; interdum muci adfluxus in ore; halitus etiam ingratus ex ore, quasi diu jejunus fuerit. Alvus solet dura esse et lotium turbidum saturumque, quod excretum urit. Tandem, quod maximi est momenti, dolent membra ac viscera, in quae aliquid post febres prius superatas abscessit.

In his gravissima sunt, quae novissime recensui, dein gustatus vitia, tensionis denique et frigoris sensus in spina dorsi.

§. 17. *Continuatio.*

His symptomatibus febris ipsa accessio stipata incurrit. Horrores spinae cum tensionis sensu, pandiculatione et oscitatione illico in frigus abeunt, ex ipsa spina dorsi oriundum et cum languore ac membrorum quasi quassatorum sensu. Gliscit interea frigus, ut in rigorem fere totius corporis abeat et membrorum concussionem, tremores artuum,

dentium stridorem, pallorem cutis, livorem unguium, digitorum et areae halonis oculos. Pulsus solet exilis esse et durus, irregularis, interdum intermittens: ad haec cordis palpitatio, pectoris angores et spirituum difficultas: fastidium, vomituritio et excretio humorum fere corruptorum. Urina est aquosa, tenuis, sine ulla hypostasi. Oculorum adspectus turbidus, languidus cum continua illacrimatione.

Mora frigoris est varia, pro typo febris, pro indole popularis morbi, pro aliis rebus, quae indolem morbi mutare valent; diutissimum esse in quartana, brevissimum in tertiana consuescit.

Abit sensim in temperiem aequabilem, quae mox transitura est in aestum, horroribus protinus interceptum, et a capite colloque corpus reliquum invadentem. Dum incalescit aeger, rubet etiam ambitus corporis, oculi ardent, ardet halitus oris, accenditur os et lingua, cordis motus et arteriarum mire accelerantur, ut duri sint pulsus, celerrimi et pleni: spiritus frequentissime ducuntur cum anhelitu. Incalescunt etiam internae partes, unde siti torquetur aeger: vehementer dolet caput, in quo ictus quasi malleorum sentiuntur. Hallucinantur sensus, scintillae ante oculos, nyctalopia; tinnitus aurium et acutissimus auditus aeque vexant aegrum ac insomnia et ipsa desipientia.

Maturius terminatur aut tardius, dum madere incipiunt axillae, collum, lingua et volae manuum, pulsus etiam mollescunt, urinae saturitas cum claritate et hypostasi nubila jungitur. Quae dum con-

tingunt. angores pectoris, cordis palpitatio et spirituum difficultas sese remittere solent, ad se gradatim redit aeger: dum sudor erumpit per totum corpus calidus ac peculiaris odoris, quasi panis recens cocti secalini. Quo diutius moratur sudor, eo facilius ducuntur spiritus, eo liberius fit caput, eo quietior aeger, donec in somnum rapitur recreantem.

Excipit accessionem sanitatis fere restitutae sensus, excepto languore et sensu acuto, excepto gustatus vitio, quasi metallum in ore fuerit. Solet etiam fastidire cibos, maxime carnes, vertigine facilius corripi et capitis temulentia, praecordiorum pondere, siti et in sudores proclivitates post quemvis motum. Nec pulsus ad naturalem redeunt indolem, sed duriores sunt et magis incitati, urina etiam rubicundior, spuma obducta et hypostasi praedita, quae lateriarum pulverem aemulatur.

Sic se habet aeger in intermissione.

II. De discrimine febrium intermittentium.

A. *Ad typum.*

§. 18.

Differunt febres intermittentes pro circuitus ratione. *Quotidiana* semel intra nychthemeron; *tertiana* tertio die redit, unum praestat integrum. Quodsi quarto die revertitur, biduo integro, *quartana* nominatur. Interdum etiam longiore circuitu

quaedam redeunt, sed id raro fiet, abeunte quartana protracta in insolitum eum typum. *Quintanam* febrem omnium pessimam habet Hippocrates (*Epid.* 1. sect 3. p. 963), tabe enim adfectos consumere: observavit etiam Stollius (*Rat. med.* 3, 75). Collegit copiosa de quintanis, septimanis et nonanis febribus testimonia Schenckius a Graffenberg (*Obs.* lib. VI, 746. 747). Sed, cum post Dioclem esset antiquorum dissensus, Galenus jam fassus est, licet ipsó viderit quintanam, e typo vulgari in longum porrecto et haud regulari febris decursu se haec explicare.

§. 19. Continuatio.

Quotidiana febris utplurimum corripit aegrum horis matutinis, frigore mediocri, diuturno, quod aestus excipit pariter mediocris et brevis, pulsibus multo minus celeribus quam in tertiana aut quartana, urina etiam minus satura et flammea. Gustatus vitium est, quasi stramina saperet, muco continuo obducta lingua, labia, dentes; judicatur febris sudoribus, alvo mucosa et vomitu simili. In longum protrahitur atque facile febres lentas, tabidas pedissequas habet Hinc Marcus non immerito perniciosas habet has febres (*Magazin für therapie*, 1, 108).

§. 20. Continuatio.

Tertiana febris medio die utplurimum invadens, breviores reliquis habet accessiones. Frigus validissimum, saepe rigor cum concussionibus spa-

sticis artuum: aestus ingens, aridus cum delirio, insomnia, angoribus et nervorum nonnunquam distensionibus. Accedunt saepenumero sapor amarus, ructus biliosi, vomituritio, vomitus biliosi et bilis per alvum secedens. His et pustulis fere scabiosis circa labia ortis (*Path. gen.* §. 267) febris vel levatur vel abigitur.

§. 21. *Continuatio.*

Quartana longissimas habet accessiones, vesperi plerumque ordientes et per noctem morantes. Rigor est valde vehemens, cum doloribus osteocopis, interdum cum tetano et stupore totius corporis. Modicus aestus et brevis, sudoribus levibus terminatus. Raro febris perfecte solvitur, accedere solent furunculi, scabies spuria seu intertrigo, viscerum tumores duri, cum ictero et hydrope, aut etiam atri humores per alvum secedunt.

§. 22. *Continuatio.*

Duplicatam dicimus febrem intermittentem, quae binas facit accessiones eodem temporis spatio, quo una alioquin contingit. Interdum solent ita differre, ut altera febris aliis stipata sit symptomatibus, alio etiam tempore accessiones formet ac altera. Anticipant nonnunquam aut postponunt, ut accessiones collabantur et remittentium speciem prae se ferant.

Quotidiana duplicata, a Foresto (*Obs.* lib. *V.* *n.* 8) Störkio (*Ann. med.* lib. *II.* *p.* 164) et Gut-

feldio (*Hufelands* Journ. 24. 54) observata, remittenti perquam similis est, quod intermissionis tempus brevissimum observari fere nequit. Tabem comitari consuescit et languorem insignem producere.

Tertiana duplicata, quotidianae speciem prae se fert, quot quotidie accessiones aegrum invadunt, sed alternae sibi respondent tum tempore tum symptomatibus.

Triplicis tertianae exemplum narrat Galenus (*De crisibus*, 2. p. 408. 409). „ Adolescens, qui circa autumni finem cum prima die circa quintam horam coepisset febricitare una cum rigore brevi, dein cum paullulum sudasset multo vespere, mox circa horam septimam noctis, priusquam omnino febris desineret, nova accessio orta est cum rigore brevi, post paullulum sudavit. Secunda die ac circa decimam horam similem expertus est accessionem, sequentibus sudoribus. Dein tertii diei hora secunda coepit febricitare simul cum rigore, antequam prioris diei declinatio in quietem desierat. “ Galeno visa est haec trium tertianarum complicatio. Nam et quae primo die coeperat hora quinta et sequenti nocte rursus hora septima, quaeque secundo die hora decima tum pulsus tum aestum habebat tertianis similium, sicut etiam rigores sudoresque. Nulla vero ex his ad quietem perveniebat, quoniam sequentis ipsum accessionis principium anticipabat: hactenus, ut, si nulla alia febris successisset, horis tribus aut quatuor homo sine febre fuisset.

Quartanam duplicatam et triplicatam observarunt Galenus (l. c. *et De praenot. ad Epig.* p. 452. 453) et Bartholinus (*Hist. anat.* l. 95). Quadruplicem tertianam memorat Tulpius (*Obs.* 4. 46). Post duplicem enim tertianam, quasi concitato impetu, videt irruere inusitate hanc febrem, intra bidui curriculum quatuor circuitibus in eumdem ordinem revolutam: bis die incipiendo, bis desinendo, et quidem singulis accessionibus, tam cum rigore in principio quam cum sudore circa finem.

§. 23. *Continuatio.*

De *hemitritaeo* seu *semitertiana* dissensus est. Antiquissima quidem Hippocratis sententia est, hemitritaeum esse subcontinuam, accessionibus dissimilibus, nocturna nimirum haud valde letali, longiori vero diurna (*Epidem.* 1, 3 p. 961). Eodem modo nuperrimus observator Mindererus, qui in australibus ruthenici imperii regionibus, Caucasica provincia et Tauride frequentem vidit, typum esse varium, sed constantissimum characterem habet alternis diebus fortiorem, alternis debiliorem accessionem (*Hufelands* Journ. 28). Celsus (3, 8) magna cura opus esse perhibet, ne typus febris fallat. Habere enim plerumque freqnentiores accessiones decessionesque, ut aliud morbi genus videri possit: porrigi inter horas vigintiquatuor et trigintasex, ut, quod idem sit, haud idem esse videatur. Archigenes compositam a quotidiana remittente et tertiana febrem habuit (*Galen.* Diff.

febr. 2, 336). Ipse vero Galenus ita describit a se observatam semitertianam, ut paribus diebus horrida adfuerit accessio, imparibus vero mane altera quaedam, ea quae praecesserat, longe minor, ut altera die febris accessio super accessionem advenire videretur. Circa octavam diei horam altera invadebat accessio cum rigore vehementi. Jam vero haec febris confracta sudoribus ac bilis vomitionibus hora tertia noctis, mox extendebatur ad diei paris horam secundam. Et cum propinqua esset *ἀπυρεξία*, rursus horrida atque inaequalis accessio succedebat, quam paribus diebus fieri dixerat. Dein per totum diem malignius compressa ac deinceps adaucta, vix occidente sole ad statum pervenit ac declinare coepit hora quarta noctis, post mane rursus super abundantes reliquias additum augmentum non valde inaequale usque ad octavam horam intendebatur (*Galen.* De cris. 2, 409). Quam, etiamsi uberius descriptam formam Jacksonius triplicis potius tertianae quam hemitritaei exemplum habet.

Archigenis autem exactam definitionem sequitur Avicenna (*Can.* lib. 4. fen. 1. tr. 2 c. 40); paullo diversa est Fr. Hoffmanni sententia (*Med. rat. system.* tom. 4. P. 1. c. 5) licet alternas quaeque accessiones similes habeat in febre subcontinua. Sed restituit iterum Archigenis definitionem, sua experientia firmatam Jacksonius (*über die fieber in Jamaica*, 14).

Rarior est febris in climate magis boreali, frequens in Italia, Graecia, oriente et tropicis te-

gionibus. Populariter nonnunquam grassatur, perniciem facilime afferens, quod, Spigelio teste, inflammationes viscerum putridae accedunt, quas licet Mindererus haud adeo frequenter observaverit, subesse tamen stases et spasmos venae portarum, expertus est: hinc etiam vulgaris est observatio, in tabem transire. Quodsi solvitur, fieri id consuescit vomitu bilioso; sudoribus et sedimento lotii copioso.

§. 24. *Continuatio.*

Proximae sunt hemitritaeo *subintrantes*, quae vocantur, si indolem continuarum aut remittentium inducunt. Fit id potissimum duplici modo:

a. Ipsae accessiones ita porriguntur, ut integrum fere nullum sit tempus Quod praeprimis popularibus nonnullis intermittentibus familiare est, solet etiam nonnunquam a curatione perversa pendere. Purgantia medicamenta in intermittentibus adhibita proclivitatem eam ad remittentem typum producere observata fuerunt (*Path. gen.* §. 148).

b. Vel oritur haec forma propter connubium cum febribus continuis, ob popularis morbi naturam inflammatoriam, putridam vel nervosam. Id citra malignitatem accidere potest.

B. *Ad virium rationem.*

a. FEBRES COMITATAE S. STIPATAE.

§. 25.

Cum inaequabilis potius dispensatio virium, quam vera debilitas febres intermittentes constituat, singularis est morbi species, in qua vere vis una aut altera torpet, symptomate quodam periculoso accedente. Motricis vis aut sensiferae languor praeprimis sentitur, pulsibus etiam exilibus et tardissimis. Interdum solet febris ipsa mitior esse, quam pro vehementia symptomatum comitantium exspectaveris. Maxime vero intermissiones aegrum nunquam recreant, superstitibus languore insigni, pulsibus exilibus, lingua oreque aridis aut asperis, sapore metallico, capitis temulentia, pronitate in lipothymias, urina cruda aquosaque, vomitibus meracis et crudis, aspectu faciei tristi et languido. Nonnunquam sopores per totam intermissionem morantur aut continuo angitur aeger, quasi mors instaret.

Cetero populariter grassari ejusmodi febres et tertianum consuescunt typum servare.

§. 26. *Continuatio.*

Frequentiores ceteris formae sunt:

α Febres syncopticae, quae ita contingunt, ut praeviis symptomatibus febris intermittentis constantibus, praesertim doloribus viscerum ante tumidorum aut sapore metallico, vertigine corripia-

tur aeger, amblyopia, susurru aurium et surditate, ut universum corpus animusque ipse insigniter langueant, palleat facies et frigeat, oculi acie orbentur et in orbitam relabantur, quovis autem motu, quovis conatu ad erigendum anima deficiatur et pulsibus, sudoribus circumfundatur frigidis et viscidis. Post breviorem aut longiorem moram ad se quidem redit aeger, sed defessus viribus, vix loqui prae infirmitate valet, pulsus semper sunt exiles et contracti. Tertio quovis die recurrit syncope, quod si quater aut quinquies contigerit, praecipitatur aeger.

β *Febres convulsivae* aut *spasticae*, ubi vis sensifera aboletur, intenta motrice. Epilepsiae aut tetano, hystericis insultibus aut hygrophobiae simillimi sunt adfectus, stipati eodem languore virium in intermissionibus, eamdem perniciem minitantes.

γ. *Febres soporosae* aut *apoplecticae*, a prisinis inde temporibus observatae (*Cael. Aurel.* Acut 2, 10). Praecedit capitis insignis dolor cum vertigine, obfuscatione sensuum et insania, horroribus et calore mediocribus. Tum momento citius attonitus procumbit aeger, ore semiaperto, oculis fractis, lingua aspera, livida. Stertit continuo et riget totum corpus: pulsus fere intermittere aut valde exiles et irregulares esse solent. Dum ad se redit aeger, memoria tamen deest, balbutit, nec satis sibi conscius est, aut adsiduam vertiginem, coecitatem, amblyopiam saltem queritur: aut resoluta sunt singula membra. Post aliquot recursus exitium instat.

δ. *Siriasis aegyptiaca* est compositus morbus. Ad febrem enim intermittentem soporosam accedunt meningitis perniciosa et hepatis adfectiones. Immanes capitis dolores cum oculis illacrimantibus et cruentis aut flavidis transeunt vel in furorem vel in soporem, cum pulsibus duris et turgore venarum jugularium. Mox erysipelas totius capitis sequitur cum cardialgia, vomitu bilioso et ictero, mutitate et convulsionibus. Accessiones format aegritudo more intermittentium, brevi tempore exitiosa. Post mortem gangraenosae inveniuntur meningum inflammationes et vasa encephali atro cruore turgida.

ε. *Febres amauroticae* eosdem habent praevios capitis dolores, frigus per totum corpus et pallorem, pulsus exiles et duros. Mox oculi vehementer dolent et illacrimantur, subito occoccantur, a se exit aeger et angitur, donec declinaverit accessio.

ζ. *Febres pleuriticae*, seu *Pleurodyne intermittens maligna*, quae pulsibus duris stipata pleuritidem veram mentitur, sed intermittens typus, maligna indoles et symptomata essentialia febris colorem adimunt. Nonnunquam et sola tussis convulsiva cum stridulo anhelitu totam accessionem format, ut continuus suffocationis metus cum summa virium prostratione et angoribus perpetuis enecare videatur.

Nec desunt exempla *dolorum abdominis* atrocissimorum, inflammationem simulantium, cum immani angore, frigore artuum, abdominis in-

flatione, seroti spastica retractione, pulsibus exilibus frequentissimis et debilitate summa, qui et obstipationem alvi et ipsos vomitus stercoris adferunt, per circuitus redituri et brevi exitium minitantes.

Nonnunquam *dysenteria* aderat, cum tenesmo cruciante, summa virium depressione, paucis dejectionibus cruentis aut mucosis, quibus pariter pernicies brevi tempore adducitur.

η. *Dolores arthritici* febrem intermittentem comitantur, atque a vero articulari morbi differunt tum summa debilitate, tum pulsibus exilibus, siti intensa, aestu gravissimo et sapore oris metallico.

ϑ. *Lipyriam* nuncuparunt veteres febrem perniciosam cum ardore viscerum et frigore artuum, quae pariter intermittens esse consuescit. Ubi solus algor extremorum, citra ardorem viscerum, torquet, ἠπιαλὸς dicebatur (*Galen*. Diff: febr. 2. 6).

ι. *Elodes* etiam febris veteribus dicta, quae sudores habet adeo copiosos, ut totum corpus colliquescat et exitum portendatur. Resolutio vasculorum extremorum, quibus secernitur latex cutaneus, subesse videtur: similis resolutio vasorum et ductuum, quibus humores intestinales secedunt, *fluxus* varios efficit, qui accedere ad febres intermittentes malignas consuescunt, ut et *hepaticum fluxum* Torti et *choleram exitiosam* Panarolus, Riverius et Rhodius observaverint. Typus tertianarius, maligna virium prostratio, sapor oris metallicus produnt intermittentem indolem.

b. Febres intermittentes subinflammatoriae.

§. 27.

Quanquam ad malignas febres accedere acutissimi dolores possint, alieni tamen a vera inflammatione sunt, quae frequenter semet jungit febribus intermittentibus vernalibus, dum populariter diathesis inflammatoria grassatur. Inaequabilis ea virium dispensatio adest, ut plexus splanchnicus solus debilitatus sit, cardiacus vero et nervi arterias adeuntes vehementer excutiant aut celerrime saltem conducant imponderabilia. Interdum inflammatio ipsa visceris cujusdam sequitur, nonnunquam, integris visceribus, totum corpus fere accenditur, pulsibus plenioribus, duris, turgidis venis, ruberrima facie, aestu intensissimo multoque diuturniori, quam in vulgaribus febribus. Quodsi venae secantur, sanguis crusta phlogistica obtectus est, levantur autem symptomata, maxime si per lotium hypostasis copiosa nubila secedit et sudores manant. Neglecta vero sanguinis missione gliscit inflammatio, viscera nobilia obsidentur, et tandem febris subintrans aut subcontinua evadit (§. 24).

Haec perperam *sthenica febris intermittens* nominata fuit, cum tamen nequaquam omnia organa nimis incitata sint.

III. De prognosi in febribus intermittentibus.

§. 28.

Supra (§. 15) jam monui, febrium intermittentium accessiones singulas posse febres continentes in compendium contractas aestimari: in quibus cum septenarius numerus valeat, septem etiam circuitibus febrem tertianam solvi manifestum est, quod antiquissima docuit observatio. Neque tamen in reliquis febribus computatio ea valet, cum mora accessionum saepe diuturnior sit aut brevior quam dies naturalis. Sed mira est imaginationis vis, quae terminat morbum eo ipso circuitu, qui praesagitus fuit. Vulgaria enim sunt exempla curationum, quas vel vetulae perpetrant solis carminibus. Jussu solo haec fiduciam aegri adeo augent, ut febres sileant eo ipso circuitu, quem ultimum fore praedixerat anus. Praeter hanc observationem, quanta sit nervorum vis in hoc morbo elucet etiam ex aliis sanationibus, quas fastidium, horror animique perturbationes perficiunt. Sic Cauletus de Vaumorel narrat, se pertinacem febrem, quae omnes medicorum conatus eluserat, rixa et ea exorta ira feliciter persanasse. Sic amuleta, bufone carpo adligati, pediculi butyro injecti febrem intermittentem ad sanitatem perducunt, dum vel fiduciam augent, vel terrorem aut horrorem injiciunt.

§. 29. *Continuatio.*

Generatim quidem typus febris simplicior solet salubrior esse, compositus vires magis infringit et crises perturbat. Hinc quartana duplicata aut triplicata, maxime vero hemitritaeus multo plus mali portendit, quam tertiana aut quartana simplex.

Typum ipsum simplicem varia formare praesagia compertum habemus. Tutissimam judicavit quartanam, licet maxime diuturnam, Hippocrates, nec recentiores dissentiunt, exemplo Marci Bambergensis. Neque tamen desunt exempla et complicati morbi et abeuntis in hydropes, icteros et tumores viscerum. Quae rarius sequuntur tertianam, frequentius vero quotidianam.

Bonum igitur est, dum quartana aut quotidiana in tertianam mutatur; malum portendit, dum haec in illas abit (*Grant.* On feveres, p. 40).

Typi mutationes mutationes morbi plerumque signant. Si anticipat typus, solet febris continuae indolem adsumere, maxime si pluribus horis praecocior est accessio (προληπτικῶς παροξύνοντας πυρετοὺς nominat Galenus). Alioquin vero brevius anticipationis spatium solet in tertianis crisin praecurrere. Retardata accessio multo frequentius, si natura sanatur febris, solutionem praesagit. Quo fixior typus, eo minus sponte sua convalescit aeger, eo frequentiores sunt recidivae. Galenus etiam (*De cris.* 1, 5) quando magis aequalia sint spatia accessionibus interjecta, ἀκμάζειν morborum perhibet.

§. 30. *Continuatio.*

Dein anni tempus considerandum est: id enim indolem febrium mire mutare consuescit. Vernales febres, ut plurimum tertianae, ni subcontinuae fuerint, sponte sua solvi solent, dum calor aestivus accedit. Autumnales vero, multo magis erraticae ac diuturnae, recedivas frequentissime adferunt, totam hyemem interdum durant, donec vernalis calor eas fuget.

§. 31. *Continuatio.*

Inest etiam ipsis symptomatibus aliqua vis ad melius aut deterius praesagium. Siquidem rigor validus, quem excipit aestus ingens, sudoribus abundantibus et acidum spirantibus terminatus, per accessiones singulas recurrens, bonam solutionem nunciat. Ubi vero aeger solummodo horret, calore mediocri sequente et sudoribus haud manifestis, augurari vel diuturnitatem vel proclivitatem ad acutum morbum licet.

Dum nervi obsidentur per accessiones, soporibus id aut nervorum resolutionibus distensionibusve significantibus, aut dum nobilia viscera doloribus et functionum perturbationibus adficiuntur, metus est, ne vel malignius fiat morbus vel in subcontinuam febrem transeat.

Urina solet lateritio sedimento post primas accessiones praedita esse. Saluti vero est stramineus ejus color et copia insignis, quae ubi validas accessiones terminat, spes est, sponte ad sanitatem perductum iri morbum.

Intertrigo dein aut scabiosae pustulae (*Path. gen.* §. 267. n. 4) cum septimo febris circuitu orientes, valdeque prurientes, salutem praenunciant. Quodsi vero vesiculis similes, praecocius justo erumpunt nullamque pruritum excitant, non possunt non malum exitum portendere; sequuntur enim vel metastases vel febres acutae.

Duplicatae febres duplici etiam modo solvuntur: altera febris sua crisi soluta nonnunquam silet, altera etiamnum persistente.

§. 32. *Continuatio.*

De recidivis monendum, eas fixum quemdam ordinem servare, neque fortuitas res aut victus vitia accusari debere, licet multo facilius graviusque recurrant, si convalescens stomachum onerat, aut frigus corpore excipit, aut purgantibus semet infirmat, aut sanguinem vena secta amittit.

Generatim vero exploratum habemus, septem diebus tertianiam, quartanam vero quatuordecim recurrere, ut horam ipsam servent, qua accessiones invadere solerent. Idem etiam tempus recidivae durare ac eodem modo solvi solent, ac febres praegressae. Jacksonius (*On fevers in Jamaica*, p. 300) vidit, recidivas febris intermittentis tropicae paribus potissimum diebus contingere, ita ut sextus, octavus, duodecimus, decimusquartus et vicesimus gravissimi essent.

Quo longior est recidiva, eo difficilior est curatio, eo magis etiam vergit in morbos diuturnos.

IV. De succedentibus morbis.

§. 33.

Febres intermittentes quomodo transeant in acutos morbos, supra (§. 23. 24) exposuimus. Diuturni vero morbi, qui excipere eas solent, summi quoque momenti sunt.

a. *Tumores viscerum* frequentissimi, e stasibus sanguinis (*Path. gen.* §. 81. 82), varicibus venae portarum (§. 205) et debilitate viscerum exponendi, in ipsis jam febribus intermittentibus diuturnis, praesertim autumnalibus, oriuntur, acuti cum increscentibus accessionibus, minuti per spatia intermissionum, interdum dolent, praesertim dum febris instat. Occupant autem tumores ii hepar, vel splenem vel pancreas etiam aut mesenterium. Suppressas aut praecocius curatas febres minus sequuntur quam longas et quae remediis evacuantibus tractatae fuerunt Tantum abest, ut a corticis peruviani adstringente vi derivandi sint, ut potius eo remedio optime cedant, quia cadaverum inspectio docet, vasa abdominalia laxata esse, viscera debilitata aut, dum in exitium vergit, arrosa atque destructa. Diutissime interdum persistunt, sponte non cessant, nisi victus ratio penitus mutata fuerit. Nascuntur inde alii morbi secundarii, hydropes, icteri, exanthemata diuturna.

b. *Icterus* exsistit vel ex his tumoribus, vel citra eosdem e secessu sanguinis in partes propiores (*Path. gen.* §. 90) et abundantia pigmenti,

quod in bile est (*ib.* §. 231). Interdum solet cum ipsa febre nasci (*Grant.* On fevers, p. 61), vel dum sequitur, nunciatur pruritu cutis, oculorum quod album est, in flavedinem vergente, urina turbida et opaca, flatibus continuis et alvo dura, stercorum etiam colore pallidiori. Solvitur mutato victu, dum sudores copiosos fundit aeger et exanthemate miliari cutis obsidetur. Hinc Alex. Camerarius jam 1730 egregie corticis peruviani laudes in hoc ictero curando et experientia et doctrina sua extulit (*Haller.* Diss. pract. 7, 205 sq.).

c *Hydropes* et *oedemata*, frequentissime cum tumoribus viscerum junguntur, excipiunt febres autumnales diuturnas aut eas, quae purgantibus male tractatae fuerunt. Haud alii curationi adeo tuto cèdunt, quam roborantibus et cortici ipsi.

d. *Intertrigines* aut *scabies* spuria pervicax, a vera differens, quod haec ex artuum juncturis orta contagium supponit, illa vero exanthemata febris succedanea, totum corpus occupant, ulcera rodentia saepe producunt et dolores atroces noctu inprimis saevientes. Interdum etiam horrores et leviusculae febris accessiones adduntur, cum molesto abdominis sensu, alvo dura et flatibus copiosis. Remedia resolventia aut evacuantia infirmant aegrum et pervicaciorem reddunt morbum, soli corticis usui cedentem.

e. *Tabes* viscerum, diuturna inflammatione et ulceratione exesorum. Praecesserunt tumores viscerum, quibus seccedunt horripilationes cum calore fugaci volarum, dolores lancinantes viscerum,

maxime noctu, sudores abundantes, quibus corpus colliquescere videtur. Interea lotium membrana versicolori obducitur cita alvus accedit et macies corporis, artus tument et tabe consumitur aeger, ni maturior id exitium praeverterit curatio roborans et tonica.

f. *Difficultas intestinorum* cum febribus intermittentibus alternans in castris et nosocomiis militum frequens, huc pertinet. Existunt etiam dysenteriae e febribus intermittentibus, cum tumore viscerum, solo corticis usu debellandae (*Morton* Opp. *tom.* 2. Append *p.* 238 239).

g. *Arthritis*, ex ipsis stasibus viscerum nata, periodos nonnunquam febris intermittentis servat, vulgaria respuit remedia, nec tophos efficit, soli curationi cedens, quae adversus febres intermittentes valet (*Chalmers.* On South-Carolina, P. II. p. 171).

h. *Morbus caducus* sequitur febres intermittentes diuturnas, maleque purgantibus tractatas in infantibus mulieribusque teneris, qui dum tumores viscerum habet adjunctos, difficilimus est curatu, cum cortex peruvianus, expeditissimum in illis remedium, prohibeatur teneritudine et proclivitate ad spasmos Graingerius tamen (*Hist. febris anomalae batav.*, p 112) praestantissimum invenit.

i. *Vesania* et *melancholia* ex eodem fonte manant ac reliqui morbi secundarii, iidem etiam curationi cedunt.

V. De caussis febris intermittentis.

§. 34.

Nihil vulgatius est aut pluribus confirmatum observationibus, quam in paludosis regionibus frequentissimas esse febres intermittentes effluvia igitur paludum, sive electricitate negativa, sive aëre hydrogeneo noceant, hunc morbum populariter excitare (*Path. gen.* §. 129) Quodsi in Belgio et Batavia, in Holsatia, Megapolitana provincia et Pomerania, tum in tropicis regionibus humilibus, frequentissimae sunt et quotannis grassantur, rarissimae esse solent in montosis regionibus, Hercynia, Sudetis, Carniolia, in regionibus Africae australis et in Peruvia. Quid quod incolae paludum aut accolae lacuum, pertinacissimis febribus vexati, saepe protinus sanantur, ut in editas et montosas regiones migraverint.

Cum vere et autumno humidus aër vigeat, terra sit uda, paludes abundent, clarum est, cur iis anni temporibus populares sint febres intermittentes.

§. 35. *Continuatio.*

Quaesitum est, febres intermittentes contagio propagentur, sive secus? Ad quam quaestionem nos ita respondemus, ut nec sporadicas nec vulgares et mitiores febres unquam contagio transire in alios statuamus. Humores enim haud corrumpunt,

ut elementa contagii elici possint. Sed cum malignae et perniciosae febres populariter grassantur, in humores, maxime cutaneos, ita agere possunt, ut in his contagium eliciatur, unde et Amelungius (*Hufelands* Journ. 18, 97) et Cleghornius et alii contagiosam febrium intermittentium naturam pronunciarunt.

§. 36. *Continuatio.*

Quodsi aliae caussae fortuitae, e. g. animi perturbationes, voracitas, male digestorum copia, vermes, frigus corpore exceptum aut exanthemata regressa, accusantur, haec puto tum demum febrem intermittentem producere, cum popularis est morbus.

Neque tamen praetereunda est Finkii observatio (*De morb. bilios. anom.* p. 93), varias febres, ante continuas, interdum intermittentem typum induere, dum ex aliis organis in digestionis officinam aut in plexus nervorum, ii praestitutos migraverit caussa.

§. 37. *Continuatio.*

Dispositio haud negligenda est, quam in stasibus abdominalibus debilitate viscerum et haud regulari virium per nervos splanchnicos distributione collocandam esse existimo. Etenim, qui arthritide laborarunt, aut aliis morbis ex illo fonte manantibus, qui superstites sunt e febribus intermittentibus, qui ciborum dyspeptorum copiam vorarunt, aut vires nondum recuperarunt, obnoxii esse praeprimis huic morbo solent.

§. 38. *Continuatio.*

Temere nos de vera hujus morbi natura judicaturos esse haud vereor, si statuamus, imponderabilium conductionem et consumtionem impeditam in systemate splanchnico caussam esse primariam. Atonia autem viscerum et humorum corruptorum abundantia vel jam praecessit, vel subito effluvii paludosi, seu aëris hydrogenei efficacia supprimuntur vires, ut tantum consumi, quantum per nervos advehitur, nequeat. Itaque accumulatur id, quod nervis conducitur, unde frigus (*Path. gen.* §. 233). dein ad plexum cardiacum impetu concitato aestus sequitur cum cordis palpitatione et pulsibus crebrioribus (*Path. gen.* §. 234). Sudoribus denique aliisque excretis humoribus restituitur status quidam et fixus ordo, quo nervorum potentia agit et imponderabilia conducuntur.

Cur autem intermissionum spatia hoc febrium genus praecipue formet, haud latebit, si ad naturalem organorum digestioni inservientium functionem consilium transtulerimus. Etenim, si jugiter munus suum exsequitur systema cardiacum et arteriosum, ventriculus et digestionis officina tamdiu duntaxat functiones suas exercent, quam penus digerenda et assimilanda suffecerit. Hinc a natura ad intermissiones adsuefacta sunt ea organa.

Quod vero recurrant accessiones certo quodam ac fixo tempore, id cum Ackermanno (*De cognosc. et curand. febr.* p. 312) e congruente telluris motu cum incitatione vitae automaticae et

vegetativae exponendum esse duco. Meridianis igitur horis tertianae febris insultus contingere palam est; in quotidianis vero, ubi accumulatio imponderabilium citius contingit, ante praestitutam eam congruentiam motus telluris cum incitatione organorum impetus exsistet in alios plexus. In quartanis denique haud tanta colligitur et accumulatur copia, ut irruere stato tempore in plexus cardiacos possit: hinc longiora sunt intermissionum spatia.

§. 39. *Continuatio.*

Quodsi vero quispiam regesserit, esse et alias febres, et remittentes quidem, quae systema gastricum et splanchnicum occupant, differre has ab intermittentibus eo arbitror, quod minus ab infirmitate et atonia eorum organorum nascantur, quam ex irritante caussa, quae inaequabilem quidem virium distributionem adfert, sed vel continuo, vel modo intensius modo remissius in systema sanguiferum translatam.

Id saltem compertum habemus, nequaquam humores intestinales corruptos, sed nervorum adfectionem, plerumque miasmate paludoso generatam, in febribus intermittentibus accusandam esse. Manifesto id elucet tum e noxa purgantium aliorumque remediorum, quae evacuant, tum ex usu roborantium eorumque praesidiorum, quae nervorum temperiem mutare ac ordinem functionum restituere valent (§. 28). Fatemur quidem, observari interdum compositas febres intermittentes, ubi

ex ira aut victus vitio saburra biliosa vel mucosa simul adest: pleraque vero ejusmodi exempla pertinent potius ad sequelas morbi, qui, dum praesertim in longum trahitur, generandis sordibus omnino occasionem praebet.

Quod veteres dogmatici, Platone praeeunte, statuerunt discrimen febrium intermittentium: tertianas nimirum bili, muco quotidianas, quartanas atrae bili originem debere, id probabilitatis aliquid acquirit, ex humorum peculiari mutatione, quam in typo eo differenti indigitavimus (§. 19 — 21). Verum quidem est, seri mucique plus generari in quotidiana, in tertiana majorem bilis copiam, quartanae familiares esse atras dejectiones. Sed explicandum id esse censeo cum Ackermanno, dum viscera statuam in epigastrio sita, hepar et ventriculum, maxime pati in tertiana; quotidianam vero ex infirmitate intestini tenuis et adfectione plexus mesaraici nasci, hinc serosos humores abundare: denique quartanam portarum venam occupare, unde extractum bilis hemioxydatum, atro colore praeditum (*Phys.* §. 140., *Path. gen.* §. 112) nimia copia excernitur. Inducias facit longiores haec febris, quod remotiora sunt loca adfecta a plexu cardiaco, neque tam cito in minus vitalibus iis organis accumulari potest electrica substantia, ut impetus continuos cieat.

CAP. III.

DE FEBRIBUS REMITTENTIBUS ET CONTINENTIBUS GENERATIM.

§. 40.

Continentium febrium a remittentibus id discrimen est. quod illae nullum producant tempus, quo sese remittant ac levamen aeger notabile sentiat, hae vero omnino certo quodam tempore leviora producant symptomata. Utraque vero ea typi forma haudquaquam pariter a se distat ac intermittens febris et remittens, cum eadem aegritudo modo magis modo minus continua esse soleat. Nec virium ratio congrua est cum ea typi differentia, quippe cum, in continente licet febre jugiter incitatae sint vires circuitus, alia tamen organa valde infirma esse possint, in remittente vero maxime variet virium ratio.

Nihilominus persuasissimum habeo, et in febre remittente systema cardiacum et arteriosum semper magis incitari, quamdiu febris ipsa adest. Quodsi vero ex automatico aut organico nervorum imperio in encephalum morbus transit, quod in typho non raro accidit; nequaquam febris persistit, sed morbus febris succedens, qui nervorum resolutionibus et adynamia encephali aut ingenti incitatione insignitur itaque paralysis, quam nonnulli velut speciem febrium considerant, eodem jure sequelis febris adnumeranda est, ac gangraena inflammationis successionibus. Usu enim loquendi

recepimus, febrem semper occupare cor et vasa, quorum praeternaturalem incitationem adesse necesse est, quamdiu febris moratur.

§. 41. *Continuatio.*

Discrimen febrium remittentium et intermittentium versatur in conductione faciliore vel difficiliore, quae plexibus vel magis vel minus separatis perficitur. Si proxime caussa plexum cardiacum occupat, necesse est jugiter ac sine ulla fere remissione excutiantur imponderabilia e nervis vasa perreptantibus: dum vero alii plexus caussa obsidentur, accumulatio oportet praecedat, priusquam in plexum cardiacum possit irruere quidquid impetum facit. Interdum, ut supra (§. 39) monui, ipsum systema gastricum et splanchnicum patitur, sed citra debilitatem praegressam, miasmate paludoso productam; tum validis et morbosis stimulis hactenus incitatur, ut facilius vel sine ulla vel cum notabili remissione propagetur *τὸ ἐνορμῶν* ad cordis vasorumque plexus, unde impetus vel continuus vel remittens nascitur. Simile aliquid contingit, dum vasa capillaria, lymphatica, ductus excretorii, musculi aut organa varia caussa febrili vexantur: propter universi systematis nervorum connubium accumulatum *τὸ ἐνορμῶν* potest vel majori impetu vel minori, vel sine vel cum aliqua remissione, propagari ad plexum cardiacum et qui vasis arteriosis provident, unde febrium variarum accessiones exponuntur.

§. 42. *Continuatio.*

Id habent singulares omnes febres remittentes ut horroribus potius ordiantur, quam rigore: hic tamen principio continentium accedere potest. Quod si contingit, nunquam recurrere solet, ni perturbatio critica aut metastasis metuendae sint, quae praesagiri eodem rigore solent (1). Perniciosi omnino rigores, qui ad febrem remittentem aut continuam, viribus jam prostratis, accedunt et nervorum distensiones aut resolutiones inferunt.

Pleraeque hujusmodi febres, si principio horrorem aut rigorem etiam habuerunt, per totum decursum aestu solo aegrum torquent, interdum tamen accessiones singulae solent leviusculis horroribus incipere. Qui si semper eodem tenore recurrunt, diuturnitatem morbi aut difficilimam judicationem portendunt, maxime dum jam infractae sunt vires (2). Commune id praeprimis in febre tabida (*Path. gen.* §. 233).

---

(1) *Τριτοφυέα ῥίγεα, ἢν ἐν μέσῳ παροξυνόμενα, πυρετῷ ἀτάκτῳ. πάνυ κακοήθεα.* Coac. 26 *Ἢν ῥίγος ἐπιπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.* Aph. 4, 46

(2) *Αἱ ἐκ νώτου φρίκαὶ πυκναὶ καὶ ὀξέως μεταπίπτουσαι, δύςφορα.* Coac 8. *Οἱ φρικώδεες ἐφιδροῦντες πολλῷ, δύςκολοι.* Coac. 13.

§. 43. *Continuatio.*

Tertianus typus plerisque febribus remittentibus familiaris est. Alternis igitur diebus ingravescere morbos solet, maxime vero versus vesperam, quod ex incitatis per stimulos diurnos viribus elucet. Inde etiam critici motus solent alternis aut imparibus diebus accidere. Ubi vero minus sese remittit morbus, magisque continens est, eadem vehementia potest in septem dies porrigi, quo spatio ad finem vergente natura aliquid egerit aut alio modo solutio contingit.

Haud rara est foci febrium earum mutatio, ut quae ante capillaria vasa obsiderent, jam in systema splanchnicum agant, quae musculorum compagem occuparent jam in plexus ipsos nervorum saeviant. Tali modo quoque typus vicissitudines admittit, ut febris remittens in continentem abeat, seu haec in illam, aut omnis omnino febris sileat, dum encephalus ipse obsidetur.

Erraticae febres (*πλανῆται, πεπλανημένοι, ἄτακτοι*) nullum certum ostendunt typum, sed adeo variabilem, ut modo hac, modo illa hora accessio incipiat, ut insidiose atque *ἀπροσδοκήτως*, ut Galenus dicit, aegrum infestet. Eae febres solent esse compositae aut complicatae: interdum etiam simplices adeo vagae sunt, ut nullum peculiare systema constanter invadant, sed plexibus nervorum variis infestae sint. Typhus maxime huc pertinet.

CAP. IV.

DE SYNOCHA.

§. 44.

Febris haec, quam febrem inflammatoriam aut *ardentem* auctores plerique, *sthenopyram* Swediauerus nominat, veteribus vel καῦσος vel συνεχὴς φλεγματώδης (continens inflammatoria) dicta, ὁμότονος et est ἀκμαστικὸς; i. e. uno vigore ingravescit ab initio usque ad solutionem; hinc etiam peracutus morbus (κατοξὺ πάθος Galen.), qui septenario dierum numero judicatur. Qui *sthenicam* febrem dixerunt, e continua vasorum cordisque agitatione perperam effecerunt, vis vitalis universae adesse augmentum, quod ex praegressis etiam caussis, plerumque incitantibus, consequi ipsis videbatur. At vero, si vel ad syndroma symptomatum respexeris, tantum abest, ut virium omnium concentum auctum esse probabile sit, ut potius manifestum sit desidium virium varia organa gubernantium. Digestio enim et secretiones humorum ubique fere labefactatae cum summa vasorum incitatione junguntur. Idem etiam valere de caussarum praegressarum actione supra jam (*Path. gen.* §. 66. 67) monuimus.

§. 45. *Continuatio.*

Synocha plerumque sine prodromis, subito aegrum infestat, caussis fortuitis violenter systema cardiacum incitantibus. Rigore incipit brevi, vio-

lento, quem sequitur aestus vehemens, siccus, totum corpus aequaliter infestans, cum pulsibus fortibus, plenis, celeribus, frequentissimis, initio duris, dein paullo mollioribus, principio etiam irregularibus, cum cordis palpitatione anhelitu creberrimo et angoribus pectoris Totum corpus rubescit, maxime oculi, quorum acies intenditur, ut lucem etiam fugiant: susurrus continuus aurium et acutissimus sensus: insomniae aegrum torquent, nonnunquam etiam vesaniae, quae vesperi et noctu vulgares sunt. Accedit musculorum palpitatio spastica aut tremores Sitis intensissima cum linguae et oris siccitate aegrum vexat. Adjuncta est cupiditas frigoris, maxime frigidae aquae. Urina s...et esse ruberrima, clara, citra ullam hypostasin, parvaque copia secedit. Alvus est dura: appetitus ciborum nullus: quae vel invitus vorat, nullo modo digeruntur, sed cruditatem efficiunt. Sanguis e vena missus ruberrimus est et crustam phlogisticam duram renitentemque format. Sanguinis fluxus e naribus, aut restitutus ex utero et ano, si hic suppressus erat, morbum solvere aut levare saltem valet. Sudoribus tamen copiosis et urinae hypostasi levi et nubila judicatur intra septem aut quatuordecim dies. Quodsi ultra primum septenarium febris morata fuerit, magis sese remittere solet.

§. 46. *Continuatio.*

Simplex haec febris, ubi male tractatur, aut dum aeger jampridem organorum vitio laboraverit, abire in compositam indolem potest. Siquidem car-

diacorum et roborantium abusus hactenus vehementem reddit morbum, ut nobilia organa infestet et inflammationes locales adjungat: vel nervi etiam obsessi metastases formare possunt. Dein vulgare est, orgasmum nimium partium propiorum aut etiam remotiorum secessum producere (*Path. gen.* §. 76), unde pigmentum bilis, quod sanguini inest, aut alia elementa praedominantur et vel biliosam vel putridam febrem generare possunt.

§. 47. *Continuatio.*

Oritur morbus in juvenibus robustis, agricolis sanis, aut iis hominibus, qui a sanguinis fluxu consueto defecti sunt. Nascitur a frigoris subitaneo effectu, unde Sydenhamus *febrem hyemalem* appellavit (*Opp.* I, 348). Familiaris est monticolis, in quibus Josephus Panzani, medicus istricus, eximie descripsit (*Beschr. der krankh. in Istrien, Lübben.* 1801. 8). Animi etiam perturbationes violentae, potus spirituosi, cibi incitantes, aromatum abusus, vesicatoria, motus nimius et insomniae occasionem huic morbo praebent.

§. 48. *Continuatio.*

Duae potissimum sunt febris ardentis varietates, altera protracta et secessu propiorum sanguinis particularum juncta, altera brevissima et uno nychthemero indicata. Illa speciatim *causus*, haec *ephemera* dicitur.

Καῦσος veteribus dicebatur febris ardens vel cum aurigine vel cum biliosis aliis symptomatibus

juncta. Nascitur autem potius aestate, quam hyeme, iis praeprimis infesta, qui peregrinantur, siti vexati et ciborum male digerendorum varietate. Invadit rigore vehementi, qui vero non recurrit, nisi metastasis metuenda sit. Succedit aestus ardens, visceribus praeprimis obnoxius, sitim inexplebilem, desiderium frigidi aëris, siccitatem et asprittudinem linguae labiorumque producens, interdum quoque cum frigore membrorum junctus. Accedunt insomnia, hallucinationes et continua desipientia. Cum his signis febris ardentis junguntur symptomata biliosa; sapor amarus, dolor et plenitudinis sensus in praecordiis, urina crocea, interdum turbida; aurigo denique, quae ante septimum diem malum exitum portendit. Tum etiam lingua atra, nervorum distensiones et mors succedere possunt.

Quodsi vero cum lingua molliore pulsus fiunt magis regulares, molliores, cutis madida, urina hypostatica, versus septimum diem icterus ortus aut sanguinis fluxus e naribus solvere morbum potest.

Ea febris in tropicis regionibus frequentissima abire solet in febrem flavam, cum qua Moseleyus jungit (*Von den krankh. zwischen den Wendezirkeln*, 294). Sed pluribus signis differt, quae in ulterioribus indicentur.

Causi species, quam ex inflammatione viscerum abdominalium, erysipelate hepatis, intestinorum aut ventriculi, Valesius et Ballonius exposuerunt, maxime quod lipyria adjuncta esset, hujus loci esse nego, cum inflammatio localis alii morborum classi accensenda sit.

§. 49. *Continuatio.*

Illa est acutissima synochae species, *diaria* dicta aut *ephemera*, quippe quae unica accessione intra vigintiquatuor horas terminatur Quodsi ultra hoc spatium porrigitur, *ephemerae extensae* nomine venire solet in synocham legitimam abitura.

Ab evidentibus caussis eam semper oriri, a vigilia, aestu aëris, motu nimio et exercitatione corporis, animi violentis perturbationibus, temulentia etc., veterum est sententia. Nullo etiam praevio signo nunciata, repente aegrum corripit, citra horrorem aut frigus. Capitis dolor vehemens aut ventriculi cum calore primum modico, dein vehementi, pulsibus magnis, celeribus frequentibus, insomnia, urina satura, sed haud cocta, alvo etiam dura ab initio ad finem usque aegrum vexare solet. Solvitur minus profusis sudoribus, quam halitu calido, copioso, nonnunquam quoque, si caussa respondet, sanguinis cursu aut vomitu et alvi fluxibus.

Periculo vacat, si simplex est, naturae enim molimina sufficiunt ad tollendum morbi. Quodsi vero in extensae modum porrigitur, synochae indolem apiscitur; anceps praecipue, dum horrores accedunt aut pulsus exiles, contracti.

§. 50. *Continuatio.*

Sed *malignam* hanc *ephemeram* interdum observare licet, in febribus pestilentibus, dum populariter grassantur. Namque, si vel Russelii observa-

tiones comparaveris, primam pestis faciem reperies saepe intra nychthemeron primum aut paullo post ipsum enecasse, absque ullis bubonibus aut carbunculis (*Adh. über die pest*, 1, 107). Similis fuit morbus, *sudor anglicus* dictus, quem tanquam peculiarem medici omnes praedicant. Saeculo XV. adfinem vergente et initio saeculi XVI. in Anglia primum observatus, per Belgium et Bataviam, tum etiam per Germaniam, Daniam et Galliam saeviit. Incepit cum magna virium jactura animique deliquiis, interdum horroribus et tremoribus, utique vero aestum viscerum intenso, anxietate et ventriculi ardore doloreque; tum etiam cordis palpitatione et anhelitu Interea pulsus debilitari consuevit. desipere aeger aut sopore corripi, vires autem magis magisque prosterni, donec praecipitaretur. Quodsi sanitas esset speranda, statim post insultum sudores profusi copiosissimi debuerunt accedere, quibus etiamsi vires exhaurirentur, unica tamen salus ex iis speranda erat.

Quas accusarunt tempore aequales, Sleidanus, Polydorus Vergilius, Erasmus Roterodamus et Cajus, caussae variae sunt Contagium manifestum erat: haud neganda, tanquam disponens caussa, immundities Anglorum circa id tempus adhuc tetra. Sed peculiarem plane ac sui generis fuisse morbum haudquaquam statuendum, quum nihil novum sit, pestem sudoribus copiosis solvi (*Russel* v. d. pest, 100).

CAP. V.

DE FEBRIBUS CATHARRALIBUS.

I. Generatim.

§. 51.

Quae in vasa capillarium viarum aëriferarum agit febris ac congestione versus has partes stipata est, *catarrhalis* vocatur, *rheumaticae* valde adfinis, quippe quae capillaria vasa musculorum aut telae cellularis hos interstinguentis adgreditur. Capillaria autem vasa, etiamsi indifferentia, nervorum tamen gangliosorum imperio subdita esse, pluribus locis monuimus (*Phys.* § 189. 259). Hinc et utriusque morbi adfinitas cum typho, in quem frequenter transeunt, declaranda est. Uterque morbus similiter solvitur, sudoribus nimirum, excretione locali seroso mucosa, aut exanthematibus. Simili etiam modo curandus est, ut nempe vasorum capillarium indifferentia et regularis conductio per nervos gangliorum restituantur.

Male haec germana febrium genera a nonnullis auctoribus astheniae soli seu debilitati directae tribuuntur, quod a frigore externo orta facile abeant in typhum et vulgatissima sint in hominibus teneris et delicatulis. Id autem falsum esse, liquet ex iis, quae tum de frigoris actione (*Path. gen.* §. 126. 127), tum de debilitatis notione (*ib.* §. 49. — 65) uberrime praecepi.

§. 52. *Continuatio.*

Tabulam autem morbi vivis coloribus picturos inchoare oportet a prodromis adfectibus, quae repente excipere caussam admissam aut etiam post aliquod tempus adgredi aegrum solent. Versantur autem in horrore, levi cutis membrorumque frigore et tensionis sensu, quibus junguntur sternutatio copiosa, sensus acutior juxta narium, raucitas vocis, stimulus ad screandum et tussicula irrita. Ad haec gravitas capitis, dolores obtusi in radice narium, inter oculos et in ipsa orbita, turbida oculorum et rubicunda facies, lacrimosus adspectus cum sensu ardoris. Tum gustatus et odoratus pereunt, appetentia ciborum deest; lingua, labia et dentes muco obducuntur. Interdum nausea, praecordiorum plenitas et gustatus vitia accedunt. Alvus vel naturalis, vel dura. Semper vero urina est turbida et lutosa.

§. 53. *Continuatio.*

Febris ipsa mox sequutura horroribus incipit e dorsi spina natis, in frigus convellens abituris. Simul caput velut onustum, temulentum esse et doloribus inter supercilia et in fronte gravari solet, animus marcere, oculorum acies obfuscari et pectus vehementer angi. Membra, quae perfrixerunt, arida sunt, lingua etiam aspera: urina parca et aquosa: pulsus exiles, spastici et frequentes.

Haec quidem accessio vespertina esse consuescit, neque diu moratur frigus, neque recurrit

cum febris accessionibus, sed abire solet post horam unam alteramve in aestum, aut, dum recurrit febris, soli adsunt horrores cum ipso calore alternantes. Calor autem utplurimum mediocris est, caput, collum manusque infestans, facie oculisque inflatis, rubentibus, his etiam lacrimosis, palpebris plerumque tumidis. Anhelitus aegrum vexat copiosus, calidus; tussis etiam arida et dolores pectoris cum sensu tensionis. Quo longior aestus mora, eo pleniores pulsus, eo madidior lingua, humidior cutis, maxime vero unctuósi sudores in axillis et inguinibus erumpunt: urina etiam satura nubeculam habet subsidentem pallidam et opacam. Tali modo mitiora fiunt symptomata, donec matutinis horis, si vesperi coeperat, accessio desinit. Recurrit autem febris vel quotidie vel alternis diebus.

§. 54. *Continuatio.*

Intercapedo accessionum haud perfecta est. aestus quidem remissior, vel parum sentiendus, horroribus tamen facile intercurrentibus, dum frigidus aër corpore excipitur. Remanent per intercapedinem aliae molestiae, febri huic propriae: sensus nimirum acutus narium, frequens sternutatio, dolor obtusus in radice nasi, e quo aquosa, acris solet effluere latex, similem acritudinem habent lacrimae, continuo genas erodentes. Oculi etiam turbidi, rubri, dolores patiuntur et ardoris sensum. In larynge et fistula spiritali titillationem queruntur et adsiduam tussiendi cupiditatem: quod tussi ejicitur, acre est et peculiarem habet odorem.

Pectus continuo angitur et tensionis sensum experitur. Glandulae, quae circa collum et mandibulam sunt, tumescere et dolere consuescunt. Nonnunquam et dolores aurium acutissimi, et peculiaris somnolentia aegrum alternatim vexant. Proclivitas ad sudores salubre nihil initio efficere potest.

§. 55. *Continuatio.*

Alternis his accessionibus remissionibusque morbus moratur per aliquot dies aut etiam per septimanam unam aut alteram, pro varia aegri aetate, constitutione, pro anni tempore et victus ratione. Vires vel minus patiuntur, ut possit aeger munere suo quadantenus fungi, obambulare, cibos etiam solito modo sumere; Gravior vero morbus magis enervare vires solet, ut lassitudinem post quemvis motum sentiat aeger, lectum deserere nequeat nullumque appetat cibum.

Simplex et benignus morbus sequentes accessiones mitiores habet cum pulsibus magis ordinatis, mollioribus, fortioribus, madore cutis continuo calido, oculorum acie gradatim restituta, nubecula in urina subsidente. Tum acris ante latex e naribus manans, mitior fit et paullo spissior, magis etiam in flavedinem vergit et peculiarem odorem spirat. Similis mutatio in humore per tussim excreato contingit, quo levantur pectoris angores et dolores. Denique sudores accedunt acidi, calidi, totum corpus occupantes, quibus hactenus molestiae praegressae levantur, ut tussicula supersit cum sputis coctis. Nonnunquam solet et san-

guis e narribus stillare, praesertim in juvenibus et qui sanguine abundant.

Saepius observatum fuit, superstites ex hac febre sanitatis insignem sentire vigorem et ad εὐεξίαν quamdam pervenire, quae salubritatem hujus morbi, dum simplex est et sanos occupat, prodit.

§. 56. *Continuatio.*

Quod quamvis negari nequeat, frequenter tamen contingit diuturnitas morbi et transitus in alios, curatu perquam difficiles, dum catarrhus neglectus fuerit. Vulgatissima autem catarrhi sequela est morbus pulmonalis ipsaque tabes, praecipue in iis, qui stasibus abdominalibus laborant (*Path. gen.* §. 83), qui arthritidem passi sunt aut scrofulosos glandularum tumores. Potest etiam idem diuturnus morbus metui, si inepta curatio catarrhi accederet, si calida et sudorem pellentia remedia exhibita, aut si sanguis praeter rationem missus, alvus cita esset, aut denuo frigus corpore exciperetur.

Tum solet pectus magis etiam constringi, angores augentur noctu cum anhelitu et tussi molesta, sicca: somno penitus caret aeger aut insomniis terrificis vexatur: vires musculares insigniter defetiscuntur: oculi continuo tument, rubent et lacrimas fundunt: nares mittunt laticem acrem, doloribusque obtusis jugiter adficiuntur: sternutatio, odoratus defectus cum horroribus semper recurrentibus, pulsibus etiam duris exilibus continuant:

urina turbida manet et lutosa: lingua mucosa et glandulae circa collum tumidae. Quae dum contingunt, labem pulmonum extimescere licet.

§. 57. *Continuatio.*

Alia successio periculum magis praeceps minatur. Dum enim viget constitutio nervosa, febres catarrhales scenam aperire et initium morbi nervosi constituere solent: si qui intercurrunt catarrhi, magis nervosi et symptomatibus malignis stipati esse consuescunt.

II. De Catarrho epidemico-contagioso.

§. 58.

A medio inde aevo saepius populares morbi catarrhales animadversi sunt, tum contagio, tum virium defectionem, tum adfectibus variorum organorum insignes. Prima fere fuit, quam Valescus de Taranta Monspessulanus anno 1387 observavit, secunda quam Timaeus (*Epist. p.* 481) memorat, anni 1558; tertia anni 1562 (*Onuphr. Bruguer Barcinonensis: de destillatione ejus anni. Barcin.* 1563. 8); quarta anni 1580 (*Salius Divers. de febr. pestil.*, *p.* 66); dein 1675 (*Schelhammer: de genuina febris curandae methodo*, *p.* 173); post 1729 et 1730 (*Jo. Gottfr. de Hahn; febrium continuarum recensio. Vratisl.* 1731. *Morgagni: de sed. et causs. morb. ep.* 13); dein anni 1762 (*Gilchrist in neuen Edinb. Vers.* 3, 385. *Isenflamm Versuch von den ursachen der brustkrankh. Wien*, 1762)

anni 1775 (*Grant: on fevers, p.* 115): maxima vero anni 1782, ubi αὐτός τε νοσήσας καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας (*Wittwer: vom jüngsten epidemischen katarrh. Nürnb.* 1782. *Lentin's Beyträge p.* 30. *Smyth in medic. Beytr. p.* 77); dein 1788 (*Falconer: in mem. of. a soc. of. Lond. vol.* 3) denique 1803 (*Pearson. Hooper. Herdman. Nott. Gautieri*).

Habent id commune catarrhi epidemici, quod ver siccum frigidumque, in quo boreas, caecias et eurus regnant, eos adducat, sequantur autem terrae conversionem ab ortu ad occasum (*Path. gen.* §. 39). Ex ipsa Sibiria catarrhum anni 1782 repetere licuit, quem ideo *Russorum morbum* nonnulli, alii *Influenza* aut *la Grippe* nominarunt. Contagio propagari probabile est.

§. 59. *Continuatio.*

Compositum morbum sistere ejusmodi catarrhos epidemicos, nemo negabit. Pulmones inflammatione adfici manifestum est, simul tamen biliosa accedunt interdum symptomata et adfectus nervosi, quibus vires infringuntur, ut in senibus crisis nulla contingere possit. Hippocrates ipse jam dixit: si ver fuerit siccum et aquilonium, catarrhos oriri, quibus senes συντόμως interimantur (*Aph.* 3, 12). Infantes raro obnoxii sunt, adficiuntur eodem tempore duntaxat sternutatione, effluxu laticis aquosi e naribus et lippitudine: liberi maxime, qui lactent.

Faciem induit is morbus variam, pro diverso

climate. aegri constitutione et aetate, et varia epidemiae indole. Anno 1782 vidi plerosque doloribus pectoris corripi cum virium languore, horroribus et calore mediocri. Ab initio autem singularis quidam dolor frontis, temporis et maxillarum torquebat, tum tumoribus glandularum junctus. Febris typum fere nullum servabat, licet initio, et ubi mitis esset, tertianarius perciperetur. Pulsus erant haud duri, sed frequentissimi, ut et in senibus interdum centum ictus et ultra in scripulo horae primario numeraverim. Nonnulli querebantur dolorem circumscriptum sub sterno, juxta longitudinem fistulae spiritalis, qui versus latera non extensus solam eam fistulam adfectam esse signabat. Tussi interea magnopere torquebantur, qua dolor tum pectoris, tum frontis adeo ingravescebat, ut acubus se pungi ac prae doloris vehementia exscreare se nihil posse quererentur. Simul aderat ardor faucium ipsiusque fistulae spiritalis, nonnunquam dolor strictorius, qui anginam simulabat. Lingua et fauces quorundam muco, plerorumque cortice sicco obductae erant.

In quibus major compositio, dolores praeprimis praecordiorum, quasi excoriatorum, angores circa eam regionem, saporem oris depravatum, fastidium et vomitum vel biliosum vel mucosum querebantur: nonnunquam accedebant cardialgia et dolores colici, quae symptomata levabantur non nihil vomitu copioso pituitoso.

Qui debiliores natura erant, aut senes etiam, adjunctos habebant adfectus nervosos. Ab initio

inde horrores cum caloribus fugacibus alternantes, pulsus aderant intermittentes, infirmi, pectoris potius oppressio quam dolor: vocis singularis humilitas, somnolentia, animi deliquia, spasmi variarum partium, ut et lotii fluxus interciperetur et faux constringeretur et tenesmo anus laboraret. Sputa fere nulla in ejusmodi casibus: urina turbida maleque olens: metastases repentinae ad nobilia organa enecare aegros consuerunt.

§. 60. *Continuatio.*

Ubi mitior morbi facies aegrique constitutio robusta, naturae vires aliquid salubris moliri et perpetrare valebant. Cutis ab initio arida versus septimum diem madebat, sputa facilius promovebantur, pustulae apparebant circa labia aut erysipelas faciei, abscessus parotidum, quibus violentia morbi decrescebat. Interdum effluxus laticis ex auribus, aut salivae cursus judicare morbum videbantur. Optimum erat signum, si pulsus major et liberior fieret, cute madente et nubecula in lotio subsidente.

His quidem signis solebat morbus die nona aut decimaquarta in sanitatem perduci. Sed familiaris erat propensio convalescentium ad recidivas, quae leviores initio videbantur, multo revera graviores praegresso morbo primario, seniores nonnullos apoplexia enecantes. Qui omnino convaluerant, oedemata tamen pati consuerunt aut diuturnam tussim cum pectoris oppressione, quibus tabis metus suscitabatur.

Observatum quoque fuit, diathesin ad phthisin, ad scrofulas et ad arthritin hoc morbo potissimum evolvi. Ubi haud catarrhus ipse succedebat, vices ejus gerere dysenterias vernales, diarrhoeas aut rheumatismos, compertum habuimus.

III. De caussis catarrhi.

§. 61.

Si membra perfrixerunt, catarrhum oriri vulgi est sententia, cui scholae addiderunt, fieri id regressa materia perspirabili a cute ad vias aëriferas. Quod quam falsum sit, pluribus locis (*Path. gen.* §. 96. 97. 127. 176) uberius probavi. Frigus enim corpore exceptum dum contractilitatem auget, sentiendi vim in ea parte, quam adoritur, deprimit, ut haec accumulata in alia organa cum adfecta parte consentientia impetum quodam irruere possit. Inaequalis ea sentiendi facultatis distributio et fluctuatio quasi (*Path. gen.* §. 57. 58) caussam catarrhi primariam constituit et essentialem.

Cum insuper Keillius jam evicerit (*Medic. stat. britann.* p. 180. 194), ponderabilium humorum seu vaporum per cutem eliminatorum copiam saepe haudquaquam minui, si membra perfrixerint; cum exigua saepe portio cutis, quae frigus excepit, sufficiat ad catarrhum generandum; cum quotidie videamus, homines, qui durarunt corpus, frigus sine noxa perferre, etiamsi ante maxime incaluerint; cum teneri contra et sentiendi facultate haud

ordinata praediti faciliune catarrhum patiantur; cum denique methodus probatissima contra adfectus catarrhales nitatur potius restitutione regularis conductionis quam proliciendo sudore: manifestum est atque exploratum, nostram sententiam veritati proximam esse.

§. 62. *Continuatio.*

Persuasissimum habemus, praeter hanc fortuitam caussam, inesse aëri ipsi particulas nocentes, quae in populari morbo eliciantur, atque irritando vias aëriferas morbum producant. Etenim, si recesseris etiam ab observatione Martini, quod Kildae insulae habitatores protinus catarrho adficiantur, ut peregrini appellantur; etiamsi neglexeris Watsonii opinionem, effluvia maris, dum fluxum patitur, catarrhum generare; id tamen compertum habemus, caeciam abundare salinis particulis ex ingentibus iis desertis Sibiriae elicitis, quibus viae aëriferae magnopere incitari possunt. Parietes recens dealbatos eum morbum producere, experientia docuit. Itaque haud immerito Huxhamius jam, et post eum Weikardus acria quaedam ex aëre resorbta catarrhum gignere statuerunt.

Electricitatis praeterea atmosphaericae turbatam rationem (*Path. gen.* §. 132) in popularibus catarrhis accusandam esse, rationi haudquaquam repugnat.

Contagium omnino evolvi in morbi specie gravissima, qua humores corrumpuntur, extra

omnem dubitationis aleam positum est (*Gray*: in medic. beytr. 1, 55).

§. 63. *Continuatio.*

Quoad diathesin, certum est, teneros homines, venereis complexibus et aliis victus vitiis infirmatos, aut qui calore nimio fovent cutim, obnoxios esse catarrho. Ii etiam, qui stasibus viscerum abdominalium et varicibus venarum laborant, facilime eum concipiunt: vulgaris est observatio, hos sine manifesta caussa continuis fere catarrhis adfici. Dein facilime catarrhis corripiuntur, qui e morbo graviori superstites sunt, praesertim qui e febribus nervosis et exanthematibus convalescunt. Teneritas et sentiendi facultas nimis aucta id exponit.

§. 64. *Continuatio.*

Hinc patet, febrem catarrhalem complecti irregularem per plexus nervorum conductionem, ex adfectione viarum aëriferarum ortam, qua vasa capillaria praeprimis laborant, quaeque, ob consensum cutis cum iis viis, facilime e frigore, quod corpus excepit, nascitur. Adfinitas igitur morborum catarrhalium cum rheumaticis et nervosis haud obscura est.

CAP. VI.

DE FEBRIBUS RHEUMATICIS.

§. 65.

Hujus morbi hypotyposis repetenda est doloribus musculorum et tendinum lancinantibus, cum febre junctis. Sedes igitur morbi est quaerenda in plexibus nervorum, quae vasa capillaria velamenti muscularis ambeunt. Cum autem tum ipsius velamenti, cum involucris nervorum vasorumque, tum vasorum capillarium per superficiem praesertim, sit communio quaedam, adfectus eorum vasorum necesse est cohaereat, similia etiam producat phaenomena: unde germanitas febrium catarrhalium atque rheumaticarum exponenda est. Simul nonnunquam oriuntur, succedunt sibi, similes habent sequelas et sanitatem fere eodem modo laedunt.

Qui rheumatismum cum arthritide componunt, negligere videntur caussas manifestas, a quibus ille semper nascitur, arthritis vero, diathesi praegressa, absque caussis evidentibus oritur. Rheumatismus sanissimos homines subito corripit, si membra perfrixerint: arthritis invadit plerumque homines aetate confirmata et qui vel stasi abdominis vel debilitate digestionis laborarunt. Rheumatismus simili modo solvitur ac catarrhus, sed arthritis hominem iteratis cruciat adfectibus, donec vel totum corpus mutatum penitus fuerit, vel adeo debilitatum, ut formari morbus nequeat.

§. 66. *Continuatio.*

Lancinantes membrorum dolores a frigore excepto orti, *rheumatici* vocantur, probe distinguendi ab iis doloribus pariter lancinantibus musculorum, qui comitari syphilidem, scorbutum variasque cachexias solent. Hi quidem diuturni, noctu nonnunquam ingravescentes, aegrum ita cruciant, ut nequaquam perspiratione restituta leventur.

Peculiare id habent dolores rheumatici, tactu augeri, auraeque agitatae sensum adferre, adeo velociter etiam alia ac alia membra corripere, ut in nullo fere diu consistant, priusquam morbus formam constantem adeptus fuerit. Per totius corporis ambitum progredientes, sentiendi facultatem insigniter augent, noctu tamen minuuntur et dum modice corpus incalescit. Quodsi vero perfrigescit iterum, gliscunt dolores, obrigescunt membra, prae dolore saltem moveri aegerrime possunt. Interdum, ubi tenerior est constitutio et sentiendi facultas major, tremunt et palpitant loca adfecta, tendines maxime convelluntur et obrigescunt.

Dum partem adfectam dolores per aliquod tempus vexarunt ea intumescere solet et incalescere. Tumor autem musculos solos aut tendines etiam occupans, elasticus est et rubicundus, calidus et vehementer dolet. Diutius moratur doloribus, qui celeriter alias aliasque partes invadunt: tumor levat dolores, cum humores viscidi copiosi proma-

nant. e quibus deponitur salis phosphorici copia, albido pulvere saepe pannum ceratum obducentis.

Glandulas insuper vicinas infestare solent tumores, maxime eas, quae vasa absorbentia e partibus adfectis accipiunt: et hi tumores tamdiu morantur, quam rheumatismus persistit.

§. 67. *Continuatio.*

Ni partem quamdam singularem occupent tumores, vagantes dolores plerumque internas et nervosas partes invadere, sensuum hallucinationes, vertiginem ipsamque vesaniam producere solent. Dolores colici, difficultas intestinorum cum spasmis, tenesmo, dysuria, cardialgia, angoribus pectoris, asthmate et functionum partis adfectae suppressionibus sequi solent. Ea praeprimis organa his adfectibus invaduntur, quae vel ante jam debilitatae erant, aut in quae, ob popularem morborum indolem, facile aliquid abscedit. Hinc intestinorum difficultas antumno, vesica urinaria in senibus facilime doloribus rheumaticis obsidetur.

Rheumatica eorum adfectuum natura dignoscitur tum e praegressis membrorum doloribus, tum ex indole epidemiae, tum denique e levamine, quod adferunt adminicula artis, quae cutis functiones restituere valent.

§. 68. *Continuatio.*

Cum dolor sese remittit, necesse est secretiones augeantur modoque praeternaturali mutentur (*Phys.* §. 24). Musculorum velamenta obducuntur lympha gelatinosa, quae et tendines et ligamenta intermuscularia velare solet. Interdum aquosi tumores visi sunt telam adiposam et superficiem musculorum occupare (*Morgagni* Ep 57. 17). Qui cum externi sunt, fluctuant, diutius persistunt; lente potius natura resolvendi quam arte discutiendi.

Interdum lympha ea gelatinosa aut aquosa vesiculis erumpit, tumores rheumaticos occupantibus, sponte apertis vel post longam moram denique subsidentibus. Frequentia etiam sunt exanthemata, miliarium aut scabiei aut herpetum etiam speciem prae se ferentia, quae molestum pruritum et rosionem cient, solutionem tamen rheumatismi promovent. Quinetiam Gattenhofius vidit manus fusco colore post rheumatismum tingi, qui tandem, soluta epidermide, evanescebat.

Remanent post rheumatismum varii adfectus in parte, quae infirmitatem signant. Languoris, stuporis aut sensus nimis acuti molestia proclivem facit partem ad novos rheumatismos. Nonnunquam nervi resolvuntur e lympha gelatinosa velamenta nervorum obsidente. Articulorum tumores ex ipsa massa gelatinosa mauticulam tendente, rigor et immobilitas articulorum, ancyloses, bursarum mucosarum tumores duri; luxationes articulo-

rum spontaneae (*Path. gen.* §. 210), spinae dorsi curvationes (*ib.* §. 255); ulcera denique pertinacia et ipsa caries ex hoc fonte manant. Denique non rarum est, adsimilationem nutritionemque totius corporis labefactari ut febris lenta cum tabe et hydrope ἀνὰ σάρκα consequatur.

§. 69. *Continuatio.*

Quod febrem attinet, rheumatismi comitem, principio monendum est, ipsa caussa, quae rheumatismo ansam praebuit, simul febrem accendi, quae *rheumatica* non nominanda, sed ea potius hoc nomine insignienda est, quam dolores rheumatici aut caussa ipsa in musculorum velamenti sedens excitant. Varias ea febris formas induere potest; vulgare tamen est, horroribus aut frigore inchoare, cum doloribus, languore et gravitatis sensu in membris. Aestum vehementem comitantur sitis, anxietas, perturbatio animi, insomniae, vesaniae, nervorum etiam interdum distensiones et tendinum subsultus. Pulsus solent esse duri, pleni, frequentes; urina parca, turbida, nec sueta salium vulgarium copia praedita. Mira est in sudores propensio, qui adeo profusi esse possunt, ut totum corpus colliquescere et febri sudatoriae similis morbus fieri possit. Sinnerus Röttingensis anno 1802 talem morbum popularem observavit, descriptum Wirceburgi 1804.

Vesperi redeunt accessiones, alternis diebus ingravescentes; decrescunt tandem, cum partem quamdam fixi occupant dolores. Sanguis e vena

missus vel crusta phlogistica obducitur, vel solo sero abundat. Vires per febrem infringuntur, ut, quo longior ejus mora, eo frequentiores spasmi et nervosi adfectus esse consuescant.

Quodsi solutioni propior est, cum pulsus majore mollitie minoreque frequentia, urina nubeculam deponit aut salium copiam matulae parietibus adhaerentium: lingua madere, cutis autem sudoribus copiosis calidis perpetuo scatere, quibus levaminis plurimum adfertur. Interdum sanguis e naribus salubriter stillat, inprimis si juvenis et robustus aeger; salivae etiam cursu expedire morbum visus est. Non raro exanthemata miliaria egregie opitulantur ad sanitatem restituendam.

Quae quidem febris etiamsi finitima typho est, tantum tamen abest, ut generatim asthenicis accensenda sit, ut potius frequenter cum incitatione perpetua totius systematis vasorum juncta sit. Itaque nec incitandae sunt vires, nec minuendae, sed aequabilis conductio per nervos restituenda.

§. 70. *Continuatio.*

Compositam esse hanc febrem, novum non est, cum nervorum adfectus ingravescentes aut ipsae inflammationes facilime accedere, ventriculus etiam et viscera digestioni inservientia ita adfici possint, ut sordes biliosae et gastricae adjungantur. Hinc non rarum est, complicationem ab iis accusari, qui differentiam compositi complicatique morbi negligunt (*Path. gen.* §. 43). Idem status in-

ternus varias duntaxat formas adipiscitur, dum vel haec vel illa organa adficiuntur.

§. 71. *Continuatio.*

Caussae rheumatismi manifestae versantur praecipue in frigore corpus adficiente et praeprimis velamenta musculorum fibrosa ita corripiente, ut, contractilitate aucta, sentiendi facultas minuatur et imponderabilium per nervos gangliosos conductio pervertatur (*Path. gen.* §. 126. 127). Hinc verno tempore autumnalique febres rheumaticae populariter grassantur, cum catarrhis et dysenteria alternant, frequenter in typhum abiturae.

Cum observatum sit, aërem paludosum rheumatismis ansam praebere (*Amelung: in Hufel. Journ.* 18), electricitatis etiam atmosphaericae rationem turbatam accusari posse, fatendum est (*Path. gen.* §. 129. 132). Electricus processus, continuo cum perspiratione junctus (*Phys.* §. 273) pervertitur sine dubio, cum vel frigus vel alia atmosphaerae vitia cutis perturbant functiones.

§. 72. *Continuatio.*

Praeter hanc vulgatissimam caussam arguendae etiam sunt aliae, quae, ubi diathesis adest, velamentorum aponeuroticorum, quae musculos circumdant, functiones turbare valent. Pertinent huc praesertim suppressa exanthemata, ulcera praecocius justo exsiccata, sanguinis cursuum naturalium defectus et catarrhi fluxus interceptus. Frequèns etiam est connubium rheumaticorum dolo-

rum cum cachexiarum variarum initio, quae syphilidis exemplo, scorbuti et leprae velamenta musculorum invadere solent.

Rarius in primis viis stimuli adsunt, qui, vermium exemplo, per consensum musculorum velamenta incitare possunt (*Rahns. Briefwechsel* I, 212).

§. 73. *Continuatio.*

Similis diathesis, quae catarrho favet, et hujus morbi primordia producit. Teneritas cutis et sentiendi facultas nimis aucta, quae vel hereditate vel luxu, maxime vero nimis calidis vestimentis, pellibus ac rhenonibus contrahitur, aut quae sedile sequitur et complexus venereos, quae denique hystericis et hypochondriacis familiaris est, ita agere potest, ut leviora etiam et aliena incitamenta musculorum velamenta invadant.

§. 74. *Continuatio.*

Sedem morbi esse velamentum musculorum aponeuroticum, pro centro systematis fibrosi habendum, Clarus, medicus eximius, probavit (*Annal. des klin. inst.* 2, 158). Cohaeret totum hoc systema ita, ut galea aponeurotica cranii in musculorum temporalium, trapezii, deltoidei, thoracicorum, abdominalium et dorsalium velamenta continuo abeat. Esse autem centra quaedam totius hujus textus, qua velamenta haec ossibus propiora sunt, Clarus docuit. His accensendae sunt galea cranii aponeurotica, aponeuroses volae ma-

nus et plantae pedis, quae propter regularem fabricam mediae quasi sunt inter velamentum fibrosum et tendines: huc pertinent etiam loca, quibus inseruntur musculi dorsales et sacrolumbaris ossi sacro et pelvis ossibus. Haec quidem centra duplicem aut triplicem fibrarum seriem monstrant: congruit autem robur fibrarum cum numero et longitudine musculorum subjacentium, minime vero cum mole eorum, cum torosissimi musculi velamento nonnisi tenui cincti sint. Abeunt in ea centra musculi peculiares tensorii, tensoris fasciae latae, musculi frontalis et occipitalis, palmaris aliorumque exemplis. Ad articulos distribuitur velamentum musculorum in fasciculos peculiares regulariter structos, qui ligamentorum nomine perperam insigniuntur, cum tendinum potius subjacentium secessum impediant. Eorum fasciculorum interna facies, membrana synoviali obducta, bursis mucosis finitimam facit indolem. Variis quidem locis, in facie et perinaeo, desunt velamenta fibrosa musculorum, sed hi ipsi multo molliores ceteris et minus fibrosi sunt.

Laminam internam velamenti processus formare, qui dissepimenta musculorum potius quam ligamenta intermuscularia nuncupanda sint, idem Clarus egregie monuit. Hoc vero systema fibrosum cum serosis membranis eodem modo cohaeret, ac externa cutis cum membranis mucosis: namque bursae mucosae manifestum connubium cum velamentis aponeuroticis ineunt, atque variae ejusmodi bursae, interdum deficientes, in textum aponeuroticum abire solent. Meninges etiam, quam-

vis aliena sit earum functio, rationem quamdam ad fibrosum systema observant, unde novus elucet modus explicandorum nervosorum adfectuum in rheumatismis.

Hujus systematis, velamentorum scilicet aponeuroticorum, quibus musculi cinguntur, eam adfectionem statuimus esse rheumatismum, qua plexus nervosi, vasis capillaribus providentes, irregularem et turbatam imponderabilium conductionem experiuntur. Dolores et tensiones molestae, tremores et spasmi, inde protinus orti, eo facilius et velocius propagantur, quo major est et per totum fere corpus dominans ejus systematis ambitus: eo facilius et febris et nervosi adfectus accedunt, quo arctius velamenta nervorum vasorumque cum velamentis his musculorum cohaerent. Cum denique eadem velamenta et ipsa secernant et cum serosis membranis cohaereant, praeternaturales inde secretiones exponendae sunt, quae rheumatismum sequuntur.

§. 75. *Continuatio.*

Inflammationibus adnumerare rheumatismum prohibemur tum fugaci ejus indole, tum defectus vulgarium effectuum, qui inflammationem excipere consuescunt. Id tamen quotidiana constat experientia, inflammationes rheumaticum nonnunquam adsumere characterem, si membranae serosae, quae viscera ambeunt, aut velamenta fibrosa internarum partium adficiuntur. Quod cum accidit, eadem velocitate propagari iterumque in alia

abire organa aut etiam nervosis stipari adfectibus con uescunt, ac si externa membra occuparet rheumatismus.

CAP. VII.

DE FEBRIBUS NERVOSIS.

I. Generatim.

§. 76.

Cum nihil vulgatius sit in scholis nostris, nihil tritius in nosocomiis vel ad lectos aegrorum, quam typhum aut febrem nervosam statuere, maximi est momenti veram hujus febris informationem praemittere, quae, ut exacta hypotyposis morbum ab aliis omnibus germanis distinguere valeat.

Febris igitur *nervosa* appellanda est, si praecipua symptomata functiones nervorum turbatas complectuntur, citra organi cujusdam peculiarem adfectionem. Quandoquidem ad plerasque alias febres accedere deliria, sopores, nervorum distensiones, aliique nervosi adfectus consuescunt, prius nuncupanda nervosa febris haudquaquam est, quam ea symptomata praedominentur citra ullam organorum singulorum aliam adfectionem. Quodsi enim subest intestinorum inflammatio, si rheumatismus, deliria accedentia aut nervorum distensiones, fortuita potius sunt symptomata quam necessaria. Necessaria autem et pathognomonica sunt in febre nervosa.

Qui typhum a febre nervosa distinguunt, il-

lum vel speciem quamdam putant febris nervosae, a contagio generatam, ut Hildenbrandius, vel symptomaticam habent febrem typhum, primariam autem febrem nervosam, Clari exemplo. Quod cum arbitrarium videatur, cum Cullenio puto synonyma potius esse typhum et febrem nervosam (1).

Alienos autem nos profitemur a sententia eorum, qui debilitatem vis vitalis universalem subesse febri nervosae commenti sunt: cum incitatio saltem systematis vascularis manifesta sit, et nervorum distensiones saepe tantum robur prodant, ut nequaquam astheniam accusare possis.

Multo minus existimamus, inflammationem meningum vel encephali primariam esse caussam febris nervosae, etiamsi in primo typhi acuti stadio antiphlogistica et ipsa frigida aqua saepe proficua sint: de quo in ulterioribus (§. 187) uberius praecipiemus.

§. 77. *Continuatio.*

Frequentia hujus morbi nostris temporibus haud major est quam antiquis, siquidem nominum mutatio rem ipsam non mutat. Pestis antiquorum, quae praesertim seculo XVI. plures febris nervosae

---

(1) In Hippocratico quidem libro *περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν* p. 553. sq. *τυφοῦ* nomine plures morbi describuntur, tum a se valde discrepantes tum ita obscuri, ut dilucidare eos nequeamus.

formas subjectas habuit; febris *phlegmatica* Arabum; febris *petechialis* Coyttari, Trevisi et Roboreti (*Hist. med.* 3, 120 s.); febris *catarrhalis* maligna Fr. Hoffmanni; febris *verminosa* Boschii; febris *maligna* Stollii et Aeplii ad febrem nervosam, omnino pertinent, cujus modos populares constituunt. Id enim habet hic morbus peculiare, quod, pro varietate epidemiae, varias etiam induat formas, variis stipatus symptomatibus.

Duae potissimum sunt formae generales, quas, dum populariter grassatur, induere solet morbus lentam nimirum et acutam, utraque iterum in plures varietates dispescenda.

II. Febris lenta nervosa.

A. Simplex.

§. 78.

Haec vulgaris species, quam Huxhamius primus apto eo nomine insignivit, *typhus versatilis* Frankio dicta, *Asthenopyra* Swedianero, tarde ac sine ordine incedit, sensuum praecipue debilitate et hallucinationibus stipata.

Initia morbi maxime lenta sunt et obscura, ut modo cum hypochondriacis adfectibus, modo cum hectica febre commutari possit. Marcet animus sine caussa manifesta, laborum taedio, morositate, lassitudine artuum et vel somnolentia, vel vigiliis, vel etiam somno turbulento vexatur; pavescit e levioribus caussis, quae sanum terrere nequeunt: horret continuo et parum incalescit: mem-

bra fere semper frigescunt: facies pallet, oculi languidam habent indolem: pulsus exiles sunt et debiles: cibos nec appetit nec sitit: praecordiorum nonnunquam plenitudinem, saporem in ore mucidum conqueritur.

Quae quidem molestiae per plures dies morantes ab hypochondriaco morbo, cujus speciem prae se ferunt, dignoscuntur febrili indole et constantia eorumdem symptomatum, cum hypochondriasis multo magis variet, atque hodie aegrum praecipitare, cras sanum fere relinquere videatur. Hectica vero febris statis temporibus accessiones format, horroribus inchoantes, quos aestus sequuntur volis manuum et genis circumscripti et sudores cum pulsibus duris, quibus colliquescere corpus videtur.

§. 79. *Continuatio.*

Febris ipsa magis latens vel vagis horroribus vel levi corporis frigore incipit, pulsu parum frequenti, sed exili ac maxime debili. Interdum neque horror, neque calor, neque pulsus acceleratio aderant, sed hujus tarditas ea, ut vix quinquaginta ictus in scripulo horae primario numerare posses: nulla etiam excretionum mutatio: nil querebatur aeger nisi languorem virium eumque stuporem, quem ebrii sentire consuescunt. Somnolentia sequitur et sopores cum nervorum resolutionibus mortis praenunciis. Quae dum contingunt, febrem adesse veram nemo probabit: morbus est nervosus, eadem caussa productus, qui vero impe-

tus imponderabilium per plexus nervorum, vasa comitantium, producere nequit.

Sed vulgatior tamen est forma febrilis, cum pulsibus concitatis, horroribus et aestu valde irregularibus. Temulentia capitis et stupor cum sensu peculiari frigoris circumscripti in occipite, qua sutura lambdoidea cum sagittali confluit, junguntur quod pathognomonicum est symptoma. Vertigines etiam, caligo oculorum, qui continua nebula circumfusi videntur, aut maculae atrae ob oculos volitantes: auditus gravis et tinnitus aurium, odoratus et gustatus ea vitia, quae comitari catarrhum solent (§. 52): en symptomata praevalentia. Ad haec languor virium muscularium, ut artus contremiscant, quoties labores suetos suscipere aeger conatur, haud tamen primis diebus tantus, quin obambulare possit.

Sitis fere nulla, etiamsi incalescit aeger: lingua humida, aut albo et tenaci muco obducta, aut pura etiam, velut membrana tenui vestita, interdum arida et aspera. Plerumque fastidium ciborum omnium aut cupediarum insueta appetentia, vomituritio etiam et vomitus mucosus, nullo modo fructuosus. Urina aquosa, cruda, in qua nil subsidit, interdum enaeoremate praedita.

§. 80. *Continuatio.*

Quae dum per sex aut octo dies, sine ullo ordine, morata fuerint, facies morbi parum mutata incedit. Pulsus magis accelerantur, sudores leves frigidiusculi, visciduli caput et collum obsident;

continua somnolentia aeger oppressus, sui conscius omnino non est, desipere incipit, sed leviter adeoque obscure, ut mussitet duntaxat, balbutiat, leviusculas formet hallucinationes imaginatio: plerumque tamen tacitus decumbere solet, neque ullum movere membrum, obtutu oculorum fixo, torvo, truci, aut, dum somno capitur, albuginea oculorum transparente per palpebras semiapertas.

In hac quidem acme morbi hallucinationes sensuum praedominantur. Organicus sensus ita decipitur, ut frigere sibi adsiduo videatur, qui vere incalescit; aut, dum horret, incalescere credit, aut, membris frigescentibus, viscera aestu torquentur. Alia est et memorabilis satis hallucinatio, qua bene se habere respondet aeger, nihil omnino conquerens, nisi languorem et lassitudinem artuum, aut frigus occipitis. Continuo sibi videtur susurrum apum aut campanarum sonitum aut tonitru remotissimi fragores audire, gravitate etiam auditus laborat et visus debilitate et continuis vertiginibus. Dormiendi vigilandique ambiguitate laborat: loquela difficili et blasa, vox debilis et rauca, lingua aspera aut fissa est: urina turbida, lutosa aut oleosa membrana obducta.

§. 81. *Continuatio.*

Malum portendunt continui sopores cum desipientia alternantes, sensuum stupores ac conscientiae defectus, omnium earum rerum fastidium, quae sano blandiri solebant. Nihil magis pavet quam somnum, per quem praecipitari aut in vesaniam

incurrere timet. Accedunt tremores artuum et nervorum distensiones, tendinum subsultus, oculorum distorsiones, fauces spastice constringuntur aut ani sphincter: pulsibus interea semper debilioribus, minoribus et magis contractis.

Ad haec alvi fluxus aquosus, aut pituitosus pessima quaeque praesagit, maxime dum vermes simul secedunt, qui per morbum generati (*Path. gen.* §. 183. 184) insignem duntaxat notant intestinorum laxitatem et pituitae corruptae abundantiam. Interea virium defectio gliscit; animi deliquia accedunt et tremor linguae, quoties exseritur. Nonnunquam parotides glandulae inflantur, sed protinus fluctuant, nullo margine rubro aut tenso cinctae: aphthae etiam accedere solent lividae aut pallidae, linguam et os internum obsidentes: exanthema miliare in solo pectore subsidentes exiguas pustulas producens, quae illico saepius iterum evanescunt, dum stragula aut vestes removentur.

Quae dum contingunt, exitii praesagium fere certum est. Sequitur mors nonnunquam quadragesimo aut quinquagesimo die, dum stupidi jacent aegri et attoniti, dum contremiscunt ac continuo palpitant membra, dum friget totum corpus et pallet, dum anhelitus crebri et pulsus fere suppressi adsunt, dum anima deficitur aeger.

§. 82. *Continuatio.*

Pari aut majore etiam tarditate progreditur morbus, dum ad sanitatem perventurus est. Etenim, dum a secunda inde hebdomade cutis et lin-

gua madent. dum pulsus tollitur et fortior fit, dum urina saturitatem adipiscitur et levem nubeculam, quae fundum petit, dum praesertim clarescens ad matulae parietes arenulas deponit aut salium fuscorum et luridorum crystallos, bonum est et lentam promittit solutionem. Accedere solent sudores calidi, per totum corpus fusi, levantes, cum pulsibus mollioribus, strenuis, regularibus. Surditatem excipit salivae fluxus, aut parotidum tumores surgunt, marginibus rubris, tensis, inflammatis cincti, neque subsidentes, sed suo tempore pus concipientes. Dum lingua a muco sordido sponte purgatur, aphthae nonnunquam surgunt, marginibus inflammatis circumdatae et in suppurationem abeuntes. Interdum pustulae circa labra scabiosae salubres fuerunt. Saepe tamen, citra haec omnia, lente judicabatur morbus sudoribus calidis continuis.

Dum convalescunt aegri, diu solent languore conflictari, artuum tremore et sensuum torpore, quibus oedemata interdum accedunt et capillorum defluxus.

B. *Varietates.*

a. Febris pituitosa.

§. 83.

Cum in simplici febre lenta pituitae in ventriculo intestinisque abundantis signa occurrant, mirum non est tantam ejus muci in omnibus organis secretoriis copiam gigni, ut facies tota morbi inde ni mutetur, peculiaris tamen fiat.

Dum populariter grassatur ea varietas, symptomata similia praecurrunt ac febrem lentam, si recesseris a rheumaticis levibus doloribus et catarrhalibus adfectibus, qui magis compositam naturam ejus febris signant. Cetero eadem abjectio animi, eadem somnolentia, lassitudo, idem segnis progressus morbi, cujus terrentia symptomata vel plane non, vel obscure sentiuntur; donec horrores crebri cum caloribus modicis alternantes accedunt, quibus adjuncti sunt pulsus frequentiores justo, exiles, molles aut spastici etiam et irregulares. Interea lingua muco tenaci obducitur, rheumatici dolores, coryza et tussis ingravescunt: appetitus prosternitur, fastidium ciborum succedit, cum stramineo sapore, muci copia dentes, nares, labia obsidente. Continua praecordiorum oppletio sentitur, nonnunquam vomituritio et vomitus ipsi mucosi, similis etiam alvus, per quam vermes excernuntur. Lassitudo et animi dejectio quotidie increscunt, post plures dies hallucinationes sensuum accedunt et levia deliria: sopores continui cum torpore et stupore membrorum, quae nonnunquam resolvuntur.

Cum ad acmen morbus pervenit, levis semper febris est, pulsus exigui, calor modicus, sudores tamen copiosi, nullo modo levantes; soporibus adsiduis opprimitur aeger; desipere incipit et floccos legere: suspiria frequentia ducit, neque tamen sui conscius male se habere fatetur. Tandem accedunt animi deliquia, cum alvo cita, pulsuum intermissio, facies Hippocratica, subsul-

tus tendinum, quibus symptomatibus succumbit aeger

Ubi salutem opperiri licet, cum pulsibus fortioribus, mollioribus et magis regularibus oportet sudores universales calidi erumpant, cum pustulis forte pus concipientibus. Expedita adminicula praebent interdum: parotidum tumores in suppurationem abeuntes aut decubitus humorum ad dorsum et os sacrum, quibus incubuit aeger.

Hinc igitur patet, levem tantummodo varietatem febris lentae esse hunc morbum.

b. Tabes dorsalis.

§. 84.

Qui manibus stuprum committunt, aut complexibus venereis nimis gravisi sunt, denique febricula corripiuntur lentissime progrediente, quae huc potius quam ad alios morbos pertinet. Namque dolores ab initio dorsi, sensus formicationis, aquae calidae frigidaeve per lumbos aut os sacrum depluentis, dolor occipitis circumscriptus; sensus glaciei ii loco, qua sutura lambdoidea cum sagittali coit, incumbentis, vertigines et temulentia primaria constituunt symptomata. Ad haec rigor et immobilitas dorsi, ut nec erecti stare nec sine ingenti molestia flecti possint. Musculi faciei contrahuntur, ut senis speciem ferat, cuti universim frigida, pallida, arida.

Initio frequenter erigitur coles per somnia laticemque seminalem profundit, dein vero citra

omnem erectionem, per alvi stimulum aut lotii, per serias etiam cogitationes sese polluit, pene omnino flaccido. Quinetiam collabi verenda visa sunt, aut testes contabescunt, quod Larreyus in militibus gallis, in Aegypto bellum gerentibus, frequenter observavit.

Memoratum dignum est, animi vires plerumque integras manere, illaesum etiam esse appetitum. At vero, dum porrigitur morbus, imaginatio nimis incitatur et pervertitur, sensus hallucinantur. Organico enim sensu adfecto, angitur pectus et animus marcet: horrorum calorumque vicissitudines continuae percipiuntur. Aliis sensibus deceptis, maculae atrae ob oculos versantur, eumdem positum servantes (*Path. gen.* §. 280), quibus amblyopia et ipsa caecitas praesagitur, si praesertim jejuno aegro accidunt. Tum etiam auditus laborare et continuo tinnitu aut susurro vexari consuescit (*ib.* §. 281). Tandem cum robore musculorum penitus prostrato animi vires etiam labascunt, ut anima deficiantur frequenter, ut stolidi fiant et torpidi, ut omnis sphincterum vis pessumdetur, alvus et lotium invitis aegris secedant et nervi penitus resolvantur. His novissime nonnunquam adjunguntur oedemata artuum et exanthemata tetra, quae mortem, unicum miserrimorum solatium et perfugium, adnunciare solent.

C. CAUSSAE.

§. 85.

Populariter primum febrem nervosam lentam grassari, vulgaris est observatio. Tum vero nulli anni tempori adstricta cum febre acuta nervosa jungi atque vel in catarrhales febres vel in rheumaticas abire aut eas excipere solet.

Interdum et manifestum aëris vitium accusare licet. Constat enim, aërem adsiduo pluvium, austris solis et zephyris agitatum, favere maxime huic morbo, familiarem etiam esse locis uliginosis. Quod verno tempore regnet, expositum est e vaporibus terrae recens aratae aut ex effluviis paludum, quarum glacies delicuerit. Haud rarum est, aërem nosocomiorum, carcerum, naviumque occlusum et depravatum ansam huic morbo praebere.

Contagio propagari haud facile concesserim, cum humores minus corrumpantur, ut generari virus contagiosum possit. Qui statuerunt, commutasse formam acutam cum hac lenta videntur: in illa enim multo major humorum corruptio, facilior igitur contagii generatio.

§. 86. *Continuatio.*

Ubi viget dispositio, et aliae caussae morbum gignere valent. Calamitas inprimis publica, bellis et annonae caritate producta, victus tenuis; fructuum herbarumque inertium aut digestu diffici-

lium esus; maxime animi perturbationes infirmantes, moeror continuus, indignatio frequens aut desiderium inexplebile infringere vires adeo valent, ut hic morbus oriatur. Denique studia nimia cum sedentaria vita, et abusus Veneris, praesertim stupra manibus commissa, caussis praecipuis adnumeranda sunt.

His etiam rebus-dispositio acquiritur, quae versatur in tenera corporis constitutione, qua nervorum potestas turbatur, ut modo accumuletur sentiendi facultas modo impetu nimio irruat. Hinc proclives sunt ad hanc febrem, qui stasibus laborant abdominalibus, quippe quae mirum quantum officere regulari imponderabilium per ganglia plexusque distributioni possunt (*Path. gen.* §. 57. 84).

Interest autem inter hanc et alias febris nervosae species id discrimen, quod minor copia imponderabilium generetur, unde debilior etiam accumulatio et blandior impetus per aestum nascuntur. Lente progreditur, quod caussae minus incitando egerunt, sive quia debilior constitutio penum idoneam gignere haud potis est. Quum debilitas praesertim digestionis officinam complectatur, nascitur inde laxitas et pituitae copia per ventriculum et intestina abundantis. Eamdem caussam vermibus procreandis sufficere, supra (*Path. gen.* §. 184) monuimus.

III. Febris acuta nervosa.

A. Simplex.

§. 87.

Typhus acutus dicitur febris, cujus praecipua symptomata versantur in nervorum encephalique adfectibus, citra praeviam organi cujusdam laesionem. Ubi enim haec praecesserit, inflammato viscere quodam aut exulcerato, contingere quidem pleraque hujusmodi symptomata possunt, neque tamen typhus dicendus est, nisi sedes etiam morbi in nervis quaerenda fuerit. Id autem tum e symptomatum concursu tum ex absentia signorum, quae alienam adfectionem produnt, tum e cadaverum hoc morbo enecatorum dissectione probari potest.

§. 88. *Continuatio.*

Terrentia morbi difficulter cognoscenda sunt, cum larvatus plerumque incedat et vel rheumaticam febrem vel catarrhum etiam simulet. Dolores igitur vagi, laucinantes artuum, pectoris, capitis manifesto in velamento musculorum celluloso-fibroso sedem habent, quibus vel coryza vel tussis vel etiam inflammationis quaedam species accedit, cum aestus sit ingens, pulsus satis celeres pleni et fortes, rubicundus faciei adspectus, insomniae continuae et vesaniae etiam. Interdum ita orditur morbus, ut et appetentia ciborum plane desit, gustatum queratur aeger mucidum, amarum lingua sordibus obducatur, praecordia pondere

quodam et plenitudine graventur, continuum accedat fastidium et vomituritio etiam, unde gastricam indolem febris facile aliquis statuere possit.

Fucum tamen facere ejusmodi initia, neque vere inflammatoria esse aut gastrica aut rheumatica, persuasissimum habeo, cum indoles popularis morbi, aegri diathesis, et creberrima morbi sibi commissi declinatio ad manifestos nervorum adfectus larvam eam detrahere valeant. Siquidem et adminicula speciei illi, quam praefert morbus, idonea, tantum abest, ut a typho ipso caveant, ut potius in eum praecipitent et periculum maligni morbi augeant. Haud inficior, dum inflammatio vigere videtur, aquam frigidam, qua membra foventur, saepe proficuam esse, opitulari etiam cucurbitulas locis, ad quae sanguis maximo impetu fluere videtur, impositas, sed sanguinis ipsam missionem ancipitem esse pronuncio, ni composita sit febris natura, ut ab initio veram inflammationem subesse probatum sit. Pariter opem ferre possunt, ubi sordes ventriculi abundant, emetica, dum obstacula curationis removent, sed fidere iis solis atque vel evacuantibus remediis vel resolventibus pergere, ni vera adfuerit compositio, maxime noxium est.

§. 89. *Continuatio.*

Saepe etiam absque his larvis morbus orditur languore virium insolito, nec a manifestis caussis exponendo, animi morositate et desponsione, somno inquieto et somniis terrificis, temulentia capitis,

ubi expergiscitur, lassitudine sensuum etiam mediocriter exercitorum, frequente cordis palpitatione, pulsibus lentis, intermittentibus, appetentia ciborum deperdita et urina turbida.

Nonnunquam, si populariter grassatur morbus et contagio propagatur, subito oritur, citra prodroma omnia. Stupor repentinus artuum cum dolore capitis et temulentia; virium dejectio stupenda ipsaque animi deliquia interdum scenam aperiunt. Nullos, praeter capitis, dolores queritur, sui plane nescius; visu, auditu sensuque organico depressis. Hinc continuam habet nebulam ante oculos, auditum graviorem, odoratum gustatumque fere nullum. Quae alioquin amore aut desiderio complecteretur, nullo modo eum adficiunt: nihil poscit: nihil quaerit, aut quaesitus lente ac interrupte respondet. Nonnulli vitae taedio et animi desponsione tantopere torquentur, ut undique se periculis et terriculamentis cinctos esse existiment, continua suspiria ducant et amicos familiaresque oderint. Alii, qui strenui alioquin essent aut feroces animo, insolitam morum suavitatem et animi quietem monstrant, nec hi quidquam queruntur, sed bene se habere semper respondent. Vox solet esse rauca et debilis, loquela blaesa et obscura. Sitis rarissime adest, licet lingua sicca sit et aspera, aut muco siccescente et fusco obducta.

Oculorum acies plane obtusa est, splendor amissus, motus tardi, pupula lente contrahitur aut immobilis omnino fit; lacrimae continuo depluunt, vel sine caussa animum adficiente. Pulsus solet esse

varius, modo naturalis, jam frequens, sed plerumque exilis ac irregularis. Cutis nonnunquam ardet, sine ulla perspiratione, vel sudores etiam promanant e capitis collique superficie viscidi et frigidiusculi.

Sopores interea continui cum nervorum resolutionibus tendinumque subsultibus, carphologia etiam juncti, infausta quaeque ominantur. Singultus enim et alvus liquida, inscio aegro secedens, ventris inflatio cum flatibus copiosis, urina continuo lutosa, pulsus frequentia et parvitas continuo aucta, spiritus frequentius ducti, anhelitus, facies Hippocratica et oculi fracti mortem brevi accessuram portendunt. Interdum exanthemata miliaria aut maculae fuscae, cruentae per pectus et abdomen sparguntur, quae pessima quaeque augurari jubent, ubi neque pruritum, neque ullum sensum producunt.

Tandem mors consequitur vel muco intra resolutam fistulam spiritalem acervato, vel velut attonito aegro ac apoplexia correpto, vel lenta partium omnium resolutione.

§. 90. *Continuatio.*

Alia est morbi facies, ubi e larva rheumatica aut inflammatoria nascuntur dolores capitis pertinaces, cum insigni sentiendi facultatis augmento. Praesagire autem desipientiam et sensuum hallucinationes ejusmodi dolores solent, maxime enim ingravescunt, cum oculi clauduntur. Nec apertos habere potest aeger prae nimia sentiendi facultate,

qua fit, ut sueta luminis vis dolores producat atroces. Marmarygae etiam aut scintillae continuo ob oculos versantur, pupula coarctata est et nimis mobilis. Auditus nimis acutus, ut vulgares sonitus molestias faciant, susurrus etiam continui audiantur. Odoratus gustatusque pariter adfecti sunt. Sensus organici adfectio proditur angoribus perpetuis et terroribus, quibus aegri torquentur, quippe vesperi magnopere increscunt; pulsibus simul frequentissimis, spasticis et irregularibus. Protinus ut obdormiscit aeger, terriculamenta ob oculos versantur, quorum fallaciam licet perspiciat, nequit tamen sibi ab iis cavere. Qui quidem conatus irriti, phantasmata ea removere, ut quiete obdormiscat, angores augent et in delirium praecipitant. Nonnunquam e naribus stillat sanguis sine ullo levamine (*Coac.* 36. 57. 133).

Nullus autem accessionum ordo, etiamsi initio tertianarum typhum servare febris videatur. Nec manifestae sunt frigoris calorisque vicissitudines: modo enim horroribus adsiduis et caloribus simul obortis vexatur aeger: modo aestu continuo ae nequaquam semet remittente: modo calor mediocris est cum siti vel intensa vel nulla, lingua etiam modo arida, jam mediocriter humida. Pulsus maxime varii, tremuli interdum, frequentiores semper, duri et irregulares. Spiritus difficulter et frequenter ducuntur: anhelitus quo gravior, eo gravior morbus est.

§. 91. *Continuatio.*

Vires indies magis tractae cum nervorum distensionibus ἀκμὴν morbi produnt. Tremores artuum, tendinum subsultus, praecordia tensa spasticos signant insultus, qui cum delirio incrementum morbi et ἀκμὴν comitantur. Vesperi maxime artus convelluntur, dum febris increscit, aut soli faciei musculi distrahuntur, quod *risum sardoum* nominant (*Path. gen.* § 245); aut pharynx constringitur, sphincteres etiam et ani et vesicae. Nonnunquam spasmi ventriculum occupant, unde continua vomituritio et irrita, vel pectoris musculi convelluntur, aut oculorum, unde strabismus et truculenta oculorum rotatio.

Delirium est vel furibundum, quod ad praegressam virium infractionem accedens, mirifice saepe musculorum vires auget, eoque magis et irreparabili modo prosternit. Vel blanda est desipientia aeque periculosa, ubi mussitare solummodo, labia motitare et carpere floccos digitis solent (*Coac.* 76. 100). Vox interea mire alienata, aut rauca est et clangosa, aut debilis et stridula (*Praedict.* 1, 47. *Coac.* 99). Cutis continuo arida, aut sudores frigidiusculi, visciduli circa caput et collum nascuntur, quos cum rigores denuo exorti sequuntur, letale est aut metastasin portendit (1).

---

(1) *Οἱ πυκνὰ ἐφιδροῦντες καὶ ἐπιῤῥιγέοντες, ὀλέθριον.* Coac. 10.

maxime cum urina vel intercipitur vel aquosa est cum nubecula summum petente et radiata (*Praenot.* 80). Sequitur coma cum frigidis membris, stertore, singultu, anhelitu difficilimo et placida mors.

§. 92. *Continuatio.*

Melioris notae praesagia formare licet, ubi vires ab initio haud penitus pessumdatae, nec delirium continuum est, sed vesperi duntaxat et noctu adest; si oculorum acies et vocis indoles haud valde a naturali declinant; si urina ante turbida, clarescit, satura est et nubeculam format subsidentem aut dum arenulas fuscas, salium crystallos matulae parietibus adhaerentes habet. Optimum omnino praesagium formare licet, si his accedit somnus profundus, quietus, cum pulsibus magis elevatis, fortioribus, mollioribus, tardioribus (1): postquam ad se redit aeger, vires sentit recreatas et sudat.

Confirmant nonnunquam judicationem exanthemata miliaria, quae, praeviis iis signis, marginibus tumidis cincta, persistunt, nec illico iterum subsidunt: furunculi ac decubitus ad loca, quibus aeger incubuit; dein parotidum tumores inflammati, qui pus concipiunt, et salivae fluxus. Surditas etiam plerumque bonum exitum augurari ju-

---

(1) *Ὕπνοι βαθέες, μὴ ταραχώδεες βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν.* Coac. 151.

bet, cum alvum sistere soleat: haec enim cita mala quaeque ominatur (1).

Id tamen maxime monendum est, in simplici et magis benigno typho periodum septenarium observari, ut, ni septimo, decimoquarto, vicesimoprimo die judicetur morbus. In composita febre autem alienus viget circuitus, ut et undecimus dies possit criticus esse.

Lente tamen convalescunt, diuturnis ulceribus vexati, quae vesicatoria excipiunt aut gangraenosa loca e decubitu humorum orta. Interdum surditas aut gravior auditus superest, gradatim tandem sublatus: vidi etiam amblyopiam ipsamque caecitatem, quae denique fortioribus incitamentis cederet. Stupor artuum aut ischias atrox, aut resolutio nervorum in membris per plures superesse potest hebdomadas. Memorabilis est typi vegetativi, propter sensiferae vitae debilitatem, intemperantia, siquidem observatum est, lymphae coagulabilis guttulas nonnunquam in tumores abire, et cutim, post exanthemata, magnis crassisque escharis secedere (*Sachse: von der häutigen bräune*, 124, *Kieser in Hufel. Journ.* J. 1812. St. 1).

Generatim vero monendum, prognosin in hac febre magnopere esse fallacem, cum malignitas morbi regularem decursum impediat. Quotidie enim videmus aegros repente praecipitari, qui nulla aut pauca symptomata pessimi ominis passi fue-

---

(1) *Εν πυρετοῖσι κώφωσισ κοιλίην ἐφίστησιν.* Coac. 191.

rant, alios autem convalescere, quorum salutem ars desperaverat. In pulsu nequaquam fiducia collocanda, quippe qui in summo periculo optimus, pejoris notae esse potest, si melius omnia cedunt.

§. 93. *Continuatio.*

Cadaverum sectiones post eum morbum ancipites sunt: tum propter insidias, quas vitae secantis ponit contagium e putrescente cadavere ortum, tum ob fallax judicium, ad quod aliquis seducitur, qui effectus agonis ab effectu morbi necessario rite distinguere nescit. Citissima putredo, quam cadavera concipiunt, vel incitantium remediorum, opii, moschi, aetherum, copia tribuenda est, vel e nervorum labe, huic febri peculiari, repetenda. Etenim visa sunt nervorum velamenta magnopere inflammata, imo cruenta, e quo destructam esse et interiorem compagem facile conjicies (*Reil: exercit. de nervis*, p. 20.; *Sömmerring: vom nervensast*, 125). Eum effectum hujus morbi necessarium arbitror, dum nulla per nervos conductio viget, dum penitus resoluta sunt membra, sensusque omnis abolitus.

Nisi ad hanc nervorum labem respexeris, nihil saepe in cadaveribus abnorme invenies; vel solam pituitae abundantiam in intestinis, polyposa in cordis atrio dextero concrementa aut pulmones sanguine farctos et quasi hepatis duritie praeditos. Quae quidem phaenomena tum ex agone tum e levibus morbi et fortuitis effectibus repetenda sunt.

Vasa cerebri turgida et colluvies serosa, quae post Lieutaudium et Jacksonium multi alii repererunt, apoplexiae potius sunt, qua aeger enecatur, quam necessarii febris ipsius effectus. Quodsi vero inflammationes meningum, pulmonum et viscerum abdominalium in conspectum prodeunt, composita potius fuit natura morbi, quam simplex.

IV. Compositiones febris et varietates.

a. Compositio cum inflammationibus.

§. 94.

Satis vulgares sunt populares morbi, qui cum acuta magis quam lenta febris forma dolores atrocissimos capitis, pectoris et viscerum abdominalium habent junctos. Maxime vero encephalitis aut meningitis ab initio ita consociari solet cum febre acuta nervosa, ut et nostris temporibus contendant nonnulli, hanc febrem nil esse nisi inflammationem encephali et meningum. Id autem temere magis, quam vere dici compertum habeo. Namque in iis, quarum imaginem exhibui, simplicibus formis nequidquam inveniri potest, quod ratiocinium id firmare possit, nisi ad capitis dolores respexeris, qui vero cum nec perpetui sint, nec huic febri peculiares, abstinendum ab iis esse arbitror. Quodsi vero inflammatio ea meningum aut encephali accedit, necessaria est dolorum continuorum atrocia, tum capitis intimas partes, tum oculos infestantium, necessaria est adsidua insomnia; furor necesse est accedat, ruberrimus faciei adspectus et albugineae; pulsus concitatissimus; ardor

immanis, nusquam sese remittens; urina intercepta et nervorum distensiones tetrae. Quae ubi contingunt, recte judicaveris, encephalum et meninges inflammatione corripi. Confirmatur id judicium cadaverum sectionibus, quae gangraenosas meningum inflammationes et apostemata encephali inventa monstrant (*Penada: in Weigels ital. bibl. B. IV. St. 1. S. 124. Pringle: von den krankh. einer armee, p. 357. 388*).

Pariter inflammationes ventriculi, intestinorum et pulmonum accedere possunt, quae doloribus atrocibus continuisque partium, functionumque laesione continua insigniuntur (*Chisholm: in Edinb. comment. Dec. II. B. 8. S. 38. 45. Morgagni: ep. 30. 4; ep. 55. 11. Stoll: rat. med. VII. 188*).

b. Typhus contagiosus.

§. 95.

Anomala nascitur febris species tum e contagii violentia, tum ex aegri constitutione praegressa, adfectibus viscerum peculiaribus, tum etiam e caussis singularibus, victus vitia aut alias res complectentibus.

Utut varia sint symptomata, princeps tamen est et palmarium stupor, inertia et segnities omnium functionum (1). His accedere solet hepatis

---

(1) Τυφώδεες λέγονται πυρετοὶ, οἱ μετὰ νωθρείας γιγνόμενοι καὶ μετὰ ἐπιτάσεως ἐξιστάμενοι. *Erotian.* Expos. voc. Hipp. p. 356.

adfectio, quam e dolore obtuso hypochondrii dexteri, e fastidio ciborum, amarore gustatus, ructibus amaris et sordibus linguae biliosis divinaveris. Medicum incautum decipit nonnunquam haec anomalia, ut pro gastrica febre habeat, sed praevalentia nervosa symptomata et popularis morbi indoles errorem depellere valent. Interdum initio jam adsunt alvi fluxus, cum doloribus intestinorum et abdominis inflatione fere continua; nulla praeterea deliria, neque aliae nervorum distensiones, quam levis tendinum subsultus et crocidismus per somnum. Cetero rara adest hilaritas mentis, quae pessimum format praesagium, si cum debilitate summa contingit.

Sudamina aut miliaria exanthemata, aut maculas etiam sine ullo sensu in pectore subnasci saepissime observatum fuit. Quae quo celerius subsidunt ac evanescunt, eo pejora ominantur. Ulcera nonnunquam e decubitu metastatico nascuntur, profundas partes doloribus summis exedentia, angulosa ambitu, facilime gangraenam concipientia, fundo pultaceo, marginibus flaccidis, cinereis: his ulceribus etiam tendines subjacentes devastantur: dum sanescunt, margines elevantur, extus vertuntur, ut cum tela cellulari subnata evanescant.

Interdum etiam cum gravioribus symptomatibus, loquelae defectu ob resolutionem linguae, pondere corporis ingenti ob impotentiam aegri, parotidum tumoribus flaccidis et sensu destitutis aphthae apparent in lingua et oris ambitu, quas excipere solet vermium per alvum ejectio. Anxia

aegri jactatio, torporem subito sequens, mortem pedissequam habere solet (1). Pessima etiam est anxietas post torporem cum tenui sudore et alvo effusa (*Coac.* 521).

§. 96. *Continuatio.*

Contagio hanc febrem propagari, inprimis dum populariter grassatur, exploratum habemus. Quali autem vehiculo utatur, et quonam potissimum stadio morbi evolvatur, ambigendum est. Humoribus mucosis oris et narium, tanquam vehiculo frui quanquam haud absonum sit, exstant tamen plura exempla, ubi, dum cutis et lingua arescunt, nequaquam per contactum, sed per usum ejusdem atmosphaerae infectio perpetraretur. Probabile tamen est, exanthemata vel miliaria vel maculosa fovere praeprimis contagium.

Est omnino fugax et levissimum aliquid, quod nervos proxime adficere ac per totum corpus momento citius diffundi potest, quoniam torpor ille, temulentia et stupor initium morbi constituunt (*Path. gen.* §. 156. 15-). Neque tamen impedit fugax haec veneni indoles, quo minus adhaereat quandoque fomitibus, lanae et rhenonibus, linteis etiam minus purgatis et elotis, quorum ope potest sanos inficere, dum dispositio adest.

Diathesis ad contagium recipiendum versatur in teneritate corporis et sentiendi facultate aucta

---

(1) *Νάρκη ἐς ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτουσα, κακόν.* Coac. 56.

(*Path. gen.* §. 159). Hinc increscit diathesis animi commotionibus, quibus virium robur infirmatur victu tenui et digestu difficili, complexibus venereis crebrioribus aliisque rebus, quae infringere vires possunt. Tollitur dispositio ipso morbo, ut, qui convaluerint per aliquod tempus, impune infectioni semet exponere soleant. Minuitur etiam ulceribus vel natura vel arte excitatis, quibus subito nonnunquam egeritur, quidquid vitae infestum futurum est (*Path. gen.* §. 28. 29). Detrahitur aliquid infectionis vi frigore aëris, unde hyeme decrescere violentia typhi consuescat. Sed cutis frigus, dum ardet aeger, favet infectioni (*Hildenbrand: über den ansteckenden typhus*, 128). Minuitur etiam contagii vis senio, quod sentiendi facultatem minuit; aetateque ea, qua sanguinis cursu et alii fluxus habituales sunt.

§. 97. *Continuatio.*

Ubi sparsim obvenit morbus, vel aëris depravatio accusanda est, aut putrida effluvia, quibus Bichatus enecatus fuit, vel electricitatis ratio turbata (*Path. gen.* §. 132). Nonnunquam animi commotiones arguendae sunt, quibus Wagnerus febrem illam popularem tribuit, quam Lubecae 1736 observavit (*Haller: diss. pract. II. p.* 170). Annonae caritas et publicae calamitates, bello ortae, tum saepius olim, Baronio et Rasorio testibus, tum eo anno, quo haec conscribo, per totam fere Germaniam febrem malignam produxerunt.

Utramque febris nervosae speciem, et acutam

et lentam, licet non essentialem existimo, ab aliis omnibus ita tamen differre arbitror, ut in nervis, gangliis encephaloque adfectis sedem habere videatur: quod vel ipsa cadaverum sectio, corruptis nervorum velamentis, probat.

CAP. VIII.

DE FEBRIBUS PUTRIDIS.

I. Generatim.

§. 98.

Quodsi per febrem remittentem symptomata ea praevalent, quae secessum humorum in putredinem vergentium produnt, *febris putrida* vocatur. Tam finitima est febri nervosae acutae, ut, si ab iis recesseris symptomatibus, eadem plena esse videatur.

Quam Galenus *σύνοχον μετὰ σηπεδόνος* (synochum cum putredine) vocavit, magis etiam universe de iis febribus intelligenda est, in quibus humores mutantur. Putredinem enim disertis verbis dixit (1) esse non simplicem, sed cum coctionis quadam specie junctam, comparavit insuper cum humorum mutatione, quam in inflammatione experiuntur: unde etiam in cocta urina, e qua,

---

(1) Ἡ *μὲν δὴ τοιαύτη σῆψις οὐχ ἁπλῶς σῆψις ἐστὶν, ἀλλὰ τὶ καὶ πέψεως ἔχει.* *Galen.* Differ. febr. 1. p. 324.

quod desidit, album est et leve, putredinem adesse statuit.

§. 99. *Continuatio.*

Initia autem hujus morbi duplicem potissimum habent speciem, vel inflammatoriam vel biliosam, utramque febri ardenti adnumerandam. Dum vero populariter grassatur, fulguris ad instar, nonnunquam repente homines prosternit. Horrores universi corporis sequitur ardor cum capitis doloribus vehementibus et temulentiam inferentibus, cum pulsibus concitatis, plenis fortibusque; crebro et vehementer spirat aeger, pectoris angores conqueritur et vigilias perpetuas: nonnunquam tamen p[illegible]tinus initio soporatur. Praecordia plena, tumida sunt, gustatus amarus, ructus similes, lingua sordida, vomituritiones cum fastidio ciborum, praesertim carnium, cupiditate vero vini, fructuum horaeorum et acidorum potuum. Ad haec accedunt urina turbida et lutosa, foediores dejectiones, tardior sensus, mens pigrior; faciei quidem rubor, sed circa genas lividus ruboris ambitus, palpebrarum internae paginae plumbeus color aut turgidorum vasculorum, quibus perreptatur cuticula, livor. Quibus indiciis intelligitur, vergere morbum ad putridam indolem.

Singulare autem ac proprium maxime huic morbo est aestus, horroribus interceptus, mordax, aridus quidem, sed quandoque sudoribus per collum et caput stipatus, cum capitis perpetuo stupore et languore virium (*Path. gen.* §. 234). Sudores

nullum levamen adferunt: neque ardor, ut ut vehemens, pulsus tollit, qui exiles, languidi et frequentissimi esse consuescunt. Angores e pectore aut praecordiis nati aegrum torquent, atque nonnunquam statim initio transeunt in dementiam, taciturnam eam et motibus digitorum junctam, ut floccos legat aeger, fimbrias diducat, vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpat. Offusae oculis tenebrae, auditus gravis, tremores artuum, vox debilis, blaesa aut clangosa.

Interdum ferox adjungitur delirium, cum truci oculorum obtutu, dum, quod naturaliter albet, jam rubescit, et continuo rotantur, lacrimae profunduntur, caruncula lacrimalis cruenta est. Si quis, specie morbi deceptus, venam secuerit, sanguis vel nullam crustam phlogisticam, vel pultaceam solummodo et lividam adipiscitur, plerumque floridus est et dilutus.

§. 100. *Continuatio.*

Ingravescit morbus, cum ad ardorem continuum mordacem sudores accedunt, copiosi quidem, sed foetidi, viscidi, nulloque modo levantes; cum lotium mittitur magis turbidum, et jumentorum urinam referens, foeditatem odoris prodens; cum sordes oris, linguae, labiorum et dentium fuscescunt; cum alvus liquescit et foetet; cum rubor genarum etiam magis livescit; utique, cum oculi magis caligant, mens continuo delirat aut soporatur; cum languor virium magnopere auctus est, pulsus magis subsidunt, ordinem nullum servant; cum de-

nique abdomen inflatur, extremae postremo partes forte inalgescunt, cum ardore ceterarum.

Haud novum est, ad haec sanguinem profundi, vel e naribus, vel cum alvo aut lotio, vel etiam per vias sudoris prorumpere. Is haud facile coït, sed celerrime penitus corrumpitur.

§. 101. *Continuatio.*

Nec desunt in summo morbi vigore symptomata, inflammationem visceris cujusdam prodentia, praecipue meningitidis, quae doloribus atrocissimis lancinantibus capitis, furibundo et continuo delirio, capitis et oculorum ardore et rubore saturo, photophobia et pupula contracta, aut scintillis adsiduis ante oculos sese exhibet. Interdum cum inflatione ventris dolente ischuria juncta et pulsus frequentissimi, exiles, inflammationem intestinorum repraesentant. Subinde angores pectoris cum creberrimis et ardentissimis spiritibus, sputis etiam cruentis metum pneumoniae symptomaticae injiciunt.

Denique accedunt exanthemata, vel miliaria, in pectore parum prominula, pallida, brevi subsidentia, nullum levamen adferentia, sed angores pectoris augentia; vel serpentia oris ulcuscula, quae ἄφϑαι vocantur, ut plurimum livida, marginibus flaccidis juncta celeriterque finitimas partes vastantia; vel maculae cutis, pulicum morsibus initio similes, dein latescentes in palmae ambitum, nunquam vero tumidae vel pruritum excitantes, cruentae aut lividae: interdum stuporem artuum adducunt et pessima quaeque portendunt.

Saepius et inguinum aut parotidum glandulae tumescunt, sed citra dolorem ac inflammati ambitus speciem: livescunt potius et flaccescunt, neque pus bonum concipiunt. Nonnunquam cum alvo liquida putrique vermes decedunt, quod saluti esse nequit.

§. 102. *Continuatio.*

Morbi malignitas interemtura est aegrum, si maculae eae aut glandularum tumores putrescunt et in sphacelum abeunt; si sanguinis profusiones aegri vires exhauriunt; si nervi resolvuntur, ut invitus insciusque aeger alvum fundat, lotium mittat; si supinus cubat et velut attonitus, soporibus oppressus et adsiduo stertens, aut si ad lecti marginem inferum devolvitur.

In praecipiti esse indicium est, si furit, membris convulsis, pulsibusque magis magisque depressis; aut dum continuo mussitat aeger floccosque legit; dum horret cum ardoribus partium externarum; dum vox est obscura aut stridula, loquela blaesa; dum vehementer et crebro spirat, utique dum singultibus torquetur; dum urina spasmis intercipitur et tendines palpitant.

Sopores autem et apoplectici insultus, aut sphacelus internarum partium, inflammationem excipiens, aegrum enecare consuescunt.

§. 103. *Continuatio.*

In meliore spe est, dum pulsus molliores fiunt, majores cum sudoribus calidis, levantibus,

aut dum miliaria versus ἀκμὴν erumpunt, tensos et inflammatos margines habentia; dum ex urina, quod subsidit, album est et leve, aut dum micant ad matulae parietes arenulae crystallos salis continentes; utique si obsurdescens aeger parotidum tumores habet inflammatos et ad suppurationem spectantes; si vox clara est et loquela naturalis; si oculorum acies restituitur, pupula naturaliter mobili; si cum pulsibus bonis et sudoribus calidis aurigo corpus occupat, quae si post urinam coctam neque praecocius justo apparet, brevi judicatum iri morbum ominatur (1).

Continua cetero haec febris accessiones habet adeo confusas, ut nec tempora earum nec spatia possint notari. Septenarius tamen dierum numerus praevalet.

Id ante omnia tenendum, in hoc morbo pariter ac in febre nervosa praesagia pleraque ambigua esse, et modo cum pessimis signis convalescere aegrum, modo cum bonis auguriis perire. Omnia autem simul sumenda sunt signa, neque uni fidendum.

Ex toto autem tutus non est, etiamsi convalescat. Vel enim viscera inflammatione adfecta tabem concipere possunt: vel, citra hunc metum, sensuum torpores supersunt, qui coecitatem, surditatem aut membrorum resolutiones producere va-

(1) Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν. Aph. 4, 64.

sent; vel laxatus penitus corporis ambitus hydrope inter cutem aut oedematibus longis corripitur; vel fame canina convalescens conflictatur, cui obtemperans facilime novas sordes, novum igitur fomitem recidivae, contrahere potest. Non rari etiam sunt dolores arthritici morbi superstites.

Tutissimum est, scabie spuria seu intertrigine (*Path. gen.* §. 267. n. 4), furunculis etiam corpus obsideri, quibus securitas sanitatis sequuturae promittitur.

II. Varietates.

§. 104.

Innumeri fere sunt modi, quos febris haec vel a popularis morbi indole, vel a rebus aliis, aegri peculiari constitutione ac climate ipso accipit. Nequaquam autem specierum numero accensendi sunt, cum natura morbi eadem maneat.

Sic, quam *helopyram* Swediauerus nuncupat, quam alii *castrensem febrem*, aut *carcerariam*, *navalem*, *nosocomicam* denique, nil est, nisi modus quidam febris putridae, a corrupto aëre repetendus. Simili rationi judicandum de febribus Eyderostadiensibus, quarum imaginem Dethardingius exhibuit (*Haller: diss. pract. V.* 249) atque de morbo hungarico Hagymaz, quem ab anno 1566 inde in udis Hungariae regionibus quotannis communem observarunt (*Thom. Jordan: pestis phaenomena. Frcf.* 1576. *Schuller: de morbo hungarico, in Haller diss. pract. V.* 361).

Ordiuntur ejusmodi febres plerumque capitis doloribus immanibus temulentiam producentibus, qui cum frequentissimi sint, solent vulgo occasionem praebere, ut ipsum morbum a parte maxime adfecta appellet: accepimus enim *capitis morbum* saepe fuisse vocatum. Nonnunquam praecordiorum dolores et anxietates palmarium constituunt symptoma, quod a primordio inde constans observatur. Alii ardorem viscerum continuum queruntur cum algore extremarum partium: omnes vero languore virium summo, temulentia capitis, delirii variis speciebus, soporibus et diversis putredinis indiciis adfliguntur. His adnumerandae foetidae dejectiones, sudores foetidi, vomitus initio porraceus, dein etiam putridi aliquid olens, maculae cruentae aut vibices etiam marmorei, lingua jugiter sordida, fusca aut arida et fissa. Gangraenosa denique ulcera finem morbo imponere solent.

§. 105. *Continuatio.*

Ne continuo repetam similia symptomata. hystoriam *febris nosocomicae* adjungam, qualem ipse observavi. Fallax plerumque initium est, dum leviorem morbum pollicetur, graviora metuenda relinquit. Horroribus protinus initio et caloribus fugacibus, languore insolito et defatigatione membrorum adfligitur, quibus adjungunt semet capitis dolores, dolores artuum vagi, cum vertigine, fastidio ciborum et vomendi conatu. Somnus turbulentus, somnia tumultuosa sunt, crebro per somnum et vehementer spirant: pulsus etiam, dum exper-

giscuntur, concitatior justo est. Animus marcet et vel pessima quaeque extimescit, vel omnino nullum habet morbi sensum, ut bene se habere adserant. Vultus etiam tristis, torvus, insolitum quid ferox aut mansuetum exprimit. Oculi caligant, aures obsurdescunt: aeger quiete cubat aut frequenter pavoribus suscitatur.

Dum ingravescit morbus, nullae statis temporibus ordinatae accessiones; sed confusae horripilationes et aestum promiscue habent. Aestus autem semper mordax est, pulsibus magis depressis, quo vehementius incalescit. Desipere continuo solet, oculis lucem refulgentibus et cruento ejus, quod naturaliter album est, adspectu. Angores exprimunt internos tum vultus tristitia, tum vox tremula, gemebunda, tum continua suspiria, tum denique motitatio digitorum, quasi aliquid carpturi sint. Sudoribus solet corpus diffluere, lingua continuo arescere et sordibus fuscis obduci, alvus colliquescere foetidis humoribus. Urina turbida est et jumentariae similis.

Plerumque sibi commissus morbus aegrum praecipitat. Sanguinis enim cursus e naribus, profusio per alvum, vomitum, per gingivas etiam: maculae cruentae ac vibices corpus obsidentes: inguinum tumores flaccidi cum virium lapsu ingenti, ad extremum ventum esse signant. Consequitur autem mors placida, ut vel soporibus interimantur, vel dum e delirio ad se redeunt ac hilaritatem quamdam mentiuntur.

III. Caussae.

§. 106.

Cadaverum sectiones caussam revelare nequeunt, effectibus potius morbis proditis. Etenim inflammationum praegressarum vestigia, sphacelus viscerum aut ea corruptio, qua emarcida dilabuntur contactu, sanguinis liquidissimi foetor, musculi flaccidi et pultacea mollitie insignes putredinis potius sequelae sunt, quam id quod morbum genuit.

Itaque ad caussas primum externas confugiendum est, ut, quid hae, cum internis collatae, efficere possint, pateat.

§. 107. *Continuatio.*

Primaria autem caussa quaerenda est in contagio, seu effluviis tenuissimis corporis aegroti, quibus valetudo propagatur. Odore singulari praeditum esse id contagium exploratum habemus. Qui enim vel limina carcerum, nosocomiorum, vel navium tabulata salutaverint, singulari modo eum aëra foetere adseverant. Quin Howardus vestimenta iterata carcerum visitatione tanto foetore narrat esse imbuta, ut, impatiens ejus, non curru sed equo vehi saepius fuerit coactus. Alii illum foetorem cum vapore e tumulis recenter effossis adsurgente comparant: alii straminibus in putredinem abituris similem pronunciant. Habet autem foetidum id contagium singularem vim, vel stoma-

chum petere vel caput vel sensuum organa, ut modo fastidium ingens, modo temulentiam et ebrietatis speciem, modo caliginem oculorum producat. Interdum tamen praeter horrores et virium quamdam lassitudinem initio nihil pejoris ominis generat.

Quibus adhaereat humoribus contagium, haud sine contentione est. Perspirabile tamen cutaneum princeps esse vehiculum, exploratum habemus. Immunes autem esse et sanguinem et lac mulierum, experientia docuit.

§. 108. *Continuatio.*

Praeter contagium manifesta caussa est aër paludosus, corruptus, hominum aut carnium et animalium mortuorum effluviis contaminatus. Hinc in castris, urbibus obsessis, hybernaculis militum, carceribus, navibus, quae militum nimiam copiam gestant, in nosodochiis et orphanotropheis magnopere saevit (*Path. gen.* §. 94. 129. 130).

Populariter grassari eum morbum compertum habemus. Nonnunquam annonae caritas, miseria populi, calamitates publicae in censum veniunt, ut epidemica saevitia lucem accipiat. Non ignoramus tamen, saepe absque ulla caussa manifesta, citra aëris manifestam depravationem, per plura anni tempora grassari morbum, ubi multo magis generalem et cosmicam agnoscit caussam (*Path. gen.* §. 40).

Rarius contingit, febrem hanc e peculiari caussam oriri. Namque, licet credibile est, e re-

tentis humoribus ad excretionem paratis, e carnium corruptarum usu ac e stagnantium humorum depravatione ortum petere posse, ambigua tamen sunt ejus ortus exempla.

§. 109. *Continuatio.*

Sed maximi momenti est opportunitas singulorum hominum, quae huic morbo favet. Pauperes, dum popularis est morbus, ii magis obnoxii sunt quam opulentiores, qui vel habitaculis gaudent salubribus, vel cibis potibusque fruuntur lautioribus, vel miseria ea ac aerumnis haud opprimuntur, quibus egeni conflictantur. Quantum possint animi perturbationes, utique aerumnae, ad dispositionem augendam, bellorum plurium memoria testatur: victus enim exercitus semper multo magis febre castrensi vexatur, quam victor. Dein memorabile est, deleri opportunitatem morbo ipso ut nec Dayus (*Considerat. on removing of infections air*, p. 55 sq.) nec alii bis eumdem viderint hominem febre carceraria laborasse. Consuetudine etiam minui potest opportunitas; nam medici et qui curam aegrotorum suscipiunt, continuo eos visitando raro infectionem experiuntur. Possunt tamen et hi, qui immunes a contagii effectibus sunt, idem cum aliis communicare. Carceribus enim dimissi, optimaque fruentes valetudine, seminia tamen hujus febris in omnes dispergere memini, quibuscum uterentur.

§. 110. *Continuatio*.

Consideratis omnibus, quae (*Path. gen.* §. 93) de natura ac indole putredinis et alibi (*ib.* §. 156. 157) de efficacia contagiorum praecepimus, necesse est largiamur, contagium hoc ea violentia agere in nervorum systema, ut et in humoribus secretis multiplicetur et functiones vitales penitus infringat. Inimica haec vitae substantia, hydrogeni ut videtur subdita, simili celeritate agit, nervorumque imperio infesta musculorum etiam compagem laedit et ipsum sanguinem proclivem reddit, ut particulae remotae facilius secedant.

CAP. IX.

DE FEBRE FLAVA TROPICA.

§. 111.

Typhus icterodes dici potest febris intra tropicos satis frequens, et nonnunquam contagiosa, quae adfectibus hepatis stipata incedit. Quodsi aurigo palmarium est symptoma, ad febres haec nostrates accedere etiam solet, sed nec constans est symptoma, nec iisdem comitibus cinctum est ac in tropica illa febre accidere consuescit. Haec autem tantum abest, ut sui generis sit ac peculiaris, ut potius, optimorum auctorum testimonio, cum febribus vulgaribus remittentibus adfinitatem servet, ut et Mosoleyus contenderit, cum causo veterum eumdem constituere morbum.

§. 112. *Continuatio*.

a. Benigna ejus forma.

Intra tropicos qui observarunt popularem hunc morbum, praecipue Angli, Rob. Jackson, Jo. Moultrie, Sam. Browne, Frid. Georg. Eyman, Hillarius et Rushius, benignam cognoscunt formam, neutiquam contagiosam, sed udis paludosisque regionibus familiarem, dum anni tempus aestuosum adest.

Orditur autem ponderis, doloris obtusi sensu in praecordiis, utique in jecinore, cum fastidio ciborum gustatu vapido, lingua mucosa et vomitu vel bilioso vel mucido. Maxime vero vigent horrores vagi cum calore sitique modicis, inertiae sensu et lassitudine, ad quae dolores capitis obtusi et lumborum stupores artuum, faciei levis rubor, febris ipsa sese remittens aut magis continens accedunt.

Quae dum per nychthemeron morata fuerint, capitis dolor transit in vertigines et oculorum caliginem auditusque gravitatem. Lassitudo ingravescit, neque surgere potest aut sublevari aeger, nisi vertigine, vomendi conatibus et nausea vehementi vexetur. Interea sensus et stomachi et praecordiorum tam acutus fit, ut nihil, quod voraverint, retinere possint, nisi forte pomorum vinum aut lac, quod anxie cupiunt, ut praecordia tangi nequeant. Postquam sudaverit aeger, interdum adeo decedit febris, ut integritas fere sequatur, surgat

saltem e lecto et cibos sumat: superstitibus tamen lassitudine, horroribus crebris, pulsibus vacillantibus, urina etiam turbida et fere jumentaria. Quarto utplurimum die, cum nova febris accessione extremae partes inalgescunt, dum ardent viscera sub epigastrio sita, facies livet, pallet aut leviter flavescit; animus marcet, nonnunquam soporatur; praecordia etiam magis dolent nec levissimum tactum ferunt. Auriginis tum prima vestigia ad oris angulos, ad tempora, utique in oculorum albuginea cernuntur, mox per totum corpus diffundendae. Quae dum versus septimum diem orietur, cum cutis madore pulsibusque mollioribus, saluti esse consuevit. Salubris etiam sanguis e naribus fluens observatus est.

Ἀκμὴν autem morbi signat aurigo cum auctis praecordiorum doloribus, pulsibus durioribus, magis tensis, totius corporis jactatione et virium jactura insigni. Haec comitatur animi defectione, soporibus gravissimis, singultu, tendinum subsultibus, delirio miti, sudoribus frigidiusculis et algore extremarum partium. Interdum novissime vomitus ater mortem nunciare solet, utique si lotium simul atrum est.

§. 113. *Continuatio.*

b. Gravior forma aut maligna.

Hanc vero speciem morbi patiuntur advenae e temperatis climatibus, observata quoque dum tropicos transcendit febris. Quod contigit jam

1740 — 1747, dein etiam nostra memoria 1793, 1799, et nuperius, ubi per naves mercatorias in Pensylvaniae oras adportata fuit; 1769, cum per Californiam grassaretur; 1764 et 1800, cum navibus ex India occidentali Gades et Hispalin adveheretur, sequentibus annis per plures Hispaniae australis urbes et 1804 per Liburnum et Etruriam extensa. Memoriae insuper proditum est, febres nostrarum terrarum putridas quandoque in febris flavae formam degenerare, testibus Hallero, qui 1762 in ditione Bernensi icterum cum febre putrida junctum, et Buchholzio, qui Vinariae 1772 vomitum atrum in febre petechiali observavit. Cum Galli in Aegypto bellum gererent, saucium militem febre flava succubuisse expertus est Larreyus. Sed fortuitum ibi symptoma sistere consuevit aurigo, neque necessarium, ut in febre illa tropica.

Gravior haec forma sine prodromis subito aegros corripit singulari praecordiorum dolore, rodente, obtuso, fastidium adferente et ardorem fere intolerabilem. Id palmarium symptoma nunquam deest: accedit anxietas summa cum siti inexstinguibili, spirationibus creberrimis et anxii, pulsibus frequentissimis et plenis. Capitis dolores atrocissimi in furorem abeunt aut in vesaniam cum oculorum cruenta indole, sensuque acutissimo, faciei etiam rubore intenso et venis undique turgidis. Quae quidem omnia incitatum esse praeter naturam vasorum systema docent, utilemque fore sanguinis missionem pollicentur, quod multi medici per In-

diam occidentalem medicinam facientes experti sunt. Hinc etiam sanguinis cursus ex naribus aut per alvum cruenta dejectio fructuosa est. Non raro adsunt sordium gastricarum signa, quae vero neutiquam evacuationem poscunt, cum a sensu ventriculi acuto et per eum turbatis functionibus repetendae sint. Ventriculus vehementer patibilis et vel leviora ferre nescius, symptoma est gravissimum, quod nonnunquam ipso initio potest faciei vultu distorto et leviter convulsis musculis divinari. Vomitus inde oritur foetens, porraceus aut alius pejoris indolis.

§. 114. *Continuatio.*

Quae dum accidunt, tertia utplurimum die, febris decedere solet, cum auriginis vestigiis in oculorum albuginea et ad labiorum nasique angulos Differt autem color hujus icteri a vulgari arquato morbo, quod multo saturior sit et aurantiaco proximus. Tum ingravescere morbus solet, pulsibus magis subsidentibus, ardore viscerum, doloribus praecordiorum, vomitu continuo, virium jactura magis magisque auctis. Urina solet esse lutosa; quod per alvum deponitur, decolor et argillaceum, cutis vel arida vel sudoribus frigidiusculis viscida. Aegri interea vel obstupescunt, neque quidquam sentiunt, supini cubant, velut attoniti, floccos legunt aut manibus stragula carpunt: vel angoribus cruciati desipiunt, vel nervorum distensionibus, spastica gulae constrictione atque ischuria et tenesmo torquentur.

Tandem solet ultimum morbi tempus instare, cum atra vomitu aeger rejicit. Latex is, quem Cathrallius examinavit, cum nullum habeat albumen, sed resinosam et oleosam massam, e bile prodire minus creditur, quam e sanguine. Id saltem compertum habemus, haudquaquam e ductibus biliferis, sed ex arteriis stomachi ipsius promanare et, dum incalescit, aërem hydrogeneo-sulfuricum promere. Desperanda omnino est salus, dum is vomitus accedit, solent enim sphaceli interni signa plura adjungi, singultuum exemplo et animi deliquiorum, cum vibicibus et maculis fuscis, furunculis etiam in gangraenam abituris. Sequitur mors sexto, octavo aut decimo die.

§. 115. *Continuatio.*

Valent indicia mortis salutisque in hoc morbo, quae in nostratibus typhis. Pulsui neutiquam fidendum, cum optima ejus indoles ad summam virium jacturam et pessima alia signa, mortis praenuncia, accedere solent (1). Frequentiam ictuum in deterrimo casu adeo decrescere vidit Blaneus, ut paullo ante mortem quadraginta tantum ictus in scripulo horae primario faceret. Arida maxime cutis pessimum praesagium format, si aurigo protinus initio accedit, ardores et sitis semper ingravescunt, nervi distenduntur et aeger soporatur.

Contra cutis mador septimo die, cum pulsi-

---

(1) Χρὴ πάντα θεάσασθαι τὰ σημεῖα, καὶ μὴ πιστεύειν ἑνί. Galen.

bus fortioribus et mollioribus, saluti est. Necesse autem est, antecesserit epistaxis et excipiat sudorem aurigo: hoc enim ordine si sibi succedunt, in bona spe esse aegrum certum est. Nonnunquam, Lindio et Moseleyo testibus, scabiosae pustulae circa labia salutem adnunciant. Sanguinis cursus e naribus copiosus interdum omnes crises perfecisse visus est: sed stillae paucae sanguinis depluentes nullo modo salubres sunt. Atrae per alvum dejectiones, si ante icterum apparuerint, bono esse Moultrieo visae sunt, nequaquam vero post eum. Interdum parotidum tumores, aut abscessus gangraenosi judicarunt morbum, si nondum violentissimus esset. Remissioni denique febris plus fidendum quam aliis signis, quae ubi manifestior est, tutior esse aeger solet, continens contra morbus interimere brevi consuescit.

§. 116. *Continuatio.*

Qui cadavera secuerunt, putredinem citissimam, a praecordiis inchoantem, observarunt. Tela adiposa aureo colore tincta, omentum quoque flavo-viride apparuit. Focus autem et sedes violentissimi morbi in ventriculo et hepate conspicitur, ea viscera inflammata, sphacelo correpta, maculis atris consita, et sanie fere exesa observantur. Mackittrickius vidit venam cavam multo minorem lumine et sive contractam sive collapsam (*Baldinger: sylloge* 1, 95). Nimis turgidam autem Bissetus indicat, aortam contra collapsam (*Versuche und bemerk.* 44). Interdum ventriculus et intestina ver-

mibus scatebant et latice atro-viridi, teterrimi foetoris.

§. 117. *Continuatio.*

Quibus rite perpensis non potest non cuivis patere composita morbi natura. Etenim febris initio vulgaris, remittens mox in typhum abit, adjunctis inflammationibus jecinoris et ventriculi et secessu humorum facili, ut et pigmentum bilis in sero sanguinis (*Path. gen.* § 231) et extractum hemioxydatum, adeoque atrum, abundet. E qua humorum depravatione repetendum etiam est contagium, deficiens, cum benignus est morbus et a solo aëris aestu humido generatur Contagium adhaerere fomitibus certum est, cum per merces, maxime gossypinas et laneas, propagetur. Insecta etiam innumera, cadavera olentia, infectionem diffudisse, Lucenti in Baetica animadversum est.

Cur vero aestus tropicarum insularum praecipuus sit fons popularis hujus morbi, exponendum est cum Savaresio ex abundantia acidi carbonici, quod lux solaris, propter pluvium coelum in plantas continuo agere et gas oxygenes evolvere nequit. Inde etiam perspiratio cutanea depravatur, ut sudores foeteant, metalla oxydent et lintea arrodant.

Memoratu digna est opportunitas, qua advenae in tropicis regionibus laborant, utique, qui dapsile convivantur, generososque potus amant, qui complexibus venereis abusi, post diurnos labores frigus nocturnum et rores frigidiusculos ex-

cipiunt. Jacksonius testatur, indigenas, ex itineribus in dissitas oras reduces, pariter ac advenas hoc morbo corripi.

Immunes alioquin esse incolas tropicarum terrarum a graviore malignaque forma exploratum habemus, immunes quoque fere mulieres et teneros infantes, immunes denique et eos esse, qui sudamina et hidroas, quovis aequinoctio in tropicis terris endemias, passi fuerunt (*Moultrie* : *in Baldinger syll.* 1, 171).

CAP. X.

DE PESTE.

§. 118.

Cum furunculi nonnunquam, glandularum tumores et vibices ad febrem flavam accedere solent, summa inde adfinitas cum peste apparet, unde et *pestim occidentalem* nonnulli nominarunt. Ipsa etiam pestis *orientalis* ictero et vomitu atro, licet raro, stipata esse potest, teste Russelio. Generatim vero eo nomine typhus est intelligendus, cum bubonibus, furunculis et maculis sphacelosis junctus.

Nullus profecto fere morbus tam varius est ac tam multiplicia habet symptomata, ut recte *Protea* nominare ac a benigna inde synochi forma ad letiferam maxime indolem gradus innumeros observare possis. Equidem imaginem pingam, quam e variis formis compositam memoria et antiquissimorum et nostrorum temporum prodidit.

§. 119. *Continuatio.*

Cum populariter grassatur, nullis fere prodromis praeceditur: sed ilico, fulguris ad instar, hominum prosternit, qui virium jacturam, animi desponsionem et anxietatem incredibilem queritur (1). Larreyus vidit milites infectos in ipso agmine, nervorum distensionibus correptos procumbere, vultibus distortis, spuma ante os protrusa, ichore foetido e naribus profluente, oculis prominentibus et immobilibus. Mox clamore edito corpus totum curvari, aeger momento citius enecari. Nullum cum hac citissima morbi mora externum symptoma exhibetur, brevi post mortem maculae sphacelosae corpus obsident.

Haec quidem acutissima morbi forma vere nervosa est. Quas alii distinguunt, inflammatoria, biliosa aut putrida compositio, quibus accedit a Pugneto observata catarrhalis forma, modi varii sunt eamdem febrem stipantes, unde Howardus jure suo pestem unicam pronunciat morbi speciem.

§. 120. *Continuatio.*

Diutius moratura capitis et praecordiorum doloribus immanibus, angoribus perpetuis et ardore internarum partium incipit, quae symptomata mox

---

(1) *Δεινότατον δὲ πάντων, ἥ τε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων. πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ.*
Thucydid.

in furorem abeunt. Febris ipsa algore brevissimo, fastidio et vomitu orditur, sequente aestu intenso et siti immensa: remittere sese febrem, raro observatur: quod ubi accidit, sequentes accessiones vel horroribus vel algore etiam brevissimo inchoant. Pulsus in febre ab initio debiles, frequentissimi, aut vacillantes, intermittentes, dein magis magisque decrescunt, ut *μειοῦροι* appareant Interdum, si acutissimus esset et maxime malignus morbus, pulsus fere naturalis fuit, nec febris aestimari nisi aestu, ardore partium internarum et siti intensa poterat. Continuum autem et necessarium symptoma est ignis sensus in praecordiis, qui tantum abest ut a sordibus nascatur, ut potius vomitu insigniter augeatur. Cardialgia haec, angoribus et siti immani juncta, per delirium etiam mansit, ut aquam frigidam anxie petere, imo in puteos se conjicere studerent aegri (1). Qui magna illa peste saec. VI. corriperentur, prae anxietate incredibili animam despondebant, spectrisque continuo torquebantur (2).

Nonnunquam statim ab initio pectoris cruciatus, cum angoribus illis, tussi, sternutatione, raucitate, halitu etiam tetro et aestuoso, lingua cruen-

---

(1) *Τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥςτε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολάς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν, ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὑτοὺς ῥίπτειν.* Thucyd.

(2) *Procop.* De bell. pers. *lib.* 2 c. 23.

ta et oculis inflammatis in sanguinis excreationem et pulmonum sphacelum abibant (1).

Interdum nervorum distensiones protinus initio palmaria constituunt symptomata; singultus enim, gulae, ani et sphincteris vesicae constrictio spastica mox transibant in delirium aut in sopores (2). Varia tamen haec sunt, nam, sicut Russelius nunquam sternutationem, ita raro singultum, sed perpetuo tremorem manuum et nervorum distensiones tum demum observavit, cum carbunculi plures erumperent.

Quae utut vario modo se habent, cutis solet arida esse, nec tamen eo modo ardescere ac internae partes. Facies vel naturalis vel vere inflata, rubicunda aut vario modo distorta: oculi lacrimosi, cruenti, caruncula inprimis lacrimalis velut sanguine suffusa: lingua arida, interdum atra aut fissa: vox debilis, rauca; loquela blaesa. Urina vel naturalis vel turbida aut atra.

---

(1) Καὶ τὰ ἐντὸς, ἥ τε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα εὐθὺς αἱματώδη ἦν, καὶ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες ἠφίει ἔπειτα, ἐξ αὐτῶν, πταρμὸς καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο. καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος, μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ. Thucyd. *Cf. Cantacuzen. hist.* lib. IV. c. 8.

(2) Λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενὴ, σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρὸν, τοῖς μὲν μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δὲ καὶ πολλῷ ὕστερον. Thucyd.

§. 121. *Continuatio.*

His quidem symptomatibus praegressis, jactura utique virium insigni, secundo, tertio aut quarto morbi die, post pruritum aut aestum in cute, quasi acubus pungeretur, maculae parvae surgunt, pulicum morsibus similes, in quibus vesiculae aut pustulae oriuntur, latice aquoso protinus turgidae, dein ruptae post duodecim circiter horas, superstite macula atra, marginibus rubris cincta (1). *Carbunculi* vocantur aut *anthraces*, partibus, quas occupant sensum omnem adimentes; ubi cutis naturaliter tensa est, in vibices aut Aethiopum manibus similes plagas abituri. Qui ubi nascuntur, omnium observatorum consensu pessima quaeque ominantur, neque quidquam critici praesagiunt.

Bubones autem, seu glandularum tumores meliora praesagire possunt: etenim, dum pulsus fortiores molliores que essent, dum nulli accederent carbunculi, dum plura occuparent loca, utique dum ad suppurationem spectarent, vel securitatem pollicebantur vel faciliorem morbi curationem. Pejora timenda, dum solius colli et axillarum glandulas obsiderent, aut dum statim ab initio fluctuarent, flaccidis marginibus cincti, dum carbunculis stipati essent, aut obdurescerent aut dum totum membrum aquosis tumoribus inflaretur. In inguinibus exacte non surgere, sed glandulas

---

(1) Τὸ μὲν ἔξωθεν σῶμα φλυκταίναις ἦν μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός. Thucyd.

potius sub commissura femoris, supra tricipitem femoris sitas occupare, Mangetus testatur, nemine refragante.

§. 122. *Continuatio.*

Rarissime solis his bubonibus correpti tutissimi sunt: trahunt fere ad nonum aut decimum diem, sed tum alvi dejectionibus foetidis emaciati in pejus ruunt (1). Cutis autem madida et sudores ipsi per totum corpus diffusi, ubi ad bubones accederent, salutem pollicebantur. Aurigo rara est, rarius salubris: vomitus biliosus, Russelio saltem, nihil critici habere visus est. Sanguinis cursus e naribus primo morbi stadio levaminis plurimum tulit: sed qui serius contingeret, pessimi erat ominis.

Superstites morbo bubonum tamen vestigia diu retinebant, aut ulceribus gangraenam concipientibus membra destruebantur (2). Visae etiam sunt bubonum suppuratione exesorum cicatrices anni tempore eo quo pestis grassari consuevisset, iterum aperiri, quo facto aeger vertigine, virium jactura, fastidio et vomitu porraceo corripiebatur. Nonnullos, simulac ex morbo convaluerunt, statim

---

(1) *Εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, ο πολλοὶ ὕστερον δι' αὐτὴν ἀσθενείᾳ διεφθείροντο.* Thucyd.

(2) *Πολλοὶ στερισκόμενοι τῶν ἄκρων, διέφευγον.* Thucyd.

omnium rerum oblivio cepit, ita ut neque seipsos neque necessarios agnoscerent.

§. 123. *Continuatio.*

Cadavera secta similes morbi effectus ostendunt ac post febrem flavam. Maculae sphacelosae per omnia viscera sparsae minus inflammationem praegressam produnt, quam virium eam jacturam, quae humorum corruptionem producit. Cordis musculorumque compages flaccida et livida corruptam sanguinis indolem pariter notat. Neque haerendum in hepate magno decolore aut vesica fellea inani aut bilis depravatione, quae, licet vulgo observata, neutiquam tamen caussam morbi revelant.

§. 124. *Continuatio.*

In caussarum numero primum collocandum est contagium, quod negarunt quidem cum Stollio et Macleanio plures: sed mirabilis potius est popularis morbi ad contagiosam indolem ratio, qua fit, ut solum contagium haud semper sufficiat, sed necessarium sit connubium cum popularis morbi progressibus, qui statum suum ac fixum ordinem servant. Ita milites, qui contagio infecti Jassiam venerant anno 1770, haud prius morbum propagarunt, quam morbus ipse popularis post mensem demum eo pervenisset *Orraei: descr. pestis. Petrop.* 1784). Popularis hujus constitutionis dominium et sani nonnunquam perpetiuntur: furunculis enim laborare solent et glandularum tumoribus, qui sudoribus critici cedunt.

Singulare etiam est, dum populariter grassatur pestis, omnes alios morbos silere ac in ipsam pestem abire (1). Stationarius ille morbus hactenus fixum ordinem servat ac certum temporis spatium moratur, ut nec tempestas, nec anni tempus, nec aliae quaedam manifestae res possint eum vel maturare vel mutare. Frequens est ortus pestium per hyemem, frequens finis per aestatis ardores, ut neque calore solo generari neque frigore supprimi progressus, manifestum sit. Protinus ut silet popularis morbus infectio, nulla est, unde et bubones pure scatentes et vestimenta ac strages contagio propagando haud potis sint (*Orraeus*).

Circuitus quosdam grandes pestis popularis observarunt. Sic Evagrius refert (*Hist. eccles.* lib. *IV.* c. 29) secundo anno cujusvis indictionis recucurisse pestem, unde Antiochia sexaginta annorum spatio quater fuerit ii obnoxia. Aleppi quovis decennio grassari Russelius testatur.

Frequentius recurrit morbus, quo minor latitudo seu distantia ab aequatore: ex Aegypto fere pleraque epidemiae pestilentes originem duxerunt. Omni quinquennio Aegyptum vastare fertur, Syriam, licet calidiorem et minus salubrem, spatio vigintiquinque annorum. Benignior putatur pe-

---

(1) Τὸ ἔτος ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη. Tucydid.

stis, si ex Agegypto orta litus maris mediterranei legit, quam si per deserta propagatur. Nec tamen altius ac ex inferiore Aegypto repetenda origo morbi, cum in superiore Aegypto et rarior sit et benignior. Auster ardentissimus, quem *Khamsin* Aegyptii, *Samiel* aut *Samum* Syri appellant, terminos pangere saevitiae morbi dicitur, quod omnia exsiccando contagii propagationem prohibet: aliis refragantibus, qui vel nullo modo iinpediri progressus vel etiam augeri adseverant.

§. 125. *Continuatio.*

Contagium ipsum vehiculis gaudet humoribus secretis, quos mucosos solummodo esse Hildenbrandius autumat Neque repugnat infectionis modus; quia haud in remotos valde homines, sed ad aliquot passuum duntaxat distantiam agere Howardius contendit. Fixa indole superat alia contagia: namque vestimentis multo arctius adhaerescit, quam corporibus humanis. Solo calore elicitur, frigore silet, unde cadavera peste defunctorum raro contagium communicant. Per plures annos posse nocivam suam indolem servare, vel inde patet, quod, cum pestis Viennam 1713 adoriretur, eae potissimum domus inficerentur, quae nosocomiorum vices ante trigintaquatuor annos, dum pestis 1679 grassaretur, gesserant.

Cutim primitus adficere atque tum nervos tum vasa lymphatica corripere videtur. Etenim diu jam animadversum est, tum frictiones ex oleo, pice aut terebinthina cavere, tum immunes esse

olearios. Hinc etiam ulcera diuturna et plagas magnas semper cavere ab infectione observatum est. Quod in vasa lymphatica juxta ac in nervos agat virus, inde patere videtur, quod Schraudius oxydis hydrargyri. vel cum vel sine ptyalismo, potuit praevertere morbi eruptionem.

Hydrogeneis substantiis adnumerandum esse contagium, efficio tum ex immunitate succi gastrici ab infectione (*Valli: in Salzb. medl. zeit.* 1804. *II.* 349); tum ex insigni praesidio a vaporibus acidis petito, tum e celerrima actione in nervos, denique e putredine velociter consequente.

§. 126. *Continuatio.*

Variam esse variorum hominum dispositionem certum est. Etenim et pauperes ditioribus, et qui vitiis victus aut morbo praegresso, aut metu et aerumnis corpus effeminarunt, robustis frequentius inficiuntur. Advenae quoque, qui climati orientali nondum adsuerunt. facilius et malignius peste corripiuntur, quam incolae. Posse saepius recurrere in eodem homine, expertum habemus. Senes, et qui phthisi laborant aut melancholia, haud facile pesti obnoxii sunt. Cavere dicitur ab infectione pestis variolarum aut vaccinae virus.

CAP. XI.

DE FEBRIBUS GASTRICIS ET VERMINOSIS.

§. 127.

Gastricas febres haud nominamus eas, in quibus signa sordium generatim adsunt, sed id febrium genus, quod ab incitamento sordium nascitur. Hinc necesse est, praecesserint febrem signa sordium, necesse est febris sileat aut decrescat saltem, simul ac sordes per alvum ejectae fuerint.

Gastrica autem febris Ballonio primo dicebatur, quam antiqui nomine *febrium putridarum*, alii *biliosarum* nomine insigniverunt. Has vero tanquam species febris gastricae consideramus; putridas, alienas ab his, supra tractavimus.

§. 128. *Continuatio.*

Sordium nomine intelligimus, quidquid impurum aut a naturali indole alienum in ventriculo et intestinis nidulatur vel deponitur: sive bilis sit in duodenum aut ventriculum nimia copia effusa, diu morans aut corrupta et acris: sive mucus naturaliter intestina vestiens, abundans sit et in pituitae indolem abierit: sive succi gastrici aut pancreatici depravatio accusanda sit: sive lumbrici adfuerint in pituita utplurimum abundante nidulantes: sive e ciborum male digestorum ac corruptorum reliquiis sordes illae repetendae sint: sive demum, quod saepius contingit, propter incitatum primarum viarum statum, e sanguine depravatae secretiones ibidem fiant.

§. 129. *Continuatio.*

Varius hic sordium significatus variam febrium gastricarum faciem prodit. Generatim vero monendum est, ad caussas praegressas respici debere, si e sordibus hisce febrem generatam esse pronunciamus. Ut enim, cum Sydenhamo loquimur, nihil novum est, variis in febribus bilem generari, ita secretiones in ventriculo et intestinis mutari et alienari per febres et ipsa medicamenta satis vulgare est Non febres solum intermittentes sed quaevis etiam continua, diutius morantes, aut praesidiis iis agitatae, quae *resolventium* et *laxantium* nomine parietes intestinorum lacessunt, sordes sibi adjungunt vel biliosas vel mucosas, quae tantum abest ut peculiarem efficiant speciem, ut potius fortuita sint et facile decedant. Arte productae hae febres, medicorum vulgo *gastricae* summo aegrorum detrimento dictae fuerunt (*Richters: med. und. chir. bemerk.* 200).

Verae autem gastricae febres ab iis omnibus rebus originem petunt, quae ciborum digestionem depravant, nimia dyspeptorum alimentorum sumtione, animi perturbationibus aut vita deside et inerti. Maxime vero consilium ad popularem constitutionem transferendum est, quae vel anniversaria est, aestati familiaris: vel stationaria, qualem Finkius, Tissotus, Cloturius, Stollius aliique observarunt. Nec tamen reticenda sunt variorum observatorum praejudicia, quibus irretiti etiam aliarum epidemiarum formam fortuito biliosam aut

gastricam cum hac primaria febre commutarunt: in his numerandi utique Pringlius, Mertensius, Flachslandius, R. Pearsonius et ipse Schröderus, qui amplitudinem febrium biliosarum nimiam praedicavit.

Falsis imo damnosis febris gastricae notis adnumeramus remissionem febris notabilem, cui confisus inprimis C. F. Richterus erroribus perniciosis ansam praebuit. Non solum enim febrium copia longe alienarum sese remittere consuescit, sed continens etiam, sine ulla fere remissione, est febris inflammatoria, cui sordes biliosae adjunguntur, quod uberius in ulterioribus exponetur.

§. 130. *Continuatio.*

Quibus omnibus bene consideratis, ut morbi diagnosis illustretur, ad cognoscenda febris hujus initia veniendum est. Cum febris imminentis variis indiciis, qui in hanc incidunt, parvum oris saporem, matutinis utique horis, queruntur, fastidium ciborum ac aversationem, praecordiorum opletionem. linguam habent sordidam, et vel mucidum vel alio modo pravum ex ore halitum. Languore conflictantur, membrorum doloribus obtusis et capitis gravitatis sensu per totum corpus, inquietudine nocturna et vigiliis aut somniis tumultuosis. Urina mittitur lutosa, turbida aut mucosa: alvus constipatur, aut rarius juxto et duriora dejicit.

Febris ipsa horroribus inchoat et caloribus ardentibus quidem sed fugacibus, pulsibus frequen-

tioribus, sed duris et sine ullo ordine concitatis: Febrium accessiones satis confusae, ut, etiamsi remissio manifesta sit, ordinem certum tamen non servet. Πλανῆται et ἄτακτοι, quae veteribus dicebantur febres, vel huc pertinent vel ad nervosam constitutionem: unde et criticorum dierum ordo perturbari solet composita cum sordibus biliosis indole.

§. 131. *Continuatio.*

Dum ingravescit morbus, cum capitis dolore acerbo gustatus etiam magis depravatur, ructus oriuntur amari, acidi aut mucidi, fastidium ciborum augetur et praecordiorum oppletio, vomendi conatus oriuntur et vomitus, quo amara, biliosa vel pituitosa colluvies, vel ciborum depravatorum reliquiae ejiciuntur. Sitis continua et ardor viscerum aegrum adfligit, nec noctem quiete transigit, nec, nisi matutinis forte horis, aestus sit expers. Nonnunquam alvus liquescit, foetida et prava dejiciuntur, et dum urina ante turbida aliquantisper clarescit, levamen aeger percipit. Neque tamen id constans est, neque securitatem pollicetur. Namque dum sordet lingua, dum cutis sicca est, dum pulsus concitati, ni ingravescere, vigere tamen et morari morbus consuescit. Turgor praecordiorum et epigastrii cum sensu earum partium acutiori jungitur, ut tactum non ferat. Angores etiam aegrum vexant, e praecordiis nati, suspiria ducit, crebro et vehementer spirat, sub somno pavescit, et vigil etiam e quavis caussa contremiscit.

§. 132. *Continuatio.*

Ubi morbus vel inepta curatione exasperatur, vel suo genio epidemico indulget, nequaquam rarum est, duplicari accessiones, aestum internum et sitim increscere, pulsuum rhythmum magis perverti, sensum epigastrii etiam vehementius acui, sensus superiores hallucinari, mentem perturbari, ut vel furat aeger vel suaviter desipiat; nervos etiam distendi et ambitus musculos convelli. Haec malum exitum portendunt: nec expers periculi malum est, ubi, quidquid ejicitur, acerrimum est, pessime foetet, nullumque omnino levamen adfert. Metus est, coctionem tum penitus deficere, aut aliquid abscessurum esse in partibus nobilioribus. Tunc dolores colici atrocissimi cum ventris inflatione maxime dolente, spastica lotii suppressione, tenesmus adsiduus, floccorum lectio, singultus cum virium omnium jactura, sopores continui, vultus distortus et pallidus, lingua tremula et atra, aphthae eam et oris parietes obsidentes, denique apoplecticus insultus finem imponere morbi atrociae solent.

Interdum in longum porrigitur morbus, dum, laxatis intestinis febris decrescit, localis tamen superest debilitas, quae continuam abundantium sordium secretionem efficit. Tractum autem diutius iri morbum, indiciis sunt irrita praesidiorum indoles, sudores initio haud levantes (1), vomitus aut

---

(1) Aph. 4, 36. Coac. 32.

alvus cita semper absque emolumento pergentes, lingua continuo aspera, dura et fissa, praecordia semper tensa, urina inprimis turbida vel bullosa, aut varia, ut quandoque album subsidat aut lentum, interdum vero limpida sit et clara (1). In dies magis trahitur hoc modo corpus ac defetiscitur, ut tandem viscerum labes et hydrops inter cutem accedant.

§. 133. *Continuatio.*

Melius cessurum esse morbum spes est, si vel sordes, e manifesta ciborum abundantia aut ex iracundia ortae, protinus initio rejicerentur, vel, dum altiorem haberent originem in aucta bilis aut humorum intestinalium secretione, si gradatim cocta, interius mixta turgescerent et dein vel vomitu vel alvo ejicerentur (2). Quae dum contingunt, necesse est angores cessare et capitis dolores et aestum

---

(1) *Ὁκόσοισι δὲ ἐπὶ τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται πομφόλυγες, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.* Aph. 7, 34. *Εἰ διαλείποι καὶ ποτὲ μὲν καθαρὸν οὐρέοιτο, ποτὲ δὲ ὑφίσταται τὸ λευκον καὶ λεῖον, χρονιωτέρα γίνεται ἡ νοῦσος καὶ ἧσσον ἀσφαλής.* Praenot. 71.

(2) *Ἐμετὸς δὲ ἀλυπότατος, φλέγματος καὶ χολῆς συμμεμιγμένος, μὴ παχὺς δὲ κάρτα, μηδὲ πολὺς ἐμείσθω.* Coac. 556. *Ὑποχωρήματα, ὁκόσῳ ἂν χρώματα πλείω, οὐ πονηρά.* Aph. IV, 21. *Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ.* Aph. I, 22.

horroresque nequaquam recurrere, sed leviter sudare et molliores pulsus magisque regulares fieri. Urina etiam critica est, quae post ἀκμὴν morbi clarescit, atque ex qua, quod desidit, leve est et coctum. Tandem somnus quietus et ipsa naturalis ciborum cupiditas post iteratas sudationes restitui solent.

§. 134. *Continuatio.*

In alios morbos facilime mutatur haec febris, dum vel popularis indoles ita jubet, vel inepta curatio ii mutationi favet. Sordes biliosae, si diu stagnarunt aut organorum valetudo eas corrumpit, putrescere possunt, ut ipsa putrida febris frequentissime inde nascatur (§. 99). Eaedem sordes, dum nimis acres irritant ventriculum, inflammationes producunt vel ejus organi vel per consensum etiam aliorum. Pleuritides saltem biliosae, Stollio tantopere celebratae, vomitu, sputis biliosis, urina vitellina stipata, per auriginem die septima existentem, aut per alvum citam et ipsa sputa biliosa judicantur. Quid vulgatius erysipelatae, ex iracundia nato, et, ni evacuantibus tractetur, in ulcus abituro! Nec desunt exempla exanthematum (variolarum, rubeolarum, scarlatinae et miliaris), sordibus biliosis excitatorum aut febrem biliosam excipientium.

Dein sordium colluvies in nervorum systema ita agit, ut supprimantur ejus vires aut praeter naturam incitentur. Animi deliquia, nervorum resolutiones, vertiginem, oculorum caliginem, amau-

rosin ipsam. surditatem, mutitatem inde pendere compertum habemus: insuper apoplexia, sopores, catalepsis ipsa, spasmi varii, epilepsia, hysterici adfectus, palpitationes cordis, spasticae menstruorum retentiones e solo sordium turgore natae in scriptis observatorum notantur. Varii etiam dolores colici, rheumatici, arthritici, denique mentis ipsius vitia, melancholia, memoriae defectus aut furor ipse ex hoc fonte manasse feruntur.

De febribus verminosis.

§. 135.

Cum supra lumbricos, tanquam morborum caussas, consideraremus (*Path. gen.* §. 185), praecepimus, et suctione et motibus animalium eorum intestina vario modo incitari, ut dolores oriantur, ventris sensus acuatur et functiones intestinorum pervertantur. Hinc efficitur, et febres posse iis incitamentis accendi, quae sintne sui prorsus generis ac peculiares, jam videndum est. Aliud enim est, ut cum Philite (*De febrium verminos. pathol. diss. p.* 7) loquar, febrem producere, aliud, jam a quacunque caussa ortam, additamento alterius caussae, graviorem, pertinaciorem aut malignam reddere.

§. 136. *Continuatio.*

Quodsi auctores de febribus verminosis praecipientes audimus, praecipuum habent earum characterem: typhum irregularem, accessionesque ita

confusas, ut nec tempora earum possint nec spatia notari Febris blanda initio, miris tamen symptomatibus stipata, describitur (*Van den Bosch: hist. epidem. verm. p. 73*). Nonnunquam tamen fixi ordinis tempora et spatia accessuum, cum interposita integritate, observabantur (*ib. p.* 162). Interdum quoque, sine ulla intercapedine, continens fuit febris (*Pedratti apud Morgagn. ep.* 21. *n.* 44). Hinc haud temere acturos non esse veremur, si a typo nullum omnino febrium earum characterem repetendum esse judicamus.

Ut summatim dicamus, quod vero proximum est, ad febres nervosas vel lentas vel acutas pertinere ejusmodi verminosas dictas, statuimus. Namque vermes excerni in febribus nervosis aut putridis vulgare est. Inde errorem Vict. Trincavellae exponendum esse ducimus, qui febres magnas et malignas a solis vermibus nasci statuit. Plures etiam memoriae prodidit Bonetus epidemias perniciosas, in quibus ventriculus et intestina verminosa colluvie scaterent (*Sepulcret. lib.* 4. *sect.* 1. *p.* 227). Sic celebres illae febres verminosae, quarum historiam Boschius reliquit, etiamsi varia haberent symptomata, accedebant tamen ad typhi speciem. Horroribus enim, sudatiunculis et caloribus fugacibus inchoantes, capitis et frontis pertinaces habebant dolores, catarrhi aut rheumatismi speciem mentientes. Tum virium jactura cum soporosis adfectibus et stupore, cum pruritu narium et scalpurigine, oculorum tristi adspectu, pupillae dilatatione, halone livido circa oculos, visus habetudine

et praetereunte coecitate, aurium susurru aut tinnitu: tum deliria aut vigiliae pertinaces: adfectus convulsivi, gulae constrictio, ischuria, vomiturítiones, vomitus continuus, strabismus, epileptici motus tendinum subsultus, tussis convulsiva; nonnunquam cum soporibus apoplectici insultus aut nervorum resolutiones junctae erant. Pulsus semper irregulares, intermittentes, debiles et frequentes Urina vel limpida, vel mucosa aut lutosa: alvus aut constipata aut fluxa, mucosa. Anxietas praecordiorum cum inflatione ventris tensi, doloribus etiam colicis atrocibus. Foetor interdum ex ore cum salivae cursu non levante. Tandem exanthemata varia, aphthae, erysipelas, petechiae, miliaria, ulcera novissime mali moris, quibus mors nunciabatur.

Ejusdem ingenii fuit epidemia, quam Cloturius in ditione Gros-Theil grassantem observavit (*Anleit. für aerzte, nach. Hippokr. Regeln zu beobachten*, p. 271). Coepit languore totius corporis, capitis doloribus pertinacibus, visus hebetudine, halitu oris tetro; lingua fusca, sordida; pulsibus intermittentibus, debilibus; sudoribus profusis qui cum horroribus et caloribus alternarent, tussi nonnunquam ferina, urina limosa et turbida, alvi excrementis ramentosis, pituitosis: quibus accesserunt nervorum distensiones aut resolutiones, animi deliquia, exanthemata denique varii generis.

§. 137. *Continuatio.*

Quibus rite perpensis efficitur, ejusmodi febres vel *τυφώδους* esse, vel ad hydrocephalum pertinere, unde et hujus et verminosae febris diagnosin difficilimam esse, vermibus etiam hydrocephalum generari Josephus Portenschlag-Ledermayer docet (*Vom Wasserkopf*, p 73). Pupillae saltem dilatatio, oculorum et faciei tristis adspectus, capitis dolores, urina pituitosa et turbida, alvus cita, deliria et nervorum distensiones eodem jure typhum signant ac febrem sic dictam *verminosam*. Butterus (*Samml. für prakt. aerzte*, B. 8 348) describit febrem remittentem infantilis aetatis, quae, vermibus vulgo tributa, a teneritate potius et per liguritionem orta pituitae colluvie repetitur (*Path. gen.* §. 186).

Auctores fide digni, qui in variis morbis verminosam primarum viarum colluviem observarunt, experientia docti, neutiquam haec animalia in curandis morbis respiciunt, sed fortuito oriri statuunt. Sic Tortius jure suo (*Therapeut. spec. febr. interm.* p. 295). Si febri alicui, corticem peruvianum admittenti, adjungatur per accidens verminosa adfectio, haec non impediet, quominus febris curetur eodem cortice: neque enim ea symptomatica erit, cum non a lumbricis, sed a consueto pendeat talium febrium fermento. Eodem modo judicant Pringlius, Sarconius et alii. Anthelminthica ipsa nemo propinavit in ejusmodi febribus, propterea quod accessiones febris iis exasperantur. Ad acido-

rum potius usum, sicut Fr. Hoffmannus, ad vinosos potus, ad canforam vel valerianam, vel ad epispastica aut corticem ipsum confugiunt, quae in typho expediunt. Hinc et emetica profuerunt nonnunquam, suscitando vires et vehementer mutando.

Ad haec nonnunquam nulli vermes inventi fuerint, ubi omnia symptomata febris verminosae adfuerant. Bene id jam memoriae prodidit Sinclairius (*Edinb. Vers.* II. n. 18), variisque ipsorum pathologiae animatae fautorum observationibus confirmatur. Quod cum negare non posset, Fr. Hoffmannus ita exponere ausus est, ut aestus febrilis vehementia vermes enecari atque in putridam massam converti statueret. Quam arbitraria autem haec sententia sit, vel inde patet, quod post mortem hominum febre maligna interemtorum vermes bene vegetos inventos esse atque e naribus aut ex ore prorepsisse compertum habeamus.

Quibus rebus colligitur, febres verminosas nequaquam sui generis aegritudines esse, sed vel febres nervosas vel etiam hydrocephalicas, vel gastricas potius et intestinales, in quibus perinde est, sola colluvies pituitae acris sive vermium copia incitamenta ea morbosa praebeat.

CAP. XII.

DE FEBRIBUS HECTICIS.

§. 138.

Hectica febris (Galeno ἑκτικός, *Marasmopyra* Swediauero) dicitur, quod ἕξιν, habitum totius corporis adficiat, atque in ejus pravitate versetur. Est ergo febris, quae a nutritionis labe ortum ducens, peculiare ingenium habet, proxima tamen febrem lentam nervosam. Cum suppuratione ingenti vulgo nascens, citra eam tamen ab iis omnibus gigni potest, quae adsimilationis aut nutritionis processum labefactant. Hinc jam veteres distinxerunt ἑκτικὸν μαρασμώδη, seu hecticam primariam a secundaria, quae ulcera et abscessus magnos comitatur: illam oriri Galenus (*Differ. febr.* 1, 8) adfirmat e febribus ardentibus protractis ita, ut consumant humorem cordis (ὥς ἐκδαπανῆσαι τῷ χρόνῳ τὴν ἰκμάδα τοῦ τῆς καρδιας σώματος), hanc autem e puris aut ichorum absorbtione. Nos vero perinde esse statuimus, sive ex hac aut illa caussa existat, eadem tamen fere symptomata producere statuimus.

§. 139. *Continuatio.*

Ἀλαμπέες Aretaeo dicuntur hae febres, quod initio inconspicuae facilime cum aliis, utique cum febribus lentis nervosis, commutantur. Nihil queritur aeger initio, nisi languorem post pastum et calorem modicum volarum aut genarum, qui satis

fugax est, et pulsus non valde concitat. Recurrit tamen continuo is calor post plurium dierum spatium, praecedunt horrores dum suppuratum aliquid est aut ulceratum, ex hac ipsa parte existentes. Mox etiam per calorem saepius recurrentem pulsus duriores fiunt, malae magis rubescunt, terminis ruboris satis circumscriptis. Abeunt calores in sudores, qui vero cutem relinquunt aridam, tensam aut etiam asperam iterumque horrescentem (1). Post plures demum dies leve quoddam voluminis decrementum vel in facie vel ad pollicis musculos animadvertitur.

Initio alvus varia esse, plerumque dura, interdum liquida consuescit: urina antelucanis horis missa serosa est, parum turbida, cuticula obducitur versicolore et annulum ad matulae parietem relinquit: araneorum telae aut pinguedinis orbiculi nonnunquam supernatare videntur (2): aut, quod subsidit, spissum est et album. Frequentissima est mentis morositas, ut levissima caussa subirascatur, indignetur, maxime matutinis horis, si per noctem aestu turbaretur.

§. 140. *Continuatio.*

Ubi morbus trahitur aut ingravescit, vesperi semper et post pastum exasperatur, horroribus gra-

---

(1) *Οἱ φρικώδεες ἐφιδροῦντες πολλῷ, δύςκολοι* Coac. 13.

(2) *Τὰς λιπαρότητας τὰς ἄνω ἐφισταμένας ἀραχνοειδέας μέμφεσθαι. συντήξιος γὰρ σημεῖα,* Praenot. 97.

viribus et aestu fugaci volas, malas, internas etiam partes occupantibus. His quidem statis accessionum temporibus dignoscitur a febribus lentis nervosis, qui nullum ordinem servant, dignoscitur etiam pulsibus continuo duriusculis per aestum et urinae, quae supra est, indole. Neque adest jactura ea virium, quin munere suo fungi, obambulare, convivari possit: neque cito morbus increscit quin post plures hebdomadas integriusculum sit in intercapedinibus corpus. Oculi tamen halone livido cincti, pallor faciei, musculorum compages flaccida, volumen decrescens augmentum morbi notant: Quod adest, dum nocturnae accessiones somnum turbant, vires infirmant, menti morositatem contrahunt, atque in sudores profusos, vel viscidos vel limpidos abeunt, quibus vero semper pulsus contracti durive adjuncti sunt ac vires infringuntur. Nihilominus levaminis quadam specie aegrum fallunt sudores, ut placeat matutinas horas in lecto transigere, ne supprimantur. Accedit interdum tussicula sicca post pastum aut vesperi, quae tantum abest, ut semper pulmonum labem, ut potius sensum acutum signet. Interea urina semper oleaginea aut cuticula versicolore et arachnoidea obducta est.

§. 141. *Continuatio.*

Tandem solet post plures iterum hebdomadas tumor accedere pedum et manuum frigidus, quo sudores minuuntur. Sed corpus jam magis contabescit ac tanta macie extenuatur, ut ossa ubique

promineant; squalet facies; capilli defluunt; nares acuminantur, collabuntur tempora; oculi incavantur et quasi defixi haerent; cutis universa exasperatur atque arescit. Jam quoque alvus cita aegrum exercere ac quietem nocturnam turbare solet, neque quidquam levare. Interdum exanthemata accedere miliaria aut aphthae in ore aut ulcera scabiosa in membris; digitorum ungues curvari consuescunt. Animus autem, initio morosus, eo hilarior fit speique plenior, quo magis ad extrema ventum est. Novissime tandem, verno maxime aut autumnali tempore, cum nervorum resolutionibus et invito lotii alvique secessu suavis vitae terminus imponitur. Exstinguitur vita, lucernae modo, cujus ellychnium oleo caret (1).

§. 142. *Continuatio.*

Febris haec a nutritionis labe orta, ita explicanda est, ut ad teneritatem partium solidarum respicias, qua aequabilitas distribuendorum imponderabilium turbatur, qua igitur accumulatio et novi impetus per plexus nervosos producuntur. Post pastum revertunt accessiones et vesperi, quod stimulis auctis perturbatio increscit, nec ex toto quiescere potest febris, quoniam teneritas partium continuo vires suscitat.

---

(1) *Οἱόνπερ ἡ θρυαλλὶς ἐν τοῖς λύχνοις ἐπειδὰν ἐπὶ πλεῖστον ἐκκάυθῇ. θρύπτεται γὰρ ἡ οὕτω φρυγεῖσα καὶ διαλύεται καὶ τό συνεχὲς ἀπόλλυσιν ὑπο κραυρότητος.* Galen. *diff. febr.* 1, 10.

Occasionem praebet, quidquid alterutrum nutritionis momentum adficit (*Phys.* §. 80. 81): perinde enim est, appositio labascat sive ablatio augeatur. Utrumque autem in magnis contingit suppurationibus, cum ad puris secretionem copia humorum nutrientium consumatur, qui nimis cito ablati haud rite apponuntur. Eo modo, nec ex absorbto pure, quod sanguinis massam inficiat, declarandam esse febrem hecticam, tum ex iis patet, quae ad migrationem humorum explodendam (*Path. gen.* §. 96) praecepimus, tum in ulterioribus etiam magis clarescet.

Dein nutritio labefactatur vitiis organorum adsimilationi inservientium, mesenterii praesertim tumoribus et pancreatis, qui scrofulosis infantibus atrophiam attrahere solet. E scirrho pylori et intestinorum simile vitium frequenter exstitit. Dein ad labem pulmonum consilium transferendum est, qua sanguinis oxydatio impeditur, unde haud potest e sanguine penus ea oxydati laticis apponi, quae ad nutriendas partes necessaria est (*Path. gen.* §. 101). Itaque ad pulmonum tumores, ulcera, coalitum cum pleura, ad colluviem serosam intra thoracis cavum adjungi solet febris hectica. Hinc ad chlorosin etiam et ad alias cachexias, quae secretionem humorum nutrientium impediunt, accedit.

Nutritio quoque labare consuescit post nimiam sanguinis aliorumque humorum profusionem, quibus egeritur quidquid partes nutriturum est. Sanguinis cursibus aut alvi salivaeque fluxu extenua-

tos corripere febris hectica solet. Sequitur propter similem caussam febres acutas praegressas, utique intermittentes, quae vel visceribus labem intulerunt, vel diuturna mora traxerunt aegrum: continuo enim iterato sanguinis orgasmo appositio particularum secernentium impeditur (*Path. gen.* §. 76).

Huc insuper pertinent animi perturbationes, quae vim vitalem deprimunt et labefactant, aut quae adsiduo et frustra irritando consumunt vires, impedita nutritione (*Path. gen.* §. 167 — 169). Denique et venenorum nonnullorum noxa versatur vel in oxygenis ligatione vel in suscitanda facultate percipiendi, deprimendo vero et minuendo robore, vel denique in contrahendis nimis solidis partibus, ut prae rigiditate agere nequeant (*Path. gen.* §. 152. 154).

LIBER II.

DE INFLAMMATIONIBUS.

CAP. I.

SUMMATIM.

A. Hypotyposis et descriptio.

§. 144.

Inflammatam partem vocamus, dum continuum impetum sanguinis cum functionibus laesis observamus. Quivis impetus sanguinis appellari inflammatio nequit, nisi moretur, caussis saltem manifestis abactis non quiescat atque peculiares exitus paret. Si haec enim deficiunt, congestio potius statuenda est (*Path. gen.* §. 77).

§. 145. *Continuatio.*

Notas externas habet inflammatio genuina sequentes:

1. Ruborem insolitum, ob vasa ea sanguine repleta, quae naturaliter vapores aut humores secretos vehunt, vel ob sanguinis oxygene ditioris colorem vividiorem. Rubor etiam increscit cum increscente inflammationis gradu, ambitum nonnunquam habet pallidiorem aut subflavescentem.

2. Aestum intensum, qui vel thermometro proditur, ut, Goupilo teste, per quinque gradus hy-

drargyrum adscendat, vel, sensu solo percipiendus, thermometro minus in conspectum venit (*Hunter: über das blut und die Entzündung*, B. 2, 143). Deest rarissime, ubi in sphacelum transit: mitior in chronica inflammatione: intensissimus est in partibus sensu acutissimo praeditis et ubi ad gangraenam vergit inflammatio.

3. Dolorem nullo modo intermittentem, sed continuum; varium autem pro varia partium adfectarum indole. Pungens enim est, si partes fibrosae aut nervis ditissimae corripiuntur, aut si tensae sunt: gravis et hebes, dum parenchyma, glandulae et viscera cellularia adficiuntur: pulsatorius denique, si arteriae patiuntur aut cum inflammatio ad suppurationem spectat (*Path. gen.* §. 272).

4. Tumorem, e pansis vasis capillaribus et tela cellulari repetendum; majorem, dum glandulosa organa et cellularia adficiuntur; minorem cum partes fibrosae laborant, nonnunquam minime percipiendum, si periostium solum aut nervorum velamenta in paronychia occupantur.

§. 146. *Continuatio.*

Quae quidem notae cum in interna inflammatione omnes percipi nequeant, necesse est ad eas confugiamus, quae superstites sunt aut quae accedere solent. Tumor enim et robur tum demum internorum viscerum inflammationem produnt, cum haec externis partibus contigua sunt. Utique confidendum est et dolori continuo et aestu interno et functioni visceris laesae et febri, quae ardens esse

ae continens solet. Haec signa si continuatur, internam inflammationem produnt.

Febris inflammatoria horroribus incipit vel frigore, nunquam postea redeuntibus. Aestus vero pertinax est et constans (*Path. gen.* §. 234), cum pulsibus ut plurimum fortibus, celeribus, plenis, vel duris vel molliusculis, cum anhelitu et spirationibus crebris vehementibusque, cum sensibus acutissimis, hallucinationibus, vigiliis continuis aut mentis alienatione, nervorum etiam quandoque distensionibus junctus. Urina solet mitti parca, clara, flammea, neque quidquam ex ea fundum petit. Sanguinis e vena missus floridus, cito secedit in cruorem et lymphaticam partem, quae *crustae phlogisticae* nomine superiora petit (*Path. gen.* §. 90). Sanguinis cursus e naribus, aut restitutus haemorrhoïdum et menstruorum fluxus insigniter levare solent aegritudinem.

Super haec, si inflammatoriam febris indolem exploratam habere cupiveris, oportet respicias ad popularis morbi indolem, ad caussas praegressas et ad diathesin. Si caussae incitando egerint et vires cordis vasorumque augendo, si juvenilis est constitutio, robusta et sanguine plena, si praecipue suetus sanguinis cursus in mulieribus defecerit, indicio est inflammatorium potius, quam alius generis esse ingenium morbi.

Quodsi post mortem inflammationem praegressam statuere volueris, cautissime circumspicere oportet omnem symptomatum syndromen et varios inflammationis effectus. Cavendum enim est, ma-

culas gangraenosas aut sphacelo correpta loca intestinorum praegressae inflammationis signa habeas: quippe solent a putredine mortis agonem comitante nasci. Coalitus vero partium, novorum corporum vasorumque generatio, tumores viscerum gelatinosi tutius judicium de praegressa ea aegritudine formant.

B. Differentiae.

§. 147.

Differunt inflammationes tum pro partium adfectarum, tum pro momenti alterutrius, quod constituit vim vitalem, diversa ratione.

Si partium generale discrimen consideraveris, primum quidem mucosae membranae abfectae (*Phys.* §. 22), cum totam cutim obvestiant et in ipsas internas partes continuentur, facile propagant inflammationem, quod consensum generalem efficiunt (*Phys.* §. 74). Inflammatio ipsa vel acuta est vel diuturna, celeriter tamen transit in secretionem auctam, transsudationem, discussionem et ipsam suppurationem, quoniam partes adfectae naturaliter humores mucosos secernunt. Hinc et facilime sibi adhaerent partes inflammatae, conglutinantur, coalescunt.

Quodsi partes fibrosae corripiuntur, acutissima solet esse inflammatio, doloribus pungentibus, cito propagatur, neque tamen facile pus concipit, tum quod vasorum haud tanta adsit copia, tum quia tensae sunt partes et secretioni copiosae na-

turaliter non vacant. Facilius resolvitur inflammatio aut in gangraenam abit.

Membranae serosae inflammatae aegrius secum communicant passionem, nec ipsa partium contiguitate haec cito propagatur. Dolores sunt acutissimi, tumor tamen mediocris: transit inflammatio in serosam colluviem

Tela cellularis laxa inflammata dolorem mediocrem, pruriginem solam interdum, aut hebetudinem sensus organici, tumorem autem majorem efficit. Quodsi sub cuticula adficitur tela cellularis illa secedere solet ramentis vel furfuraceis vel farinaceis. Interdum abit in duritiem partium, oedemata et ipsa ulcera.

Glandulae inflammatae dolore modico obtuso stipatae incedunt, tumoribus mollioribus, pus minus concipiunt, quam laticem glutinosum aut ichorem. Lentius semper ceteris haec inflammatio progreditur, febre hectica nonnunquam stipata.

Arteriarum inflammatio violenta est, dolore pulsatorio juncta; cohaeret nonnunquam cum inflammationibus corporis externi mucosi membranarumque aliarum, utique cum interna vasorum membrana occupatur. Hinc aortae inflammationem comitatur plerumque tussis violenta, pulmonum vitiis perperam tributa (*Testa: von krankh. des herzenes*, 1, 209). Abit autem inflammatio arteriarium in osteogenesin praeternaturalem, in destructionem membranarum ulcerosam et aneurysmata.

Venae rarius inflammantur: in puerperis Me-

ckelius II. abdominis venas inflammatas vidit, venae cavae truncum Aretaeus, venas sectas plurimi. Neque tamen peculiares hujus inflammationis notas aliquis reperire poterit, neque diuturnarum inflammationum sedes in solis venis quaerenda est.

Vasa etiam absorbentia inflammantur, cum sensus organici participia sint (*Phys.* §. 259). Contingit id, dum peregrino quodam et acri stimulo incitantur, quem haudquaquam sorbent, tumescunt tamen et dolent, ac cum tela finitima cellulari adfectionem communicant. Satis frequenter id in insitione variolarum, in ulceribus syphiliticis et ipsis ambustis observatur

Nervorum velamenta haud raro inflammationem patiuntur, quod utique docent secta eorum cadavera, qui febribus nervosis et hygrophobia interemti fuerunt. Neque absonum est, in paronychia et arthriticis doloribus, quinetiam in ipso rheumatismo (§. 73) nervorum hanc adfectionem accusare, quippe cum turgentia humore gelatinoso et tumida nervorum velamenta inventa fuerint. Quodsi accidit, necesse est, secretio imponderabilium (*Phys.* §. 362), et efficacia nervorum in moderandis secretionibus (*ib.* §. 247) aboleantur, existat autem sensus acutissimus cum hallucinationibus, doloribus atrocissimis et perversis secretionibus.

Tandem et musculosae partes inflammantur, adjunctis spasmis, dolore pervicaci, tumore firmo et ingenti aestu: ob antithesin musculorum nervo-

rumque hi plerumque simul laborant, ut variae accedant hallucinationes.' Transit autem in compagis musculosae depravationem et ulcerationem haec inflammatio.

§. 148. *Continuatio.*

Gravissimum discrimen versatur in momenti alterutrius, quo vis vasorum constituitur, ratione. Cum enim vasorum juxta ac cujuslibet vivae partis efficientia duobus contineatur momentis, energia nimirum sive irritabilitate atque sentiendi facultate, quam et *recepticitatem* dicunt; tripartita est inflammatio: vel enim utrumque momentum incitatur (sthenicae aut activae inflammationes) vel sola sentiendi facultas, minuta energia (asthenicae acutae), vel utrumque momentum ita alienatur, ut turbetur et a consiliis naturae deflectatur.

Quandoquidem sthenicas seu activas jam supra (§. 145. 146) inflammationes tractavimus, ad acutarum asthenicarum veniendum est discrimen. Comitantur autem, ut jam monitum fuit (§. 94. 101), febres nervosas putridasque atque scenam vel morte claudere vel morbum trahere solent. Prostratio virium manifesta, vitae sensiferae turbae febris indoles ἄτακτος, dolores obscuriores propter hebetudinem sensus, functionis laesio continua cum ardore insolito viscerum variisque nonnunquam sympathicis phaenomenis, signant ejusmodi inflammationes. Si quis igitur, febre nervosa laborans, ardore, siti continua et siccitate linguae orisque

corripitur, sensu ventris ita aucto, ut nullum ferat tactum absque vultus distorsione, spastice constricto vesicae sphinctere, inflato etiam abdomine, haec omnia si continuantur, inflammationem abdominis subocultam et asthenicam produnt.

Maximi autem est momenti, non sola symptomata in censum vocare, sed praegressis ubique caussis operam dare et diathesi aegroti, ut infirmitas virium, quae vasa sanguifera gubernant, eluceat. Quotus enim quisque morbo antecedente vel victus vitiis enervatus est, aliam inflammationis speciem, praeter asthenicam, fere habere nequit. Neque tamen inficiamur, praegressarum caussarum specie quadam nos saepius falli, ut adsiduam energiae infirmitatem statuamus, quae tamen vel intermittit et transit, vel sola digestioni dicata organa occupat. Bibuli enim homines et qui in vino tempus consumserunt, tantum abest, ut infractione virium vasis sanguiferis praefectarum laborent, ut etiam magis incitatas saepius ostendant eas vires. Sic et de animi perturbationibus, de frigore corpus exercente, de retentis, quae excernenda erant, judicandum est: quae, etiamsi primitus robur infringant possunt tamen occasionem praebere, dum sentiendi facultas augetur, ut ipsum robur etiam magis, pro tempore saltem, acuatur. Dein, cum, licet vis protinus infirmata sit, actiones morbosae ipsae stimulorum vices agant, addatur igitur semper aliquid incitamentis, necesse est et in morbis, qui caussas debilitantes agnoscunt, nimiam contingere quandoque incitationem (*Path. gen.* §. 66);

Accedit inaequabilem sentiendi facultatis dispensationem decipere nos saepius, ut debilitatem statuamus, ubi tamen sanguinis missio et alia juvant refrigerantia.

Constitutio epidemica adminiculo est, ut, qualis sit virium ratio, dignoscamus. Haec quidem, haud manifestis aëris vitiis producta, experientia potius et observatione, quam ratiocinio cognoscenda, Sydenhami praecepta de novae febris ingressu ventilando confirmat

§. 149. *Continuatio.*

Multo minus difficultatis habet diagnosis diuturnarum inflammationum. quae minorem, localem etiam, vasorum sanguiferorum incitationem supponit. In externis partibus frequentissimae palpebras occupant aut ulcerum margines diutissime exercent, unde et simili modo posse viscera adfligere efficitur. Namque et qui pertinaci colluctantur tussi cum labe pulmonum et qui hepatis vitiis adficiuntur, diuturnas eorum viscerum inflammationes pati certum est. Doloribus adfliguntur neque atrocibus neque continuis, sed positu quodam corporis percipiendis, eumdem tamen locum semper occupantibus: functiones partis adsiduo laesae, febris accedens hectica. diuturnas adesse inflammationes produnt. Haud vero rarum est, hactenus latere, ut vel expertissimum fallant. Absunt enim interdum omnes dolores, aut in aliis partibus percipiuntur; functiones minus laeduntur, aut aliorum omnino organorum; ut sectio tandem cadaverum lucem nobis foeneret.

Inflammationes eae occultae ac diuturnae gradu omnino differunt ab acutis et aetivis. Agilitas enim vasorum minor est, ad debilitatem spectans, aut in laxitatem ipsam abitura: sanguis ipse oxygene orbus et, licet in secessum pronus, tamen plasticam naturam amisit: unde destructio potius partis, quam nova generatio sequitur.

C. Epilogismus.

§. 150.

Ut a caussis occasionalibus ordiamur, inflammationi favet, quidquid vel incitando proxime vasa vel nervorum vires adeo alienando agit, ut inaequabiliter distribuantur.

Aëris primum qualitates indagandae sunt. Frigus contractilitatem vasorum auget, sentiendi facultatem in loco adfecto minuit, ut in aliis acui possit, unde activas et acutas inflammationes frigidis climatibus et hyemi familiares esse efficitur. Hinc etiam frigus, postquam incaluerit, corpore exceptum, frequentissima est inflammationum caussa. Monticolae propterea his morbis obnoxii sunt. Verno quoque tempore ob eamdem caussam crebrior est inflammatoria constitutio. Subest tamen alia caussa, quae summatim gravioris momenti est: turbata nimirum electricitatis atmosphaericae ratio: ejus enim tensio aucta per eurum et caeciam, ac dum ver adolescit, inflammationibus oriundis ansam praebet. Nec desunt aëri crassiora incitamenta, pulverum exemplo et salium, quos venti

Africae communes et a Sibiria inde flantes secum arripiunt, quibus pulmones inprimis, eos inhalantes, gravissime adfliguntur. Calor aëris nimius per se quidem inflammationibus non favet, nisi alia accedunt incitamenta: tum autem asthenicas potius phlogoses producit quam activas.

Constitutio epidemica, ab aëris manifestis vitiis aliena, inflammatoria nonnunquam est, qualem Stollius observavit, ut stationaria etiam esse possit omnesque intercurrentes morbos subigere. Experimentis eam potius et observationibus cognosci, quam ratiocinio, jam supra monuimus.

§. 151. *Continuatio.*

Stimulis porro, qui inflammationes excitant, adnumerandi sunt cibi acres, calefacientes, aromata nimia, vina generosa et spirituosi potus, quibus, dum diathesis favet aut epidemica constitutio, facilime inflammatio producitur. His etiam praesidia artis nimis incitantia accensenda sunt: utique sudorifera in morbis acutis perperam adhibita, nam aegritudinem effecisse saepenumero visa sunt (*Path. gen.* §. 149). Simili modo agunt vesicatoria, venena quoque acria, quae vel vasa primitus adficiunt (*Path. gen.* §. 153), vel magis locales habent effectus (*ib.* §. 154).

Contagiorum quorundam proprietas est, vasa adeo incitare, ut functiones turbentur et inflammationes nascantur: ea enim, quae morbos pestilentes et malignos producunt, simul inflammationibus ansam praebere consuescunt.

Insomnia dein nonnunquam accusanda est, qua stimuli augentur, sanguinis motus concitatur, ut et vasa capillaria urgeantur. Animi quoque perturbationes, maxime incitantes, inflammatoriis morbis favent, utique in juvenili aetate et accedentibus aliis caussis. Deinceps huc pertinet motus corporis arbitrarius nimius et exercitationes organorum, praesertim frigente aëre: cursorum exemplo, qui, dum infirmos habent pulmones, inflammationibus obnoxii sunt: tubicinum, cantorum et oratorum publicorum exemplis, qui pulmonibus nimis exercitatis inflammationem saepe contrahunt.

Tandem ad vulnera, fracta et luxata veniendum est, quibus inflammatio pariter efficitur ac insectis et animalibus venenatis. Apum, vesparum, oestrorum, culicum, tabanorum, cimicum, araneanum, scorpionum, conopum, muscarum variarum morsus latice viroso, quem dimittunt animalia, nocere videntur.

§. 152. *Continuatio.*

Ii autem stimuli haud semper proxime inflammationem in parte primitus adfecta, sed in aliis suscitant, cum illa consentientibus. Sic frigus corporis ambitu exceptum, vias potissimum aëriferas et velamenta musculorum fibrosa, nonnunquam interna etiam viscera inflammare solet. Contingit id praeprimis in iis visceribus, quae vel sensu acutiori praeditae vel ante nimis exercitatae erant.

Hinc dispositio nunquam negligenda est. Complectitur ea systematis sanguiferi incitationem, vel

ob robur nimium vel ob sentiendi facultatem adauctam. Infantilis et juvenilis aetas; constitutio vegeta, plethorica; vel tenera ac orgasmo congestionibusque obnoxia dispositionem eam ad inflammationes producunt.

§. 153. *Continuatio.*

Quibus positis colligitur, inflammationem cum febre quidem id habere commune, quod vasorum systema occupat, differre autem tum processu materiali, qui a febre abest, tum sede in vasis capillaribus.

Sedes autem inflammationis in vasis capillaribus probatur aequabilitate ruboris, quae cruore esse perfusa vasorum capillarium reticula, efficitur, tum aestu valde aucto, qui exponi nequit nisi ex aucta oxydatarum sanguinis particularum depositione (*Phys* §. 305).

Vasa vero capillaria, naturaliter indifferentia et solis vaporibus aut sanguinis particulis secretis vehendis dicata (*Phys.* §. 188), cum inflammatio nascitur, arteriarum vices agunt, cruorem accipiunt et nova priusque aliena activitate fruuntur. Haec quidem nova vasorum capillarium functio inflammationem ita constituit, ut congestionem initium ejus esse ostendat (*Path. gen.* §. 79). Cum nervorum, praesertim gangliosorum, potestas versetur in secretionibus moderandis (*Phys.* §. 247). haec ita mutatur atque invertit, ut sentiendi facultas sola acuatur et dolores producantur. Sanguis, in vasa aliena irruens eaque ad novas incitans

functiones, propter orgasmum (*Path. gen.* §. 76) secessui particularum favens, oxyda ὠργανουμένα copiosius deponens, calorem praeternaturalem producit (*Phys.* §. 303), plasticamque hactenus naturam induit, ut deperditae partes restitui novaeque generari possint. Plasticam hanc sanguinis inflammati indolem probant tum crusta phlogistica sanguini innatans, tum frequentia inflammationis in pulmonibus et viis aëriferis, ubi oxygenes ad sanguinem accedit, tum suppurationis expositio et novorum corporum, ossium maxime et lapidearum crustarum generatio, quae sequi inflammationem solent. Nervi gangliosi, qui moderari typhum formationis nequeunt, cum sentiendi facultas nimis aucta est, occasionem praebent, ut typum formationes transgrediantur atque novae partes nascantur.

Capillarium vasorum reticula occupare inflammationem, Gruithuisenius nuper microscopio probavit (*Salzb. med. Zeit.* 1811. *B.* 2. S. 299 300); quamvis veram stasin sanguinis in iis vasis nemo statuerit, qui praeternaturaliter esse auctam vasorum eorum activitatem, ut et arteriarum vices gerant, considerat.

§. 154. *Continuatio.*

Qui nostris temporibus inflammationi illustrandae operam navarunt, in eo maxime versati sunt, ut, quisque suo plane modo indifferentis systematis capillaris mutationem eam, qua arteriis simile fit, exponerent, quod vel magnetismi transitu in

electricum processum, vel lucta quadam obscura momenti utriusque, quod electricitatem constituat, expresserunt (*Marcus, Lunz*). Nonnulli etiam oxygenis abundantiam in sanguine inflammato sentientes, hujus elementi praedominium naturam ejus aegritudinis constituere docuerunt.

Quae commenta cum ad nostram sententiam prope accedunt, tum in antiquissimis inflammationis expositionibus vestigia habent. Etenim, si Erasistratus crederet, πνεύματος loco, quod naturaliter τὰ πέρατα arteriarum impleat, sanguinem ea loca irruere ac occupare, ecquid aliud voluit, quam mutationem eam vasorum capillarium contingere, quae vices arteriarum gerant? Si Helmontius spinam statueret seu incitamentum quodcunque caussam proximam inflammationis, quo *archeus* suscitetur ut nova moliatur, divinasse videtur similem caussam. Si Stahlius loco *archei* furentis naturae seu animae vegetativae providentiam poneret, in inflammatis locis stasin avertentem, rationem habuisse videtur tum activae inflammationis, tum accelerati per eam sanguinis impetum in loca adfecta facientis.

Sedem autem inflammationis in vasis capillaribus statuerunt primi fere Fabrius et Van den Bosch, maxime vero illustrarunt Bichatus et Bartelsius.

CAP. II.

DE SUCCESSIONIBUS INFLAMMATIONUM.

§. 155.

Id habet vera inflammatio peculiare et proprium, quod terminari nequeat obscura sanguinis irruentis restrictione in pristinis finibus, quemadmodum congestio sanari solet. Sed necesse est, secretiones vel augeantur, ut decrescat virium incitatio, vel novae plane oriantur, vel, si hoc fieri nequit, pars adfecta inertiam patiatur aut omnino destruatur. Quae quidem ordine ita consideranda sunt, ut cujusvis successionis historiam et caussas indicemus.

A. De resolutione.

§. 156.

Saluberrima haec successio inflammationes excipit, gradatim semet remittentes ut vasa capillaria sensim ad pristinum suum statum redeant, secretionibus humorum naturalium vacando

Dum igitur ad resolutionem spectat inflammatio, rubor cum dolore et aestu gradatim minuuntur, locus adfectus madere incipit: febris decrescit, lingua humectatur, in urina clara et satura subsidit nubecula levis albido-flavescens. Si internae partes adfectae sunt, cum restituta sensim functione, excernuntur humores in parte laborant secreti: sic pulmonum inflammationem terminant sputa cocta

et sanguinis striis tincta; dum intestina patiuntur, humor intestinalis majore copia per alvum ejicitur. Sanguinis praecipue profluvium salubre esse versus diem septimam consuescit.

§. 157. *Continuatio.*

Exspectanda est haec successio in inflammationibus activis quidem, sed haud nimis violentis, neque quae propter victus vitia trahunt aut praesidiis nimis acribus exaestuantibus tractantur. Initium aegritudinis magis favet resolutioni, quam dum jam diutius morata fuerit. Neque tamen in certorum dierum numerum comprimenda est hujus exitus spes, neque sanguinis missio, resolutionem promotura, prohibenda est post elapsum id temporis spatium. Multo liberius veteres, Galeni testimonio, praeceperunt, venam esse secandam, quoties morbi indoles id poposcerit et vires substiterint. Necesse etiam est, ad partium differentias consilium transferatur: membranarum vel serosarum vel mucosarum inflammationes facilius resolvuntur quam parenchymatis, glandularum et viscerum. Dein ad sanitatem aegri praegressam respiciendum est, quae si vegeta fuerit, si juvenilis aetas et externis potius caussis tribuenda inflammatio, quam labi partium adfectarum, spes est fore ut haec successio consequatur. Senes vero, cachectici aut qui diu jam secretionibus abnormibus conflictati sunt, alias potius successiones experiuntur.

Vasorum igitur capillarium nimiam incitationem semet remittere et paullatim decrescere; in-

differentia iterum fieri et secretionibus suetis vacare; nervorum efficaciam restitui, ut moderentur typo formationum et secretionibus; sanguinem quoque in pristinum statum redire, postquam rejectae fuerunt oxydatae particulae, exploratum habemus.

B. De transsudatione, coalitu et novorum corporum formatione.

§. 158.

Succedit nonnunquam inflammationi colluvies serosa aut lymphatica, coalitus partium, tumor insolitus et diuturnus aut generatio cartilaginum osseårumque aut lapidearum particularum; quae omnia eodem modo exponenda esse videntur. Namque, si haud omnino in pristinum statum nervi aut vasa redeunt, illis infirmatis, ut munus nullum perfecte exsequantur, moderatio typi formationum cessat, cessant etiam dolores cum aestu, unde cum torpore partium excernitur, quidquid in laxatis vasis propter nimis oxydatam humorum indolem nascitur.

Nimia inde partium adfectarum moles oritur, cum propter turbatam utriusque momenti, quod adsimilatio complectitur, rationem particulae plures apponantur, quam auferuntur (*Phys.* §. 80). Hinc post viscerum ossiumque inflammationes vulgaris est tumor insolitus partium.

Simili modo exsistit coalitus. Particulae enim secretae abundantes e laxatis vasis transsudant in superficiem; quam glutinosus protinus latex obdu-

cit, in quo demum propter sensiferae vis turbatam rationem nova generantur vascula, inflammatam partem cum finitimis conglutinantia (*Phys.* §. 83, *Path. gen.* §. 103). Interdum hoc utitur adminiculo natura, ad abigenda damna, quae e praeternaturali nascerentur separatione: ita enim persanantur fistulae, si activa inflammatio parietes occupaverit: hac ratione artifex hydrocelen ad sanitatem perducit, dum inflammationem in tunica vaginali ciet.

§. 159. *Continuatio.*

Pro humorum in parte inflammata abundantium varia indole et alia phaenomena huic successioni adscribenda sunt. Non rarum est, colluviem serosam in partibus inflammatis congeri, praesertim dum membranae serosae vel velamenta partium adfecta fuissent. Singulare est, et hanc seri collectionem jungi inflammatione continuata, qua per sanguinis missionem minuta sanari etiam potest hydrops.

Rarius est, ossea vel lapidea concrementa post inflammationes existere. Neque tamen sine exemplo est, vel renum vel vesicae urinariae inflammationem calculos sequi (*Path. gen.* §. 118), nec absimilis est tophorum arthriticorum post praegressam inflammationem generatio. Nascuntur enim ea concrementa ex oxydatarum particularum abundantia (*Path. gen.* §. 109), quae calcem phosphoream deponunt. Quod dum circa cor magnaque vasa contingit, propter antithesin polarium elemen-

torum (*Phys.* §. 72), hydrogene scatentes particulae, adeps nimirum majore copia evolvitur, unde cum osseis valvularum et magnorum vasorum concrementis collectio adipis circa cor satis vulgaris est.

Pertinent huc denique et polypi, praesertim cordis, qui inflammationem praegressam excipere interdum observati fuerunt. Huxhamius enim post siccam et aquiloniam tempestatem veris 1742 plures nautas vidit, ex India occidentali reduces, angoribus, tussi arida, spirationibus crebris, doloribus cordis et palpitationibus adfici. Defunctorum cadavera polypos ostenderunt inter columnulas carneas ventriculi anterioris cordis fixos (*Philos. transact.* n. 464).

C. De suppuratione.

§. 160.

Insignis est mutatio, quam inflammatae partes subeunt, dum pus generatur. Secretio est nova ac pathologica, exponenda e vasorum inflammatorum mutata activitate, e nervorum et absorbentium vasorum potestate peculiari modo aucta. Singularem hunc processum naturae, ab ulceratione longe diversum, ita describamus, ut, quomodo mutetur pars inflammata, qualemque experiantur sanguis et humores vicissitudinem, primum exponamus, dein vero momenta ipsa processus describamus, ut ratio ac caussae pateſiant.

§. 161. *Continuatio.*

Inflammatio, in abscessum abitura, solito vehementior est, superficie arida, calida et tensa, dolore per tempus atroci. Mox vero dolor mutatur, fit pulsatorius, ac, dum tumor grandis est et sentiendi facultas insignis, aestus mutatur in horripilationes ex adfecta parte oriundas (*Path. gen.* §. 234). Tumor sensim in acumen elevatur, quod gradatim colore mutato flavescit aut albescit, ruberrimis marginibus. Quo latius gliscit flavedo, eo tolerabilior fit dolor, qui tandem in solo ambitu inflammato sentitur. Quodsi, priusquam abscessus omnino formatus est, tumor inciditur, parenchyma scatet cruento latice, sed tenui et seroso, qui gradatim mutatus in pus transit.

Ubi abscessus viguerit, fluctuare solet tumor, superstitibus locis quibusdam durioribus: apertus effundit humorem peculiaris ingenii, blandum, spissiusculum, odore singulari animali, non foetido, colore albicante-flavido. Pus is est, in cavea media abscessus collectum, in quo et durior quidam embolus nidulari solet, vel tandem solvendus in purulento liquore, vel arte promendus. Cavea abscessus parietibus cingitur inflammatis, in quibus carunculae efflorescunt, continuo pure madidae, quo sensim redundat cavea, decrescente partium abeuntium volumine. Quo magis abundat pus, eo magis etiam carunculae succrescunt, tandem undique sibi contiguae, ut implere totam caveam possint. Quae dum coalescunt, cuticula obducun-

tur et cicatrice, typum formationis pristinum nonnunquam transgrediente (*Path. gen.* §. 105). Asperior superficies et interior cum partibus subjacentibus nexus docet, rete Malpighianum deesse.

Dum nec sponte sua nec arte abscessus aperitur, pus contentum corrumpi solet partesque adjacentes arrodere, quae ulcere exeduntur et sanguinis fluxus efficiunt.

Quodsi internae partes pus concipiunt, dolor pariter ac in externis haud penitus cessat, sed mutatur in pulsatorium, obtusum, cui horrores accedunt e parte adfecta per nervorum cursum diffusi. Aestus etiam et functionum laesiones non penitus tolluntur, sed cum febre sese remittere solent. Febris horroribus accessus incipiens, aestum producit circumscriptum in manuum volis et plantis pedum, noctes satis inquietas, urinam turbidam, e qua, quod subsidit, floccos repraesentat aut furfures: nonnunquam supernatat lotio cuticula oleaginea aut versicolor. Accedunt sudores copiosi, quibus corpus colliquescere videtur, viresque infringi, pulsibus interea et per aestum semper duriusculis, frequentissimis. Verbo, hectica febris est, quae corpus consumit (§. 142).

§. 162. *Continuatio.*

Pus ipsum, blandus latex, nulloque modo vel foetens vel acris, res, quae chemico modo reagunt, neutiquam mutat, nec acidi aut alcali vestigium monstrat. Prunis injectum odorem spargit animalem et empyreumaticum: dum concrematur,

praeter vaporem aquosum eliciuntur ammonium carbonicum, acidum carbonicum et oleum empyreumaticum. Superest carbo, aegerrime in cineres redigendus, e quo magnes particulas attrahit. Dum calori lento exponitur, acidam experitur fermentationem, mox vero putridam, cum evoluta ammonii copia.

Ut purulenti humores a muco excreato distinguantur, plura consilia dederunt auctores a pristinis ad nuperrima usque tempora. Perniciosum ichorem tabidorum existimarunt Coi medici, si prunis injectus nidorem gravem spargat, aut ubi pondere suo in aqua marina subsidat (*Coac.* 434). Post etiam intima mixtio puris aqua pura conquassati praedicata fuit, cum mucus nequaquam misceatur intime, sed floccos et fila formet fundum petentia. Darwini consilio acidum sulfuricum puri aqua attenuato admixtum aequabilem constituit mixturam, mucus vero neutiquam: sic et Grasmeyerus alcali vegetabilis solutionem cum pure attenuato, miscere docuit, ut aequabilis latex appareat, neque unquam hoc continget, si mucus adfuerit.

Quae quidem consilia eo graviora sunt, quo frequentius mucus speciem quamdam puris prae se ferre, quoque saepius ipsum pus albedine et spissitudine mucum aemulari solet. Quae dum accidunt, refugiendum est utique ad Pearsonii et Gruithuisenii consilium, microscopio adhibito, ut globulos puris, qui desunt in muco, discernamus. Albenti enim particulae oxydatae puris insunt glo-

buli, sanguinis globulis magnitudine inferiores, halone pellucido cincti, nec aestu nec aliis rebus, quae oxydatum humorem mutant, destruendi, aquae fundum petentes. Ii globuli, chyli et sanguinis globulis similes, primum formationis et ὀργανουμένων partium vestigium continent, unde, quanti momenti instar puris generatio habeat, patet.

§. 163. *Continuatio.*

Suppuratio tantum abest, ut corruptionem humorum supponat, ut potius novam amplectatur et pathologicam secretionem humoris peculiaris, quo natura ad restituendas partes amissas utitur.

In ipsis enim vasis, nec extra eadem pus generari probatur tum pulsatione tumoris ad suppurationem spectantis, tum rubore et aestu, tum eo quod saepe, citra ullam caveam, pus manifesto ex ipsis profundatur vasculis. Quodsi e corruptione existeret, nasceretur etiam pus in stagnatione humorum serosorum, lymphaticorum et ipsius cruoris, quod quam alienum sit a veritate, patet e diuturna hydropum indole, in quibus collecti humores vel nunquam vel tum demum pus concipiunt, si nova accesserit inflammatio. Quodsi corruptionem supponeret, neutiquam blandum constitueret liquorem, e quo novae partes generari et deperditae restitui possunt. Posset insuper, si id unquam contingeret, spontanea fermentatione et putredine cruoris aliorumque humorum simile aliquid gigni, sed quod eo modo produxisse sibi videbatur Ga-

berus, a pure longe alienum erat tum foetore singulari, tum acrimonia et ipso aere hepatico, quem spargebat.

Citra activitatem quamdam singularem vasorum generari pus nequire, luculenter patet ex artis praesidiis variis, idoneis ad eum finem consequendum. Ea enim vel nimiae virium contentioni, secretionem impedienti, adversa sunt, vel torpentem efficaciam suscitare atque augere valent, unde et in malignis flaccidisque ulceribus cortex nucum juglandum et alia adstringentia prosunt, et in ulceribus maxime inflammatis atque dolentibus fomenta tepida ac ea remedia, quae nimiam activitatem minuere valent.

§. 164. *Continuatio.*

Activitas ea, necessaria ad suppurationem, praegressae inflammationi ortum debet, sine qua oriri nequit. Subito quidem saepius colluvies purulentae existunt, utique eae quae per metastasin nascuntur, sed et in his communicatio inflammationis ac repentinus progressus ex altera in alteram partem statuendus est (*Path. gen.* §. 98).

Localis proprie est adfectus, licet et totum vasorum systema in consensum trahatur. Etenim magni interest, organorum differentiam nosse, quae pus generant: glandulae aliud parant ac periostium, aliud pus musculi, aliud viscera parenchymatosa. Quinetiam ipsis localibus remediis, fomentis nimirum et unguentis suppuratio vel emendari potest vel deterior reddi.

Neque tamen negligenda est, maxime in grandibus abscessibus et qui pure abundant, vasorum omnium et cordis ipsius partes. Suppeditat sanguis elementa, e quibus pus paratur, totiusque vasorum concentus vires necessariae interdum sunt, ut secretio haec nova ac sui prorsus generis sustineatur (*Path. gen.* §. 30). Hinc etiam aëris ingenium, aetas hominis, victus ratio et aliae res, quae viribus servandis aut mutandis inserviunt, efficaciam insignem habent in suppuratione moderanda.

Febris ipsa, quam *hecticam* diximus, tantum abest, ut ex acri stimulo absorbti puris nascatur, ut potius exponenda sit ex impetu imponderabilium, per nervos inaequabiliter irruentium (§. 142). Namque tum novus processus secretionis novos addit nervis stimulos, tum ipsa teneritas partium, macie producta, inaequabili virium dispensationi ansam praebet. Huic praeprimis irrito conatui, peregrinos stimulos novae secretionis abigendi, tribuere possumus et horripilationes suppurationi familiares (*Path. gen.* §. 234).

D. De obdurescentibus partibus inflammatis.

§. 165.

Glandulosae utplurimum partes sunt, quae e lenta inflammatione obdurescere solent. Dolores silent cum aestu, tumor tamen superest, indies majorem acquirens duritiem: pressione duntaxat et pondere molestus fit, neque functiones integrae

restituuntur. Si internae partes patiuntur, febris vel omnino abest, vel lenta est et corpus consumit.

Quodsi humores in tumore ad suppurationem spectante stagnarent, abigitur tamen haec stasis adaucta absorbtione et nova illa secretione. Deficientibus his naturae aut artis adminiculis, moratur stasis et obdurat partem. Hinc ad nervorum imperium infirmatum refugiendum est. qui cum magni momenti sint in secretionibus producendis et moderandis, necesse est obdormiscat eorum activitas, simul etiam, quae pari passu cum regulari nervorum efficacia procedere solet, subacta vasorum absorbentium potentia. Cum in glandulis nervorum potestas haud praevaleat (*Phys.* §. 258. 259) obscure etiam augetur in inflammatione, facile subditur, ubi obdurescunt loca adfecta. Hinc quoque, si obdurescentes partes sanare cupiveris, necesse est, inflammationem cieas et suppurationem, quibus stasis removetur.

Quodsi vero diutius jam morata fuerit durities, nervorum potestate penitus prostrata, coalescunt vasa, inertes fiunt omnes partes atque nentiquam in integrum restitui possunt. Etiamsi mors partialis nondum adsit, obscurissima tamen est partium, quae obduruerunt, vita: aegritudo etiam in longum porrecta non potest non in ulcus abire et partis destructionem.

§. 166. *Continuatio.*

Scirrhus vocatur, si pars glandulosa ita obduruit, ut sibi commissa rarissime aut nunquam integra fieri possit. Equidem enim contendo, verum scirrhum in pessimam ulcerationem pronum esse, quae proclivitas dignoscitur tum duritie insigni cum aspritudine superficiei, tum venarum vicinarum turgore, tum immobilitate tumoris, qui tanquam radices agere ac protensis per telam cellularem vicinam pedunculis sedem figere solet.

Cum alii tumores frequenter glandulas occupare soleant, expedit cautissime scirrhum ab iis tumoribus discernere. Et primum quidem est scirrho peculiare, quod lente inchoët parvo nodulo in glandulosis partibus: is lentissime gliscit in paullo majorem molem, sed nunquam caussis incitantibus volumen augetur, quin potius minuatur. Dein tumor is adeo coalescere solet cum finitimis partibus, ut penitus immobilis sit, neque digitis possit huc illucve moveri: superficies est aspera, cetero concolor reliquae telae cellulari. Simplex esse hic tumor ac singularis consuescit, cum alii glandularum tumores seriem quamdam forment ac pluribus locis surgant. Cum vero ad ulcerationem ventum est, in glandulis vicinis omnino tumores oriri solent. Dolores nullos per se ciet, nisi externis aut internis stimulis incitatus, maxime dum menstruus sanguinis cursus instat, aut dum sordes colliguntur, frigus corpore exceptum est aut demum febris

fortuito accenditur. Tum pungentes dolores existere ac aestus singularis, quasi prunae incumberent: quo facto metus est, in ulcus abiturum esse scirrhum.

Interdum natura subigendo scirrho par est, dum vegeta est aegri aetas, dum victus rationem mutat, itineribus et aëris mutatione salubriori corpus firmando. Comperimus etiam, mulierum mammas scirrhosas feliciter discussas esse febre fortuito orta, menstruo sanguinis fluxu restituto, alvo etiam cita, intestinorum difficultate et ipsis febribus intermittentibus. Vidimus alias, quae, dum adolescerent, scirrhos mammarum nactae erant, liberari iis coitu et ipsa graviditate aut lactentium officio. Quae per diuturnas aerumnas in aegritudinem inciderant, hilariori vitae genere persanatae fuerunt.

§. 167. *Continuatio.*

Quodsi de caussis scirrhi sermo est, diathesis primo loco consideranda est, sine qua, utut caussae externae adfuerint, nasci scirrhus nequit. Haec autem versatur praeprimis in torpore aut rigiditate glandularum; quae tum aetate provecta, tum feriata a suetis negotiis vita, aerumnis etiam et sedili, utique menstruorum defectione acquiritur. Mulieres igitur steriles, virgines non nuptae, aut aetate ita procedentes, ut a menstruis defici incipiant, mammarum scirrhis inprimis obnoxiae sunt. Solent autem ubera tum flaccescere et collabi,

palpebrarum glandulae inflammari et turgescere, digestio labefactari, animus marcere.

Haec si adest dispositio, levis caussa, qua comprimitur aut contunditur glandula, inflammare eam potest. Thoracum nectilium aut aliarum rerum pressio et contusio in mammis scirrhum generat: in labiis morsus, interdum fistularum per quas tabaci fumus sugitur, pressio; in aliis partibus similes caussae et inflammatio manifesta praegressa.

E. De ulceribus.

a. *Generatim.*

§. 168.

Ulcerari dicimus partem, quae, inflammatione praegressa, sanie quadam acri exeditur, ut destructio potius quam redintegratio partium deperditarum finis ejus processus esse videatur.

Ab abscessu differt potissimum ulcus sanie hac acri, aut tenui aut spissiori, decolore, cinerea, cruenta aut nigricante. Foetore etiam a pure diversa et ratione ad reagentia: vel enim manifesto alcalina est, ut cum acidis effervescat, vel hepatica, ut argentum ea nigrescat, vel adeo acida, ut tincturam crotonis rubro colore tingat (*Rich. Walker: diss. on the perspirable fluids of the human body. New. York*, 1802). Acrimonia sua dolores excitat, qui mordaces esse in ulcere solent, finitimas partes exedit et cuticulam consumit.

Dein et tota ulceris facies et ambitus singularem exhibent adspectum. Papillae et carunculae, quae in abscessu existunt, omnino in ulcere deficiunt: sordida potius et livida apparet caro, quae luxuriare etiam et facilime sanguinem profundere consuescit, dum interna vel externa incitamenta partem adficiunt. Ambitus ulceris vel tensus, rubicundus, inflammatus et dolens est, vel tumidus, flaccidus et pallens.

Nonnunquam sanies aëris contactu congelatur, ut vel gelatinam initio sistat, e qua carnis luxuries oritur, vel solidescat plane ac in escharam abeat, totum ulcus obtegentem bonaeque suppurationi obstantem. Sordibus etiam, quibus ulcera scatent, sanies occasionem praebet; flaccida ulcera iis abundare solent et ea, quae internis stimulis, menstruorum suppressione, digestionis labe aut frigore, quod corpus excepit, agitantur.

Margines ulceris plerumque erosi sunt aut callosi: illud sanie acerrima efficitur, hoc telae cellularis obdurescentis indole. Occasionem praebent victus vitia vel incitamenta, quae inflammationem sustinent aut sanies collecta, cujus effluxus impeditur.

§. 169. *Continuatio.*

Nascitur ulcus ex inflammatione vehementi, ex abscessu aut in obdurescentibus partibus, dum nervorum imperium in gubernandis secretionibus pervertitur. Quidquid nimiam aut perversam incitationem partis adfectae efficere potest, ansam ul-

ceri oriundo praebet. Galvanismo solo citissime ulcerationem produxit in cute sanissima Humboldtius (*Phys.* §. 40. 247). Contagia varia simili modo agere videntur (*Path. gen.* §. 156). Saepius caussa ipsa inflammationis perseverantem adeo stimulum praebet, ut ulcus consequi debeat: pernionum exemplo, seu inflammationum, e frigore ortarum, quae in ulcera abire consuescunt. Ambusta etiam propter stimulum ignis fortissimum et destructas eo partes, facilime ulcerantur.

Inflammatio, licet mediocris, et ad alias successiones spectans, proclivis tamen ad ulcera fit, dum novi accedunt et mali ingenii stimuli; maxime aër impurus, e. g. in nosocomiis et carceribus; aër nimis frigidus, saepe admissus, unde deligare ulcera nimis frequenter noxium est; unguenta aut balsama nimis acria super omne vulnus injecta, quae, licet blanda fuerint, tamen puris effluxum prohibent et bonam secretionem turbant; dein linamenta turundaeque aut fasciae adstrictiores, quibus abscessus et vulnera valenter comprimuntur. Pus vero etiam in integro sanoque homine in saniem converti potest, si continuo ac nimis movetur membrum, quo incitatio vehementius justo augetur, aut si fomentis tepidis tractatae partes remissiores fiunt, neque ad eam efficaciam perveniunt, quae idonea est ad pus gignendum.

Peregrina corpora, quae abscessum infestant, in sano homine ulcus excitare valent. Glandes plumbeae aut fragmenta ferrea, e tormentis bellicis conjecta, quae manserunt in vulnere: insecta,

vermes, hydatides aliaque animalcula in vulneribus abscessibusque nidulantia: calculi renum et vesicae inflammationes eorum locorum in ulcera convertunt; nec desunt exempla calculorum in aliis ulceribus generatorum (*Ruysch.* : *thes. anatom. VIII. p.* 57).

Nec negligenda est partium quarumdam indoles, qua ad ulcera potius quam ad alias inflammationum successiones disponuntur. In pedibus saepissime ulcera gignuntur, tum propter positum declivem pendulumve, tum ob tendinum copiam, tum denique ob communionem cum viscerum labe.

Circumspiciendus enim est in ulceribus plerisque, utique pervicacibus, habitus corporis, qui ubi malus est et humida corrupta, necesse est sanies potius quam blandum pus generetur. Cachexiarum varia genera, syphilis, scorbutus, lepra, scrofulae, et quae *framboesia* dicitur, peculiaria producere ulcera valent. Nonnunquam solae abdominis stases ac debilitas organorum digestioni inservientium accusanda est, unde et arthritis sui ingenii efficit ulcera, pedumque ulcerationes diuturnae ab eo viscerum abdominalium statu pendere consuescunt (*Path. gen.* §. 83). Hinc et menstrua ulcera originem petunt, quae in mulieribus, a menstruo sanguinis cursu defectis, orta quolibet mense exasperari ac sanguinem fundere solent. Denique et in hominibus senio confectis aut macie extenuatis non rara sunt ulcera, malae nutritioni et perversae nervorum actioni tribuenda.

§. 170. *Continuatio.*

Quid autem contingat in parte adfecta, ubi vel inflammatio vel abscessus in ulcus mutatur, haud obscurum erit, si ad phaenomena et ad caussas remotas, jam indicatas, consilium transtulerimus.

Pus blandam amittit indolem et in saniem abit supra descriptam. Margines impuri, sordidi et velut erosi redduntur: dolent et vel obdurescunt vel flaccescunt. Cum intus aliquid ulceratur, dolores nascuntur rodentes, ponderis sensus in parte adfecta, functiones laeduntur, febris accedit hectica et macies totius corporis. Interdum ejicitur sanies per vias naturales, ut sputa fiant saniosa, si pulmones; ichorosa alvi dejectio, si hepar aut intestina labem eam conceperint.

Quibus positis intelligitur, secretionem perverti ob nervorum eam perturbationem, qua impares ad moderandas separationes fluidorum redduntur: unde secessus in elementa polaria patet (*Phys.* §. 248). Confirmatur hoc ratiocinium, curatione, quae eo semper tendit, ut moderamen nervorum restituatur, caussis remotis, intensitas virium vel augeatur vel ita minuatur, ut idoneum gradum acquirat.

b. De ulcerum variis speciebus.

α. Ulcerum locales differentiae.

§. 171.

Exigit gravitas rei, ut, ulcerum varia genera perstringentes, distinguamus ea, quae in parte adfecta ipsa caussam varietatis habent, ab iis, quae vel a peculiari quadam humorum labe vel a singulari corporis malo habitu nascuntur.

1. *Callosa* igitur primum ulcera dicimus ea, quorum ambitus totus duritie laborat pallida, arida, inerti, cartilaginem simulante. Oritur id vitium ex arescente tela cellulari et impedito humorum adfluxu: vulgare itaque est in senio et melancholico habitu. Interdum quoque pedum ulcera callos habent, propter ligamentorum copiam, humorum adfluentium penuria laborantium.

§. 172. *Continuatio*.

2. Ulcera *sinuosa* vocantur, quae ab angusto ore orsa altius penetrant et intus cava ampliantur; si cum callis junguntur, *fistulae*. Propria sedes quidem in tela cellulari est, sed sub cute transverse aut vario ductu lata ad ossa, tendines, musculos et cartilagines penetrant, eaque violant. Nonnunquam tortuose flexa intus in plures sinus dividuntur: interdum in caveam quamdam internam aperiuntur aut ex ea ortae extus patescunt.

Curiose autem investiganda sunt ulcera, ut sinus hi reperiantur. Fit id potissimum specillo in

ulçus demisso, quod vero nisi cautissime adigatur, potest in aperto sinu nos decipere. Necesse etiam est, si fistula intra musculos fertur, hi quiescant, qui dum agunt, sinus premunt ac prohibent, quominus in hos specillum compelli possit. Tortuosi flexus sinuum aliter pervestigari nequeunt, nisi membro aliter collocato. Discitur etiam in sinus ulcus porrigi, cum deligatum aut turundis spleniisque occlusum os tumidos a remanente et turgente ichore ductus, qui juxta sunt, ostendit. Dein e modo, quo effluit sanies ejusque copia intelligitur sinus adesse, in quibus ea colligitur. Solet quoque dum os ulceris comprimitur, pars quaedam vicina, sub qua sinus est, dolere, tumescere et obdurescere. Denique exploratum habemus, fistula adesse, dum naturales humores cum sanie effluunt, urinae exemplo in ulceribus perinaei, bilis in ulceribus epigastrium obsidentibus, salivae in iis, quae malas occupant.

Caussae, quae ulcera in fistulas mutant, versantur maxime in purgatione ulceris omissa, in occlusione oris per turundas et linamenta carpta, quibus reprimitur sanies et cogitur ad erodendas partes, quae juxta sunt. Dein solet humoris naturalis acrimonia, lotii exemplo ulcus adluentis, sinus rodendo producere. Peregrina insuper corpora, glandes plumbeae, festucae osseae, tendines aut cartilagines articulorum, ubi ulcera obsident, sinus cavare possunt. Postremo singulare cutis aut partium adfectarum vitium, ut caries ossis, sinuosa potius quam alius ingenii ulcera generat.

§. 173. *Continuatio.*

3. *Caries* vocatur ossis ulcus, utplurimum cum lenta periostii inflammatione junctum. Ea enim membrana, vasis nervisque perreptata ossibus nutrimenta advehuntur. Itaque in periostio maxime ortus cariei quaerendus.

Cum caries sit vel primaria ossis aegritudo, vel ex ulcere partium molliorum, quae juxta sunt, in os propagata, discrimen hoc in totius adfectus historia tenendum.

Primaria carie os vexari intelligitur doloribus atrocibus, pervicacibus, tactu et calore stragulorum auctis, tumore etiam ossis duro, nonnunquam desidente post remedia externa sedantia. Cutis, quae supra est, commutato interdum colore, attollitur, flaccescit, pallescit ac carnes finitimae minus cum osse cohaerent. Interea febris accedit hectica, horripilationibus crebris e parte adfecta subnatis, sudoribus profusis et macie corporis inchoante.

Quodsi externum ulcus in cariem ossis subjacentis abit, sinuosa illius indoles, saniei quoque tenuitas, cinereus color, punctulis atris scatens, hepaticus foetor, haec omnia produnt os vitiatum. Specillum ubi versus os compellitur, tangitur id, periostio orbum, vel porosum, vel molliusculum ac velut carneum. Dum in conspectum prodit, labes cognoscitur e colore naturali mutato, compage fragili atque aspera. Ossis enim integri color est ex albo coerulescens, qualem habet tunica oculi

exterior: paullo magis sanguinolentus est color ossium infantilium. Accipiunt enim colorem eum a sanguine vasa percurrente. Candida fiunt et calci similia ossa, cum propter sanguinis defectum emoriuntur. Luridus autem color et nigrescens a medulla corrupta, quae persudat, repetendus est.

§. 174. *Continuatio.*

Cariei progressus tum lentissimus est, tum varia recipit discrimina.

Interdum si ex ulcere externo os vitiatur, exiguum illud ulcus esse et marginem habere inflammatum, sine sensu tamen esse solet. In fundo autem ulceris surgit caruncula spongiosa, cujus apex osculum habet, calloso annulo cinctum, e quo sanies cariosa stillat, quoties illud presseris. Quae caruncula si cultello aut lapide infernali tollitur, dolorem nullum excitat, brevi vero tempore rursus generatur, iterumque saniem stillat. Nonnunquam penitus clauditur, cicatrice etiam obtegitur ulcus externum, auctis interea doloribus tumentis ossis, febreque hectica magis accensa: decrescunt haec symptomata, simulac iterum recruderit ulcus.

Recurrentibus his vicissitudinibus, ossis compages adeo emollitur ut in gelatinam aut saniem ipsam corruptam degeneret, atque vasis absorbentibus in glandulas vicinas avehatur. Sic emoritur os, dum ad cariem necrosis accedit. Contingit id vitium provecta potius aetate quam adolescente: dein accusanda sunt etiam continua incitamenta, quibus periostii inflammatio servatur et augetur

quorsum euphorbium praeprimis pertinet. Aëris contactus quoque mortem partium promovere solet. Id, quod absorberi aut in saniem mutari nequit, remanet; fragile, porosum; ubi aër contingit, atrum; carnibus tutum albidum servat colorem. Emortua haec pars decedit ac resolvitur a parte sana, quod *exfoliationem* nuperi vocant, Hippocrati dicebatur id os ἀποστρακός. Levior fit haec ossis pars, cumque vasa omnia et periostium deperdita sint, ab integra parte protruditur, dum inter hanc et emortuam partem caruncula nascitur, quae, quod abscedit, expellit. Ossa rara et cavernosa hanc squamarum resolutionem minus experiuntur: quae dum in ossibus planis ac bilamellosis contingit, dioplë destructa, utraque lamina secum collabitur. In his ossibus exfoliatio perficitur quatuor hebdomadibus, si adolescit aeger, viribus vegetis: paullo tardius contingit in ossibus solidioribus, multo vero serius in iis, qui aetati processerunt. Contingit quidem, sed sine ordine ac satis impedite, ubi malus habitus aegrum vexat, ubi victus ratio et acrium remediorum abusus bonam secretionem et carunculae generationem impedit, impeditius etiam contingit in ossibus cavernosis et porosis. Solet quidem tunc pars ossis resolvi, alia tamen superstite et cum integra parte cohaerente: latet nonnunquam emortua pars sub integra ac ab hac occluditur: quibus rebus restitutio ossis impeditur. Quodsi vero exfoliatio bene succedit, cum sanie frustula aut squamae excutiuntur, succrescente interea parte integra.

§. 175. *Continuatio.*

In hoc vero processu, quo emortuae partes resolvuntur novaeque generantur, distinguenda est mixtionis et vasorum, quae juxta sunt, mutatio. Cum ossium terream substantiam maxime formet calx phosphorica (*Phys.* §. 47), haec omnino mutatur atque resolvitur, ut, acido phosphorico amisso, sola calx remaneat, vel per vasa absorbentia avehenda, vel exfoliatione expellenda. Vasa autem absorbentia magnopere efficacia esse tum ad avehenda ossium elementa, tum ad expellendas partes emortuas, patet e tumoribus glandularum vicinarum duris, tum e spatio aut canaliculo inter emortuam et vivam ossis partem oborto. Siquidem margo vivae partis laxatus et turgidus affluxu humorum, dum expulsum est emortuum ossis fragmentum, collabitur et attenuatur: emortua etiam pars porosa fit et cavernosa, margo inaequalis et asper e orumdem vasorum vi atque potestate. Itaque nec prius caruncula generari potest, nec dum generata est, protrudere emortuam partem, quam absorbtae fuerint partes et vivae et mortuae, ut spatium intermedium nascatur.

Regenerantur facilime ossium longorum et tubulosorum partes mediae, quod internam potius compagem ossis caussa corripere solet, intacto ac integro periostio: ex hoc enim tumido atque inflammato caruncula potissimum gignitur. Ossium planorum regeneratio imperfecta esse con-

suescit, foramen terebra factum in integrum restituitur, cum periostio careat; tela potius cellulari vices osseae substantiae gerente. Dum lamina ossis longi lative deperditur, haud restituitur, propterea quod caro e vivo osse succrescens pro periostio valet, cum partibus, quae juxta sunt, adeo arcte coalescens, ut cicatrix cutis ossi firmiter incumbat.

Novum os, primitus gelatinosa substantia, e vasis periostii secreta, tumidum initio est, gravius sano, asperum et papillosum: dein aequabilius fit, glabrum et levius: nec tamen vel laminas recipit adeo regulares nec fibrosa ea strata, quae in pristino osse observabantur. Est potius callus magis compactus, nec omnino ita formatus ac sanum os (*Path. gen.* §. 105). Cavea interna ejus aeque ac externa facies, cuticula obducitur. Ubi os emortuum regenerato occluditur, hoc habet foramina rotunda aut ovalia, periostio margines velante, quae cum sinibus ulceris externi cohaerent. Ea foramina nec arrosioni per saniem, nec musculorum insertioni tribuenda sunt, cum positus sit varius, forma tamen regularis. Oriuntur potius variis locis, ubi periostium vesicula sublatum, nullum sanguinem admittit: inserviunt expellendis ossis squamis, neque observantur, postquam emortuum os expulsum est.

§. 176. *Continuatio.*

4. *Carcinoma* vocatur ulcus malignum e scirrho ortum aut glandulosas saltem partes occupans,

marginibus revolutis et carunculis fungosis cruentis praeditum, venisque turgidis cinctum, saniem postremo effundens, quae contagiosa saepenumero est.

Glandulosas partes semper occupat carcinoma, quae vel obdurnerunt vel leviter inflammatae papillam habuerunt, quae diu persistens tandem dolores urentes, pungentes experta, nullo modo emolluit, neque fluctuavit, sed durior etiam reddita est, dum in carcinoma abiret. Interea venae, quae juxta sunt, livent, turgent et quasi recurvantur. Eousque *carcinoma occultum* vocatur, in cujus media parte, quamvis superficies durissima esset ac aspera, humor tamen acerrimus et foetidus repertus fuit. Is cum velamentum scirrhum comprehendens et supremam cutem exest, cancer apertus fit, elato humore foetidissimo et acerrimo, qui gustatus vel olfactus nauseam insuperabilem adeoque pervicacem producere visus est, ut mortem consciscere potuerit (*Gualth. Harris*: *diss. med.* X, p. 168. Lond. 1725. 8). Acrimonia haec humoris hepaticae indolis plerumque est, ut argentum atro colore tingat. Interdum tamen visa est acidum continere, quod succos plantarum coeruleos rubro colore tingerent (*Lefebure*: *in Samml. für prakt. aerzte*, *B.* II. *St.* 4. p. 171). Adjacentes partes arrodit, dolores intolerabiles, rodentes suscitat, vasis lymphaticis absorbta in glandulas abit, quarum tumores efficit.

Contagiosae hujus saniei indoli, Bierchenii praeprimis experientia confirmatae, repugnant ex-

perimenta Aliberti ipsiusque Lefeburii, quorum uterque cani lambendum dedit ichorem, citra omne detrimentum, ille etiam sibi et alumnis scholae clinicae parisiensis inseruit ipsum virus. Orta fuit pustula in loco inertionis, glandulae axillares intumuerunt, febris accensa est, sed eluctati sunt teterrimi mali ortum (*Salzb. medic. zeit.* 1809. I. p. 190). Nihil vero probant ea experimenta, nisi dispositionem exigi, si contagio morbus ipse successurus est.

§. 177. *Continuatio.*

Super saniem hanc pessimam carcinoma dignoscitur ortu ex pustula glandulosae partis aut duritie scirrhosa, quae absque omni emollitione aperiretur: dignoscitur marginibus revolutis, duris scabrisque, qui brassicae nonnunquam capitatae speciem prae se ferunt, colore subrubro, livido aut nigrescente. Putris caro etiam oras ulceris et fundum infestat, eminens et cruenta. Lente quidem sed continuo partes, quae juxta sunt, telam cellularem, carnes, vasa, nervos, ipsaque ossa exedit sanies, unde acerbissimi dolores die nocteque aegrum torquent, sanguinis e vasis exesis profusi copia eum extenuat aut interimit. Febris accedit hectica, maciem totius corporis adferens. Spiritus difficultas et tussis clangosa, cum ad ultima ventum est, hepati utplurimum tumido tribuuntur.

Curationem omnem, nisi quae ferramentis fit ac igne, respuit ulcus, utique dum vasa absorbentia et, quas tendunt haec, glandulae tumescunt

et dolent. Tum enim absorbtum virus aliis locis simile malum excitare valet. Dum mamma alterutra cancro obsidetur, recrudescere solet morbus in altera, etiam altera exstirpata, dum glandulae juxta cartilagines sterni sitae dolent et intumescunt. Neque tamen prius totius humorum massae infectio extimescenda est, quam, glandularum vi omni amissa, febris putrida accenditur, animique deliquia accedunt, quo facto subito aegra exstinguitur (*Path. gen.* §. 95. 96).

β. Ulcerum differentiae, quae a caussis universum corpus adficientibus repetuntur.

1. *Carbunculus.*

§. 178.

Haudquaquam a sola peste, sed et ab aliis caussis debilitantibus, maxime a miasmate putrido pendet ulcus malignum, quod verno et aestivo tempore incolis Galliae australis et Sibiriae meridionalis et Pannoniae familiare est (*Plin.* 26, 1. *Larrey's Denkwürdigk.* p. 28. 29. *Pallas. Reise* 2, 229. *Schraud vom Scharbock.* Wien 1805).

Prurigo praecedit cum doloribus leviter pungentibus ejus partis, quae ulcus habitura est. Pustula effertur, quasi morsus fuerit aeger insecto, in vesiculas abit, flavida sanie farctas. Tela cellularis tumescit, rubescit, mox livescit et obdurescit. Vesiculae ruptae saniem effundunt, qua tumor et durities circumcirca proserpit. Tela cellularis, qua

cutis constituitur, nigrescit, arescit, obdurescit corii ad instar. Media parte firmiter partibus, quae subjacent, adhaerente atque contracta, ambitus magis magisque tollitur, livescit et sphacelum concipit.

Comitantur ulceris eruptionem capitis dolores, vertigines, vomituritio, ciborum fastidium, vigiliae, somnia tumultuosa et ipsa vesania. Pulsus debiles sunt, exiles et tardiores, quo diutius malum moratur. Difficulter spirat aeger, interdum singultibus vexatur. Urina parca est et alvus dura. Dum haec contingunt, media pars carbunculi firmiter adhaerens partibus subjacentibus escharam concipit et in spachelum abit: e vesiculis escharam cingentibus promanat latex serosus, metalla atro colore tingens. Aegri anima deficiuntur et spiritibus, soporantur, vertigine et singultibus corripiuntur, donec exitium sequitur: quod a tertio ad nonum usque diem accidere solet.

§. 179. *Continuatio.*

2. *Ulcera e consensu cum abdomine.*

Stasibus abdominalibus morbos cutaneos saepius originem debere, jam supra (*Path. gen.* §. 83) monitum fuit. Nihil profecto frequentius est ulceribus, quibus pedes mulierum a menstruo sanguinis cursu defectarum infestantur, quaeque singulis mensibus exasperari ac sanguinem fundere consuescunt. Salubria haec ulcera vicem gerunt naturalis mensium fluxus, neque sine noxa siccari

debent aut reprimi. Pertinent huc etiam ulcera, quae haemorrhoidum fluxum interceptum sequuntur et arthritica ulcera, quae, ab atonia viscerum epigastricorum nata, menstruis circuitibus dolores acerbos et ichoris profluvium producunt. Haec si siccantur, dolores vagi arthritici cum spasmis et inflammationis internae metu oriuntur.

Huc etiam numeranda sunt ulcera, quae frequenter hepatis labem, inflammationem lentam et ulcerationem excipiunt, bibulis hominibus infesta.

Hujus ingenii sunt ulcera gastrica, vel a sordibus orta, vel iis sustenta, ex erysipelate subnata, quod originem gastricam vel biliosam habet: curanda vel levanda remediis, quae sordes eliminant.

Denique hujus loci esse arbitror ulcera herpetem comitantia, quippe cum herpetis frequentissima caussa sit atonia viscerum et stasis abdominalis. Ulcera ea late proserpunt, ardore molestissimo et prurigine juncta: furfures producunt et squamas. Sanies empyreumaticum habet odorem: nec sistuntur ulcera, nisi respexeris ad caussam herpetum.

§. 180. *Continuatio.*

3. *Ulcera e glandularum atonia.*

Glandularum naturali activitate sanguinis integritatem servari, in physiologicis (§. 259) docuimus: labascente igitur eadem efficacia necesse est secretionum vitia sequantur. Haec glandularum

atonia in scrofuloso morbo accusanda, qui ulcera peculiaria producit: orae eorum flaccidae, spongiosae; sanies spissa, mucosa; dolor subnullus: curatio difficilima, nisi glandularum labes circumspiciatur. Pertinent huc et ulcera, tineam capitis, crustam serpiginosam et impetiginem comitantia, quippe quae vitia sine glandularum labe nasci haud solent.

Hujus quoque loci sunt ulcera exanthematum sequacia, dum glandularum functio nondum restituta est. Variolas excipiunt, morbillos et scarlatinam ulcera diuturna, quorum curatio prius non perficitur, quam cutis vasorum absorbentium glandularumque munus prorsus est restitutum.

§. 181. *Continuatio.*

4. *Ulcera e peculiari humorum corruptione.*

Scorbutum comitantur ulcera sui generis, quorum orae spongiosae, cruentae, impurae et velut erosae carnes habent flaccidas, luxuriantes facileque sanguinem fundentes, alte lateque proserpunt, ipsis ossibus infesta, quae molliri solent et degenerari.

Syphilitica ulcera oras habent callosas et duras, fundum lardaceum; dolores producunt acerbos, alte lateque proserpunt et verrucis aliisque formationum vitiis occasionem praebent.

Leprosa ulcera vel impetigine rodenti cincta sunt, vel glandulae vicinae obdurescunt: originem petunt ex ipsa impetigine vel e macula lenticulari

branea. Ichorem fundunt hircini odoris, qui partes finitimas celerrime exest. Eschara obteguntur vel crassa, sensum nullum habente, vel squamis secedente, cum sudoribus foetidissimis profusisque et doloribus lancinantibus.

Varietates morbi syphilitici et leprosi, climatis differentiis tribuenda, diversa ulcerum genera producunt.

F. De gangraena et sphacelo.

§. 182.

Inflammatio dum summum vehementiae gradum attingit, in *gangraenam* abit: quae dum mortem partis adfectae produxit, *sphaceli* nomine venit. Esse quandam viam, qua e gangraena itur ad sphacelum, antiquitas jam sensit. Hippocrates enim γαγγραινώσεις φλεβῶν dixit, ubi colore ruberrimo livescente, venae turgeant et dolor summum gradum acquirat, σφακελὸν vero et νέκρῶσιν, si sine sensu et colore naturali omnis partium vita cessaverit.

Ergo ubi excipit gangraena, rubor intensissimus livore quodam mixtus est; partis superficies nitida, aridissima; aestus et dolor brevi antea validissimi jam sese praeter rationem remittunt. Eorum loco insolitus quidam torpor et stupor membrum tenet, ita ut tactus is locus vel acu punctus dolorem paucum vel nullum habeat. Tumor ante renitens mollis fit, ut digiti impressi sedes etiam maneat; cutis inflata est et livida, pustulis obsita,

quae saniem tenuem, acerrimam, flavidam aut cruentam, foetidam continent: ruptae hunc laticem corruptum effundunt, qui partes, quae juxta sunt, exest. Circa locus dolet et inflammatus est, aut emphysemate cingitur pars adfecta aut oedematibus, corrupta fluida aërea vel aquosa continentibus. Interdum tamen partes finitimae aridae sunt et pallidae, in escharis siccis solvendae. Quod ubi contingit, nulla partis restitutio sparanda est, sed oportet, partes vicinae etiamnum vivaces separent, emortuam jam et vel in ichorem vel in siccas crustas mutatam partem. Cito autem emoritur aut lentius, pro sicca aut humida gangraenae indole: illa enim tardius, haec celerius procedere solet. Morbi etiam genus et aegri constitutio discriminis hujus caussae sunt. Debilis enim aeger, senio et morbis diuturnis aut acutissimis nervosis confectus gangraena citius interimitur, quam dum vires vegetae fuerint et adolescens aetas.

§. 183. *Continuatio.*

Quodsi internae partes gangraena corripiuntur, post summum dolorem, inquietudinem, febrem validissimam, functionis gravissimam laesionem, sequitur subitanea eorum adfectuum remissio aut cessatio: aeger de bonis suis gaudet, meliusculum saltem se credit, licet viribus deficiatur, ardentius sitiat et urinam mittat crassam et foetidam. Jam cum horroribus vagis et irregularibus pulsus valde subsidit et fit σκωληκίζων, seu vermiculate arteriam tollens: malus est habitus, pallet facies,

oculi cavantur et aciem amittunt, membra perfrigescunt et sudoribus frigidis perfunduntur. Anima vel deficitur aeger, vel caligant oculi, auditus gravis fit, vox debilissima. Membra convelluntur; sphincteres ani et vesicae resoluti alvum et lotium, inscio aegro, mittunt. Tandem accedit sopor profundus, letalis cum desipientia blanda: animam agit aeger, dum algescunt et sine sensu sunt externae partes, dum pulsus cessant et spiritus cum cordis motu inordinato desinunt.

Interdum accedere solet atra aut livida externarum partium macula, si viscera gangraena emoriuntur. Neque tamen praepostero illorum judicio adstipulamur, qui, quoties gangraena aut sphacelo corrupta loca in visceribus reperiunt, hoc morbo enecatum fuisse aegrum pronunciant. Cum enim nihil vulgatius sit maculis atris et sphacelosis, utique post febres perniciosas, per agonem potius mortis nasci easdem persuasum habemus, atque post morbos maxime varios observari.

§. 184. *Continuatio.*

Nonnunquam, citra praegressam inflammationem, sponte sua oritur sphacelus in senibus, marasmo confectis. aut in epulonibus et bibulis hominibus, aut iis, qui arthritide emaciati fuerant.

Inchoat is morbus interdum algore extremarum partium et virium summa prostratione, ad quam cum horroribus sopores accedunt profundi, cum pulsibus exilibus, intermittentibus, venis autem circa collum et caput turgidis. Dum haec

contingunt, in extrema pedis parte, aut in malleolis macula parva livida apparet, partibus quae juxta sunt, erysipelate pustuloso obsessis. Macula illa livida mox nigrescit, sine omni sensu est et crustam obtinet, facile removendam, sub qua sanies foetidissima, acerrima emanat. Latius serpit indies haec macula, totum ambitum erysipelatosum corripit, quem emori manifestum est e sensu amisso et corruptione saniosa. Tum, si sui conscius est aeger, nil queritur nisi summam virium jacturam, aestus frigorisque internarum partium vicissitudines: pulsus intermittunt, singultus accedunt et tendinum subsultus, tandemque placide exstinguitur.

§. 185. *Continuatio*.

Successionem hanc inflammationis producunt caussae, quae motum sanguinis per partem inflammatam penitus sufflaminant. Hinc ligatae arteriae, aut osseae earum insulae, aut polypi intra eas nidulantes (*Schmuckers: verm. Schr.* 2, 187); cordis etiam morbi ii, qui circuitum humorum supprimunt, aneurysmata et osteogenesis praeternaturalis, sphacelo extremarum partium favent. Potest etiam supprimi circuitus humorum inepta curatione, unguentis irritantibus et quae perspirationi obsunt. Supprimitur, si strangulantur partes hernia prolapsa, si fractis et luxatis ossibus comprimuntur.

Alia caussa est in debilitate repente accidente quaerenda. Quodsi enim vires arteriarum inter-

sissime suscitatae cito exhauriuntur, necesse est partes adfectae emoriantur. Contingit id vel per epidemicam constitutionem, ignis S. Antonii (*an-nâr annâfer Arabum*) exemplo, qui erysipelatis sphacelosi facie anno 1090 per totam Europam grassabatur; vel per aëris corruptam indolem, qua nosocomiis familiaris gangraena oritur, vel per senium et luxum vires infirmantem. Huic praeprimis caussae tribuendam esse puto gangraenam ani, in America meridionali et Africae oris occidentalibus communem.

Tela adiposa praeprimis sphacelo occupatur: rarissimus est in pulmonibus: videtur igitur oxygenes putredinem avertens, etiam a sphacelo cavere. Namque et caminorum purgatores in Anglia, ubi lithanthraces cremantur, scroti sphacelo obnoxii sunt, quod ex carbonis hydrogenei abundantia in fuligine exponendum esse videtur. Denique loca, quibus aeger incumbit, sphacelo corrumpuntur, propter aëris oxygenei defectum in iis locis: praevertitur autem id malum aqua recenti in patina sub lecto collocata. Hinc cum morte et putredine ipsa comparanda est haec aegritudo (*Phys* §. 103. 104. *Path. gen.* §. 95).

CAP. III.

DE MENINGUM ET ENCEPHALI INFLAMMATIONE.

§. 186.

Variae sunt hujus morbi apud veteres pariter ac recentiores notae. Modo enim cum phrenitide, jam cum hydrocephalo, nunc cum febre sic dicta *verminosa* aut cum typhi variis speciebus commutata fuit. Quae commentorum dissidia cum ab Hippocrate inde ad Marcum Bambergensem usque valuerint, nostri esse officii arbitror, paullo uberius in hanc rem exspatiari, ut inflammati encephali peculiaris ac propria indoles patefiat.

Phrenitis, cujus nomine a veteribus insigniri hic morbus dicitur, Cois medicis omnino diversa nuncupatur ab insania febrili. Namque furore melancholico detenti, tremuli et crebro sputantes *phrenitici* dicuntur (*Coac.* 94) et alio loco dementiae cum tremoribus et contrectatione frequenti feruntur esse phrenitides (*Coac.* 76). Neque tamen eo minus morbus ipse, *phrenitis* dictus, a bile per sanguinem redundante et hepatis adfectione repetitur (*Hipp: de morb.* I. 416.: *de adfection.* 518). Arctius vero constrinxit Asclepiades Bithynus phrenitidis significatum, cum stationem diceret ac obtrusionem corpusculorum in cerebri membranis, cum mentis alienatione et febribus (*Cael. Aurel.: acut.* I. 1). Et Aretaeus phrenitidem dixit oriri

a pneumate sicco et tenui, quo sensus caligent (*Curat. acut.* 1. 1). Quae quidem probant, antiquissimum phrenitidis significatum omnino haud eumdem cum inflammatione encephali fuisse: licet Asclepiades paullo propius accesserit ad nostri morbi informationem. Primus autem, qui distingueret cerebri ipsam inflammationem et erysipelas a phrenitide, Philomenus fuit, e Methodicorum schola (*Oribas: synops. ad Eustath.* 8, 11). Tum etiam Apollonius Archistrator egregie distinxit meningum inflammationem, quae capitis vulnera sequatur, ab aliis sequelis (*Galen.: compos. medic. sec. loc.* 2. *p.* 175). Et Cassius Jatrosophista occultam descripsit hujusmodi inflammationem, quae capitis laesiones excipiat (*Natur. et medic. quaes. p.* 9). Maxime vero Paullus Aegineta memorandus, qui varias hujus inflammationis species bene distinxit (*Lib.* 1. *c.* 13. *lib.* 3. *c.* 7. 8). Quem sequuti sunt Avicenna (*lib.* 3. *fen.* 1. *tr.* 3. *c.* 6) et Gilbertus Anglicanus (*Compend. medic. f.* 34. *d.*).

Nostris vero temporibus alii errores, aliae ortae sunt hallucinationes, ut Philomeno novo egere videamus, qui in rectam viam iterum deducat medicos. Quod ut clarius fiat, genuinam primum describamus inflammationem, dein ad varietates veniamus, ut, qualis sit ab aliis morbis differentia, pateat.

§. 187. *Continuatio.*

Meninges, et praesertim fibrosum velamentum cerebri, quod *dura mater* appellatur, inflammatum iri, noscimus ex insomnia perpetua, angoribus summis, oculorum adspectu truci, cruento, e doloribus terebrantibus, pulsatoriis, continuis per internam capitis compagem saevientibus, e capitis rubore saturo et aestu intolerabili.

Febris ipsa utplurimum rigore orsa, in aestum flagrantem transiens, adeo continens est, ut ne momentum quidem sileat, aut, si rarius sese remittit, valde confusae sunt accessiones et decessiones morbi. Dolores capitis terebrantes, atrocissimi, perpetui adsunt, cum sensuum omnium perturbationibus. Oculorum sensus tantopere auctus est, ut ne radium quidem lucis sustineant: crepusculo solo sine dolore videre possunt: pupilla valde coarctata est: nil nisi scintillas et flammam videt aeger. Ipse adspectus oculorum semper magis truculentus, ferox et cruentus fit. Aures sensu acutissimo laborant: fortiorem sonum haud ferunt: continuo susurru et tinnitu vexantur. Vertigines creberrimas excipiunt vesaniae furiosae cum nervorum distensionibus, membrorum convulsionibus; gulae, ani et vesicae constrictionibus.

Pulsus sunt creberrimi, durissimi et irregulares, interdum vero, dum febris persistit, molliores fiunt: creberrime et violenter spirat aeger, suspiria ducit, singultit. Cutis totius corporis aridissima, ruberrima, intenta et calidissima: sudo-

res nonnunquam parci, frigidi circa collum et caput existunt: subinde sanguis e naribus stillat. Urina semper flammea, clara, nil ex ea subsidit: dum vehementer urgent spasmi et nervorum distensiones, aquosa etiam fieri consuescit. Vox est rauca, clangosa: loquela blacsa: interdum aphonia et mutitas accedunt. Haud desunt exempla vomitus biliosi, porracei cum singultibus et spasmis aliis juncti.

§. 188. *Continuatio.*

Genuina haec forma variat pro caussarum differentia. Siriasin aegyptiacam jam diximus (§ 26. δ), febrem intermittentem comitatam inflammatione cerebri gangraenosa.

Jam vero primum describenda est *meningitidis* species, quae capitis laesiones excipit: duplex ea; differt enim inflammatio meningis durae ab adfectu piae meningis, arachnoideae et ipsius corticalis substantiae.

Praecessit capitis laesio ea, ut vel ossa fracta, comminuta essent aut depressum aliquid, vel citra continui solutionem commotio cerebri contigerit. Quae iterum e lapsu in caput aut in extremam spinae dorsi partem, in os sacrum originem ducere potest. Etenim ex alapa inflicta, aut etiam e casu in podicem consequutam fuisse cerebri commotionem, haud sine exemplo est (*Houlston*: *in Samml. für. prakt. aerzte, B*, 15. 13). Perinde autem est, sive ossa calvariae simul fracta sint, sive integra (*Path. gen.* §. 207). Non subito se-

quitur laesionem inflammatio, sed serius iis sequelis contingit, quae e pressione cerebri exponendae sunt. Sic jam Hippocrates valde exitialem pronunciavit febrem, quae die quarto, aut septimo, aut undecimo post capitis laesionem existat (*Praedict.* 2. 83).

Quodsi adfuerit plaga externa, coalescere ea mature consuescit, aeger melius se habere, nihilque conqueri, nisi dolorem loci icti vel leviorem, vel graviorem, noctes inquietas, somnia tumultuosa, pavores, somnolentiam, morositatem. Pulsus interea duriores, concitatiores vesperi sunt, oculorum etiam ferocia et tunicae albugineae rubor terrere debent. Haec vero post aliquot dies symptomata adeo ingravescunt, ut dolores oriantur terebrantes per medium caput, continuae vertigines horrores ex icto loco, virium jactura, oculorum sensus valde acutus, pupula contracta, lucis meridianae aversatio, sternutatio frequens et aurium tinnitus perpetuus. Angores aegrum torquent et spiritus anhelantes: mutitas accedit (1): nonnunquam bilem porraceam convulsus evomit. Accedit tumor partis ictae, latius diffusus et ruberrimus: scissus ostendit periostium a calvaria solutum, lividum, inter id et cranium serosam colluviem: os ipsum emortuo dein simile fit. Deliria fere ab initio adsunt vel ferocia vel mitia cum nervorum distensionibus.

---

(1) *Ὀκόσοισιν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα.* Aph. 7, 58.

§. 189. *Continuatio.*

Differt serior inflammatio, quae vel meningi vasculosae vel ipsi corticali substantiae infesta est. Nonnunquam symptomata effusorum humorum praecedunt; stupores, sopores, sensuum oppressio cum pulsibus intermittentibus: interdum vero post plagam inflictam hebdomades integrae elabuntur, priusquam manifesta fiat aegritudo. Dolores tandem subnascuntur leviores, cum oculorum sensu acuto, delirio blando et tumore partis ictae. Symptomata biliosa frequentia sunt: febris mitis est, sed typhi speciem induit, vires adeo prosternens, ut paucis diebus aeger extinguatur.

§. 190. *Continuatio.*

Tandem lentam cognoscimus formam hujus morbi, infantibus infestam, atque sine caussa manifesta in familiis obvia, quarum pleraque membra dispositione quadam ad hunc morbum in lucem eduntur. Vultus recens nati mire adductus, severus et acerbus, prominula frons et lata, oculorum obtutus defixus, in spasmos nervorumque distensiones proclivitas notant hanc dispositionem, quae vel dum dentiunt, vel serius etiam in aegritudinem ipsam transit. Capitis ambitus solito amplior vasorum activitatem majorem et secretionem auctam, quae embryonibus familiaris est, superesse probat. Ex hac potissimum caussa cum Formeyo febrem hanc *hydrocephalicam*, quae proprie est lenta inflammatio cum secretione aucta, nasci existimo.

Facies morbi quamvis sat variabilis est, lentissimum tamen habere initium solet. Diutius jam infantes bimi aut adultiores hilaritate sueta et garrulitate amissa, austeritatem quamdam ac morositatem prae se ferunt, lente et graviter respondent, impedite gradiuntur, vacillant semper aut pedes distorquent. Somnus est inquietus, turbulentus, pavoribus et ejulationibus interceptus: interdum perpetuo fere soporantur, aut medio quodam statu degunt, quo, palpebris demissis, oculos lente movent, neque quidquam gaudio eos adficere potest. Stationem, quasi fessi, respuunt; dum sedent aut cubant, caput semper supinum jacet. Frons calidior est justo, amplior, sudatiunculis madida. Dolores capitis etiamsi non querantur, tangunt tamen, instincti doloribus obscuris, caput frequenter manibus, Pupula est contracta, lucem aversantur, sonitum quemvis fortiorem expavescunt. Nonnunquam facies rubicundior, maculis consita aut exanthemate tenui, arido. Nulla cibi cupiditas, sitis fere nulla. Plerumque vomitus adest porraceus, levatus, dum supinus cubat, demisso capite: nonnunquam alvus cita, porracea, interdum vero dura. Nares etiam prurigine laborant, ut scalpendi necessitas urgeat: aridae simul nares, ut neutiquam emungi possint. Pulsus valde varii, creberrimi plerumque, duri et spastici: interdum vero tardiores et intermittentes. Anhelitus crebri et suspiria angores indicant, quibus aeger torquetur. Non desunt exempla abdominis inflati et sensu acutissimo praediti, tene-

smi et ischuriae spasticae: neque rari sunt vermes alvo ejecti.

Hac quidem morbi facie nonnunquam enecantur infantes, quorum cadavera secta vasa meningum et cerebri ipsius turgida monstrant et inflammata, neutiquam vero colluviem serosam in ventriculis aut intra meninges.

§. 191. *Continuatio.*

Cum per hebdomada unam aut alteram moratus fuerit morbus, successionis ejus indicia sequuntur, quae vulgatissima est, colluviei nimirum serosae in ventriculis cerebri. Sunt autem: quies aegri infantis, quoties supinus demissoque capite cubat; inquies et ejulatio, quoties erigitur: pupilla laxa et dilatata, unde fricare solent instinctu oculos, ut contracta pupilla cernere possint. Vomitus desit, sed vorant infantes, quidquid obtuleris, si modo supini cubare possunt: quodsi eriguntur, respuunt cibos. Pulsus ante plerumque creberrimus, tardior fit naturali et irregularis. Alvus fit dura. Plerumque continuo sopore opprimitur, aut comate vigili cum desipientia miti, voce rauca, clangosa et balbutie.

Tum demum, ut ad extrema ventum est, iris plane immobilis fit; oculi caligant, strabismo adficiuntur et semiaperti sunt, dum perpetuo sopore sepultus est aeger. Mira est convulsionum et resolutionum vicissitudo: dum enim convelluntur membra, inscio aegro lotium et alvi excrementa secedunt. Pulsus contremiscunt et filo similes sunt te-

nuitate, spiritus difficilime ducuntur, anima deficitur, subito saepe exstinguitur aeger.

§. 192. *Continuatio.*

Praeter hunc exitum, infantibus satis familiarem, meningitis solet etiam abscessus relinquere et ulcera cerebri aut meningum, quae dolore pulsatorio et horroribus e parte quadam capitis oriundis, sensuumque caligine singulari junguntur. Vel enim strabones fiunt aegri, vel alio loco vident res, quam quem occupant: simul resolvitur membrum ejus lateris, laeso oppositi, quod e chiasmo nervorum exponendum est (*Phys.* §. 378). Quodsi e capitis laesionibus inflammatio in suppurationem abit, haec vario modo cognoscitur ac diffunditur, pro sede diversa. Namque, si meningi durae insident apostemata, magis circumscripta esse solent, cognoscenda e pericranii spontanea solutione et calvariae decolore indole, dum tumor externus discinditur. Si vero inter meninges suppuratio contingit; longe lateque per totum hemisphaerium diffunditur, neque tamen vel e pericranii aut calvariae ipsius labe cognoscitur. Est etiam id discrimen, a Monteggia memoratum (*Fascic. pathol.* p. 34); quod abscessus meningi durae insidens, a plaga aut ictu oriatur proxime eum locum attingentibus: collectio vero purulenta inter meninges sedens a commotione capitis aut in oppositum latus directo ictu originem petere possit. Multo minus solent ictus fronti illati hanc sequelam produ-

cere, quam quae vel vertici vel syncipiti infligun-tur, cum lobi cerebri anteriores cum gracili apice ossi coronali occurrentes aegrius possint receptam concussionem cum reliqua cerebri massa communicare.

Si abscessus in ponte Varolii aut in medulla oblongata sedem habent, nervorum distensiones se-qui Bailliei est sententia (*Samml. für prakt. aerzte*, 20, 475). Rarissime tamen ibi sedere absces-sus possunt propter summam ejus partis dignita-tatem, et si adessent, sopores etiam letales absque convulsionibus, effecerunt (*Chambon de Montaux: merkw. krankengesch. und leichenöffn.* 250). Re-stringenda igitur sunt, quae (*Phys.* §. 365) de corruptione ejus partis nunquam contingente posui.

Glandulam pinealem pure plenam invenit Lieutandius (*Hist. anat.* 2, 363. 373): corpus cal-losum ulceribus exesum alii (*Mém. de l'ac. de chir.* 1, 136). frequentissime vero ventriculi cerebri col-luviem aut purulentam aut saniosam continent, tum e metastasi tum e primaria encephalitide or-tam (*Morgagni*: *ep.* 5 n. 2. 4). Hemisphaeria ve-ro cerebri et lobulos anteriores posse ulceribus de-strui, citra insigne vitae periculum, dum e capitis plagis nascuntur, multa docent exempla Inter-dum exponendum id esse videtur e clausa cavea ac membrana callosa cincta, quae pus contineret. Nonnunquam vero, ubi vicina auribus loca cere-bri occuparet, per aures effluvium puris observaba-tur, levans symptomata gravis auditus apoplexiae et hallucinationum, quae praecesserunt. Tali mo-

do etiam consanescere possunt ejusmodi apostemata (*Morgagni* : *ep.* 2. n. 16).

§. 193. *Continuatio.*

Non desunt exempla obdurescentis encephali post inflammationem. Quod dum contingit, ex toto quiescunt symptomata inflammationis, citra succedentem suppurationem. Superest dolor obtusus circumscriptus partis cujusdam, cum pressionis sensu, somnolentia, visus auditusque suppressione, stupore, animi deliquiis, nonnunquam etiam nervorum resolutionibus. Tandem mors consequitur apoplectica. Sic vidit Gilbertus Blane glandulam pinealem tumidam, caseosam, vasis tamen perfusam, postquam ex inflammatione aeger dolores capitis pertinaces cum paralysi membrorum passus esset (*Transact. of a soc. for the improv. of med. knowl.* 2, 197). In melancholicis et maniacis, qui forte inflammatione laborarant diuturna et lenta, frequens est durities totius cerebri: eadem observata fuit in cadaveribus epilepticorum ac qui nervorum distensionibus enecati fuerant.

§. 194. *Continuatio.*

Tandem sphacelus cerebri subito letalis a pristinis inde temporibus animadversus fuit. Quae Hippocratici auctores addunt (1), si tres dies supe-

---

(1) *Ὁκόσοισιν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίγνονται.* Aph. 7, 50.

rarit aeger, evasurum a veritate maxime alienum, cum nec ratione nec experientia confirmatum sit, posse eam cerebri destructionem sanari. Encephalitis, quae ad febrem carcerum et nosocomialem accedit, visa est in sphacelum eum transire. Posse tamen nonnunquam sphacelum eum contingere, citra ullum certum signum, patet e Stoerkii observatione (*Ann. med.* I. 110 — 113). Homo, qui e pulmonum labe subito in animi deliquium incidit eoque immortuus erat, ostendit lobos cerebri medios ad semipollicis crassitiem gangraena correptos, ventriculos vero penitus aridos et in rugas contractos.

§. 195. *Continuatio.*

Accedo ad caussas hujus inflammationis, quarum prima est in capitis plagis vel concussione quaerenda: nonnunquam tamen ictus in alias partes directus, ad caput translatus, eam aegritudinem producit. Sic quoque nil novum est, abscedere aliquid ex aliis primitus adfectis partibus in cerebrum, si e. g. erysipelas, arthritis, exanthemata aut ulcera male sanata vel repercussa sunt, aut si inflammatio aliarum partium in hanc abit. Videtur etiam Desaultio (*Chir. Nachlas*, 2. 90) hepatis irritatio capitis plagas excipiens, iterum in cerebrum reagere, ut serior oriatur inflammatio, praevertenda iis praesidiis, quae hepatis incitato statui blandiuntur. Etenim exploratum habemus, et hepatis et ventriculi irritationem saepius accusandam esse, cum excandescentia et animi perturba-

tiones violentae non raro eum morbum producere visae sint.

Praeterea in aëris nimio calore et sic dicta insolatione frequentissima caussa quaerenda est, non solum intra tropicos et in Aegypto, sed in temperata zona, dum solis radii violenter caput nudatum feriunt, quod quandoque opificibus laterariis et agricolis aut messoribus accidit P. pulariter denique Genevae grassari vidit encephalitidem Vieusseuxius (*Recueil périod. de la soc. de médec. à Paris*, 1805. *p.* 216). Neque rarum est, ad typhum acutum epidemicum accedere.

CAP. IV.

DE OCULORUM INFLAMMATIONIBUS.

A. Discrimina sedis.

I. Glandularum oculi et palpebrarum inflammatio.

§. 196.

Inflammatio, quae tarsum occupat et glandulas a Meibomio dictas, *psorophthalmia* dicitur, etiamsi et alia species cognita sit, haud siccitate et desquamatione cuticulae comitata, sed continuo turgore et effluxu laticis spissioris, butyrum aemulantis. Satius igitur est, *ophthalmiae glandulosae s. adenophthalmiae* nomine totam hanc speciem insignire.

Differt vero haec adfectio a reliquarum oculi partium inflammationibus pruritu et dolore aestuan-

te quidem, sed haud adeo violento, ac dum interiores oculi partes correptae sunt. Plerumque bulbus ipse non dolet, nisi propter lacrimarum acrimoniam, aut ob laticem illum spissiorem, continuo e glandulis laxatis manantem, qui oculi etiam tunicas irritare et secundariam solet ciere inflammationem. Cetero tarsus et caruncula, peculiares adfectus sedes, continuo turgent, rubent, initio arescunt aut nitida velut cuticula obductae incalescunt, maxime vesperi. Tunc ξηροφθαλμία veteribus dicebatur, seu arida lippitudo, si oculi neque fluunt neque magnopere tument, sed rubent tantum, cum dolore quodam levi ac prurigine graves sunt, et palpebrae citra duritiem ullam noctu praegravi pituita inhaerescunt. Qui aestate anni flagrantissima apricantur, aut per pulverulentas vias iter faciunt, obnoxii huic malo esse consuescunt. Quodsi nullus omnino pituitae cursus est, sed angulis et palpebris inhaerescunt gramiae seu λῆμαι parvae et siccae, nec sine molestia elevari aut converti possunt palpebrae, σκληροφθαλμίας nomine venit. ψωροφθαλμία denique appellatur, si oculi scabri sunt, anguli cum multa prurigine rubent, humor vero exit paucus, salsus, acer, qui omnia exasperat.

§. 197. *Continuatio.*

Cum paullo diutius constiterit aegritudo, humor aut pituita initio acris, blandior fit et butyrum aemulatur, quod et tarsum et totam bulbi faciem obtegit, ut mane et vesperi praeprimis visus obnubiletur et halo circa candelam appareat.

Haec quidem caligo soli smegmati tribuenda citra visus ipsius debilitatem est: neque lucem solarem adeo effugit aeger, ac dum interiores oculi partes laborant. Molestias plurimas gignit conglutinatio palpebrarum, ab angulis oriens, quae noctu ingravescere solet. Caruncula lacrimalis simul turgida ita meatus lacrimales premit, ut continuo lippiatur. Lacrimarum depluentium acritudo genas exedere solet: aut destillant per meatus in nares et coryzam ac sternutationem continuam adferunt. Pustulae etiam, per moram morbi longiorem, in tarso subnascuntur, calidae, aridae, dolentes aut prurientes, ciliorum casum producentes et impedientes, quominus palpebrae occludantur: nonnunquam etiam *ectropium*, seu inversionem palpebrae inferioris adferunt. *Hordeolorum* nomine veniunt eae pustulae, ad suppurationem spectant, recidivis obnoxiae, quoties caussa non demta priores inaruerunt.

§. 198. *Continuatio.*

Nonnunquam laticis illius spissi aliquid adeo firmiter vel corneae tunicae, vel conjunctivae adhaerescit, ut macula oriatur vel pterygium, vasis dein perreptatum. Interdum palpebrarum coalitum, seu *ancyloblepharon* (*Path. gen.* §. 102.) inde ortum observarunt. Hordeola etiam obdurescere solent aut in tumores cysticos mutari. Accedunt denique palpebrarum oedemata cum musculi orbicularis ea infirmitate et fere resolutione, ut lentius justo dein moveantur.

Singularis est hujus aegritudinis indoles: recrudescit enim, quoties incitamenta nova oriuntur, Saepius vidimus rationem servare ad lunae phases, ut vel plena, vel nova recurrant (*Path. gen.* §. 123.) Cum menstruo etiam sanguinis cursu cohaerere visa est; atque dum mulieres ab hoc fluxu deficiuntur, ingravescere. Aliae fortuitae caussae, similem habent effectum. Graviditas; aetas qua pubescit juventus; sordes gastricae; vini potus aut aliarum rerum spirituosarum; animi pathemata et ipsum frigus corpore exceptum augere et silentem morbum iterum revocare valent.

Est haec inflammatio utplurimum passiva, debilitati glandularum tribuenda. Hinc hereditaria saepe adest dispositio, in recens natis obvia, turgidis palpebris et adsiduum laticis fluxum patientibus, praecipue si praecocius justo luce solari oculi feriuntur. Nec matrum fluor albus sine culpa est. (*Gibson: in Edinb. med. journ.* 1807. n. 10.) Superest ea dispositio per omnem vitam, dum dentiunt infantes, dum pubescunt, iterum morbum producens: denique et vetulis mulieribus lippientibus infesta.

II. Exterioris tunicae inflammatio.

§. 199.

Taraxis vocatur, si exterior tunica conjunctiva inflammatur, qua et lamina corneam obvestiens laborare potest. Incboat tamen ardore et pruritu

in angulo oculi interno, cum rubore saturno vasorum turgentium. Juxta carunculam lacrimalem cruentae maculae esse atque reticulis variis ad corneae marginem usque extendi solent. nterdum et pustulae exiguae reticula ea intercipiunt, quae dolores cient et palpebrarum motui obstant.

Intumescit conjunctiva, ingravescente inflammatione, ut super corneam feratur: varicibus videntur corripi, vasa et rubescere etiam ipsius conjunctivae vasa capillaria, quae corneam velat. Lippitudo perpetua aegrum vexat, lacrimis intra palpebras clausas collectis inflammatio magnopere augetur, cum acerrimae esse et effluxu genas naresque exasperare soleant. Ad haec dolores satis vividi, pungentes, luce valde aucti: hinc fugit lucem aeger, in crepusculo degere cogitur et oculos claudere. Visus acies omnino magis infirmatur quam in priore specie. Vel enim caligant oculi et velut per nebulam omnia vident, vel dittopia laborant, vel rubra omnia cernunt aut scintillas continuas. Interdum, utique in infantibus et teneris hominibus, febricula accedit vespertina.

Resolvitur inflammatio, dum dolores decrescunt, lacrimarum acrimonia minuitur, dum rubor oculi magis pallescit. Lacrimarum blandiorum effluxus indicium et benignae solutionis. Neque tamen immunis est, qui convalescit, a recidivis, aut a debilitate visus, quae tonica exigit et adstringentia. Est denique ea utriusque oculi consortio, ut altero adfecto alter facillime etiam corripiatur.

III. Interiorum partium inflammatio.

§. 200.

Chemosis dicitur, dum interiores oculi partes, iris, aut sclerotica aut choroidea, inflammantur. Subnatam esse harum partium inflammationem colligitur e dolore multo graviori, interioresque partes infestante, per caput etiam saeviente, aut nervum frontalem seu supraorbitalem percurrente: dein visus multo magis laborat, maculis saltem atris, saepe omnino penitus amittitur, dum dolores vehementissime urgent. Rubor partium externarum vel mediocris est, vel in sola caruncula lacrimali obvius, vel plane nullus. Lacrimae fere nullae promanant, ob nimiam inflammationis vehementiam, aut quod solae internae partes laborant, aut postremo, quod adjuncti sunt spasmi vasorum exteriorum. Interdum tamen internae inflammationes, quae magnum casum habent, lippitudine insigni ordiuntur quam subito post sternutationem violentam caligo sequitur cum tormentis oculi interni immanibus.

Semper febris adjuncta est satis ardens, vel inflammationi ipsi originem tribuens, vel cum eadem a populari caussa producta. Dolores simul cum febre ingentem producunt totius corporis incitationem, aestum flagrantem, vigilias continuas, vesanias et furores. Haec pessimum portendunt exitum, dum caligant oculi, dum continuo sternutat aeger et caruncula lacrimalis livet. Abit in-

flammatio ea in oculi destructionem, ulcerationem aut coecitatem.

B. Discrimina caussarum.

I. Topicae.

§. 201.

Vulgatissimae ophthalmiarum caussae sunt stimuli proxime oculum adficientes, qui sanguinem adlicere in vasa capillaria et nervorum potestatem pervertere possunt. Ictus et plagae, tum casu, tum manu chirurgi inflictae, huc pertinent, praesertim curatio cataractae, quae ferramentis fit, quaque vel cornea pungitur vel iris etiam laeditur: unde *Iritis* Schmidtio dicta, seu chemosis sequitur, qua uvea maxime adficitur. Si calvaria fracta periostium laeditur et inflammatur, propagatur nonnunquam inflammatio in adnatam oculo tunicam. Etiam omnia acriora, ignis, externus et adventitius calor, fumus, ventus, festucae, pulvis, calx viva et aliae res oculos adeo offendunt, ut inflammationes sequantur.

In arcticis regionibus vulgares sunt ophthalmiae tum propter splendorem nivis et glaciei continuum, tum ob ventos acres marinos. *Aegyptiaca* etiam *ophthalmia*, quam Galli medici, Larreyus, Desgenettes et Savaresius optime observarunt, simili caussae, solari nimirum luci, ex arena candida resplendente, potissimum tribuenda est.

§. 202. *Continuatio.*

Neque tamen rariores sunt ophthalmiae, ex universi corporis adfectionibus oriundae. Abscedere enim solet aliquid e morbis universalibus in oculum, tanquam in organismum peculiarem, cujus dignitatem gravissimam alibi jam tetigimus (*Phys.* §. 407. *Path. gen.* §. 237.). Aliis morbis popularibus intercurrunt et ophthalmiae, epidemici ingenii participes, peculiarique modo, pro natura epidemiae diversa, terminatae.

Frequentissima fere est catarrhalis et rheumatica, quae vel anni tempora sequitur vel etiam stationaria est et nonnunquam endemica. Namque quae in Aegypto vulgaris est, etiam huic caussae adscribenda, cum ii potissimum obnoxii sint, qui subdio degunt, subdialia etiam habent cubilia. Haec quidem species solet lippitudine continua, oedematibus palpebrarum, coryza, doloribus musculorum vagis et lancinantibus juncta esse, atque, nisi solvitur, abire in hemicraniam.

Satis vulgaris est caussa gastrica. Comitatur ophthalmia febres biliosas aut gastricas populares, emeticis saepius cedit, recurrit post epulas et ciborum digestu difficilium ingestionem.

Finitima huic est, quae ex atonia organorum digestioni inservientium nascitur. Diuturnae et per circuitus redeuntes ophthalmiae, plerumque glandulosae, oriri solent e stasibus abdominalibus, menstruis suppressis aut haemorrhoidum fluxu intercepto. In arthritide etiam anomala non rarum est,

vehementem oriri ophthalmiam, iis solis remediis debellandam, quae revocare arthriticos in pedibus dolores possunt (*Morgagni* : *ep.* 57. n. 9.). Neque absonum est, lippitudinem, quae dentitionem difficilem infantum comitatur, e simili potius caussa pendere, quam e dentium stimulo (*Phys.* 100, 3. 4. 113. *Path. gen.* §. 37.). Siquidem evolutio partium eo tempore, quo dentiunt infantes, sentiendi facultatem intendit ac inaequalem efficit per ganglia imponderabilium distributionem, unde epigastrica et ventris viscera praeprimis turbantur, ut spasmi nascantur, colluvies mucosa, bilis corruptio et nervorum distensiones, quae circuitum sanguinis quoque pervertunt atque impetum versus nobiliora organa producunt.

§. 203. *Continuatio.*

Dein cum extremis partibus praecipue cum glandulis, est notabilis quaedam oculorum communio, qua sympathica ophthalmiae indoles exponitur. Exanthematum variorum, variolarum nimirum et morbillorum, vi est tribuenda inflammatio oculorum singularis, quae diu moratur nonnunquam et difficilem admittit curationem. Ex achoribus, tinea capitis, scabie, ulceribus et fonticulis repressis alia existit ophthalmiae species diuturna et quae casum recipit, cum alio modo ac revocatis secretionibus pathologicis curari nequeat. Hinc et scrofulosa diathesis praeprimis in opthalmia glandulosa accusanda venit (§. 198.).

Contagio, quod primitus in cutem agit, ophthalmiam aegyptiacam saltem communicari, observatio

est Gallorum medicorum, qui medicinam in Aegypto fecerunt.

§. 204. *Continuatio.*

Peculiare etiam virus nonnunqnam circumspiciendum est, maxime, ubi blennorrhoea virulenta verendarum partium suppressa est. Quodsi autem ad verum res exigitur, nimis incitatus partium adfectarum status accusari debet, cum vel victus vitia vel frigus corpore exceptum, vel medentium imprudentia, qui nimis calida et stimulantia adhibent, propagationem irritationis ad oculum efficere soleant. Migratio saltem humoris peculiaris blennorrhoici ad oculos argumentis supra propositis (*Path. gen.* §. 96) explodenda est. Oritur autem violentissima inflammatio cum tormentis ingentibus per orbitam et capitis interiora, cum sternutatione frequenti et ardore palpebrarum: accedit livor carunculae et vasculorum prope ab ea per conjunctivam tunicam diffusorum. Accedit caligo oculorum cum repentina puris intra cameram oculi anteriorem collectio, qua caecitas absolvitur. Solet enim vel staphyloma producere vel destructionem oculi: viri soli obnoxii sunt huic malo, neque unquam in mulieribus animadversum fuit.

Syphilitica ophthalmia peculiaris est, initio periodica, prurigine palpebrarum et lippitudine juncta, accedente dein caligine. Si caruncula lacrimalis livescit, si varicibus intumescunt tunicae conjunctivae vasa, si cornea inspissatur, magnum

habet casum aegritudo. Interdum ad conjunctivam exsistit caro luxurians cruenta, ad ulcerationem malignam spectans, cum quovis tactu conjunctiva sanguinem fundat.

Neque deest scorbuto sua ophthalmia, a Gul. Brown observata (*Medic. comment. v. Edinb.* Dec. II. *B.* 2. p. 50). Ecchymosin repraesentat cruoris per conjunctivam, salva tamen cornea, salvo aquoso humore in cameris residente.

C. Successiones ophthalmiae.

I. Maculae corneae.

§. 205.

Maculae corneae tunicae, olim fere ulceribus tributae, aliunde tamen et originem trahunt, variis nominibus insigniuntur. Ἀχλὺς veteribus quaelibet *caligo* dicta, seu αἐγὶς, jam vocatur nebula super corneam tensa; *νεφέλιον* vero, quod nec Galenus exacte definivit, dicitur, si satur est color, candidus aut margaritaceus: quae si macula solidescit atque vasis perreptatur, λευκώματος, *albuginis* nomine venit. Id παράλαμψιν Galenus vocabat (1), Erotianus vero ἄργεμον (2).

---

(1) Παράλαμψις] ἡ ἐν τῷ μέλανι τῶν ὀφθαλμῶν ἐπιλάμπουσα οὐλή Galen. *defin. med.* 538.

(2) Ἄργεμον] πάθος τὶ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λευκωματῶδες. Erotian. 66.

§. 206. *Continuatio.*

Est omnino *αἰγίς* saepenumero cicatrix ulcusculi corneam rodentis, aut relinquitur e pustula taraxin validam comitante. Interdum tamen citra hunc ortum inflammatio vehemens transsudatione humorum terminata maculam hanc producit, vel dum superficiem mucus petit, vel dum intra corneae laminas nidulatur. Si ultimum accidit, haud supra effertur, nitet etiam sueto splendore tunica: dum illud contigit, elevata parumper macula amittit nitorem et opaca fit.

Necesse est, caliget oculus ita adfectus, sed vario modo. Dum exigua macula medium locum, pupillae adversum, tenet, contracta illa per lucem diurnam, *nyctalopia* nascitur (*Path. gen.* § 278). Si macula latus alterutrum obsidet, *strabo* fit homo: si plane opaca est et totam corneae faciem velat, coecitas sequitur.

Peculiaris est quarundam oculi inflammationum sequela: ii praeprimis familiaris, quae caementarios fabros ex calce admota infestat. Sequitur etiam ophthalmias variolosas et scrofulosas, in quibus facile pituita generatur.

II. Panniculus oculi.

§. 207. *Continuatio.*

Differt *panniculus*, quem et *πτερύγιον* dicunt, a maculis corneae, quod membranulam sistat, non corneae sed conjunctivae ita supercre-

scentem, ut a caruncula plerumque lacrimali incipiat et versus corneae marginem extendatur. Nascitur autem ex inflammatione ejus tunicae hactenus, ut exsudantes humores spissiores, tenaciores et magis opaci reddantur, aut ut laxatae lamellae corrugentur et tunicam crassam faciant. Colore quadantenus differre a reliqua tunica solet; pallidior enim est et flavedine quadam imbuta membrana, alarum etiam formam imitatur, dum corneae margini obtenditur. Initio, dum nondum corneam attingit, neutiquam ei officit, neque aciem minuit. Crescit tamen, subnatis vasculis, cumque super corneae marginem effertur, omnino nebula visum obfundit, denique caliginem effectura, ni, quod saepius fit, natura discutiatur. Familiare pterygium est iis ophthalmiis, quae scrofulosam diathesin comitantur, tum iis, quae e stasibus abdominalibus, ex arthritide aut ex exanthematibus nascuntur.

III. Staphyloma.

§. 208.

Staphyloma dicitur vitium oculi, si corneae pars uvae ad modum prominet. Discrimina vero plura recipit. Etenim primum non rarum est, in variis opthalmiis, utique ea, quae blennorrhoeam excipit, abscedere aliquid intra laminas corneae, quo distenduntur et opacae fiunt. Nonnunquam enim purulentus ichor adeo abundat, ut tota cornea vesicae purae repletae speciem prae se ferat; excutitur etiam manifesto, incisa cornea (*Beer: in*

Loders journ. 2. 435). Simili modo pus variolosum interstitia lamellarum occupare potest, neque tamen sponte sua partes adfectas destruit, nisi ictibus fortuitis aut causticis denuo irritetur: alioquin autem, sibi commissum indurescit et cartilagineum fit. Quae vero e blennorhoea aut ex ipsa syphilide oritur, brevi temporis spatio corneam variis locis arrodit, ut cribri ad instar forato sit: prolabitur uvea ipsaque lentis capsula per arrosam corneae internam faciem: corrugantur palpebrae, ut teterrimus fiat oculorum adspectus.

Potest staphyloma sponte sanari, si humor, qui inter laminas stagnat, maturius resorbetur, quod, ni nimis corruptum fuerit quod stagnat, promovetur palpebrarum motu et frictione. Ni hoc contigerit, magis magisque incrassantur laminae, humor ipse solidescit, ut incisa cornea nil praeter cruoris guttulam fundat. Tandem et hoc potest vitium ita gliscere, ut uvea cum cornea coalescat. Alioquin vero prolapsus uveae, quem nonnulli huc trahunt, compositionem morbi facit, aliis quoque caussis tribuendus.

Officit autem visui staphyloma, quod vel incrassata vel humores intus habens cornea perluciditatem amittit. Nocet etiam prominente tumore, quo palpebrae irritantur, impeditur, quominus claudantur, lacrimae continuo proliciuntur et ipsae palpebrae inflammantur.

IV. Hypopyon.

§. 209.

Ad suppurationem spectare oculorum inflammationes, satis vulgare est: testibus hordeolis, pustulis in cornea, ipsoque staphylomate orto ex abscedente inter laminas corneae pure. Ea collectio, praeter staphyloma, potest etiam id vitium caussari quod ὄνυχος nomine, seu *unguis* venit (1). Est enim unguis forma collectio puris intra laminas corneae, flavida, nonnunquam locum mutans, maxime pressa. Oritur per inflammationem violentam, subito, accidentibus interdum horroribus. Absorbtum pus saepe evanescit, aut tenuior pars sorbta relinquit spissiorem. Interdum exitum quaerit, atque vel extus ulcus sinuosum efficit, vel intus in cameram oculi anteriorem effunditur.

Quod si contingit, proprie *hypopyon* appellatur, cujus etiam alius est ex ipsa valida inflammatione ortus. Adesse dicimus id vitium, si citra corneae splendorem, pone illam manifesta suffusio humoris aquei est, qui flavescit, opacusque nullos lucis radios permittit. Interdum macula sola adest

(1) Ὀνύχια λέγεται, ὅταν ἀπὸ βαθυτέρου ἕλκους τὸ πύον ἀποῤῥυεν καὶ μεταξὺ τῶν χιτώνων παρεμπεσὸν καὶ σχηματισθὲν τῷ κύκλῳ τῆς ἴρεως, ὁμοίαν ὄνυχος ἀποτομῇ φαντασίαν ἀποτελέσει. *Aët. lib.* 7 c. 30.

aut nebula, huc vel illuc natans, aut motui capitis et oculorum cedens. Ea macula puris spissescente Loderus vidit pupillam occludi (*Journ.* 3. 42).

Dum vero major vel simul vel gradatim puris copia colligitur, hactenus miscetur cum aqueo humore, ut totam posteriorem corneae faciem flavido colore tingat, quo leucomati simile fit vitium (§. 206). Sed differt adspectus, cum leucoma opacam reddat faciem corneae, haec vero nitidam linquat, illud etiam vasa habeat membranam crassam perreptantia, quae in hac deficiunt, illud postremo immobile sit, haec vero, dum supinus aeger cubat, in posteriorem soleat cameram oculi quadantenus relabi. Ceterum caliginem semper sequi hanc puris collectionem, exploratum habemus, quae per circuitus nonnunquam augeri et minui consuescit.

V. Epiphora seu blennorrhoeae lacrimalis. Fistula lacrimalis. Αἰγίλωψ.

§. 210.

Olim quidem *fistulae lacrimalis* nomine omne id vitium insigniebatur, qua fit, ut lacrimae minus per naturalia itinera ad nares perlabantur, quam redundantes se per genas perfundant: angustatis aut forte resolutis aut etiam compressis iis viis, quarum fabricam alibi (*Phys.* §. 412) descrip-

simus (1). Cum vero fistula potius ulcus complectatur sinuosum, restringenda ea appellatio etiam est ad id malum.

Lippitudinis profecto vulgatissimum genus inflammationes oculi comitatur, cum his constringantur oscula itinerum eorum, intumescat caruncula lacrimalis adeoque comprimat ductus utrinque adjacentes. Est hoc vitium citra lacus lacrimalis tumorem, quod nulla lacrimarum gutta depluat. Quodsi vero ex inflammata tunica Schneideriana, sive e coryza aut e polypis narium oscula ductuum nasalium inferiora occluduntur, necesse est, intumescat lacrimarum receptaculum. Simili modo agunt incitamenta consensu ductus nasales adficientia, sordes gastricae, vermes, rheumatismi aut demum stases abdominales, quae talem interdum moliuntur epiphoram.

§. 211. *Continuatio.*

Non desunt exempla hujus vitii ex obstructis ductibus lacrimalibus. Accidit id tum propter inflammationem ad eas vias propagatam, tum ob tumorem vicinum vel mollium partium vel ossium etiam. Osseum circulum, quem processus nasalis, maxilla superior et exigua ossis lacrimalis portio formant, hoc vitium occupare Wathenius do-

(1) Egregie jam *Franc. Signorotti* domin. *Aelio* opprobrio vertit, quod fistulas lacrimales a blennorrhoeis rite distinguere nesciret.

cet. A spasmis etiam interdum pendere, Janini est observatio. Quod dum contingit, turgent quidem ductus superiores et ipse saccus, sed compressi, nequaquam dolenter, regurgitat latex per puncta lacrimalia, ac gutta quidem per oscula inferiora prolabente. Tenuis esse et aquosus solet is humor: mucosus fit, dum diutius moratus est, ad oscula superiora coït in λήμας, seu pituitam crassam, quaé angulos oculi conglutinat et eo etiam valet, ut coalescant palpebrae. Interdum puris speciem prae se fert humor, neque tamen pus nominandus est, cum humores lymphatici non raro eum colorem induere consuescant.

Denique et resolvuntur ii ductus ex morbo praegresso: sic variolae et apoplexia relinquere solent id vitium per totam saepe vitam persistens. Adesse eam atoniam cognoscimus, si nullo modo retentae lacrimae, pressis ductibus vel ex superioribus vel ex inferioribus osculis semet profundunt, nullo dolore. Specillo tamen, quod sine negotio adigitur, parumper irritati parietes semet contrahunt. Solet etiam latex aquosus esse et limpidus. Superest nonnunquam fistulae verae lacrimali manu curatae.

Barissimum vidit J. Ad. Schmidt exemplum epiphorae continuae e glandulae ipsius lacrimalis tumore, aliud etiam ex hydatide eam glandulam occupante.

§. 212. *Continuatio.*

Fistula vera lacrimalis existit, inflammatis aut ulceratis iis ductibus. Cognoscitur e dolore praegresso vehementi, rubore et tumore calido et carunculae lacrimalis et anguli totius interni; quibus accesserunt dolores capitis, sentiendi facultas oculi nimis aucta, nyctalopia, interdum et febris et vesania. Quibus praegressis, dolor pulsatorius consequitur, et purulentus ichor potest ex osculo alterutro exprimi. Nonnunquam simul extus per cutem prorumpit sanies lacrimis mixta. Specillum si compuleris in eos ductus, sentiet homo acerbissimum dolorem et in externo ulcere in conspectum venit ferramentum Interdum non proxime ductibus iis aut lacui superpositum est ulcus, sed longius distat, ad genas apertum: ad eum locum vero e ductibus chorda quaedam aut funiculus dolens protenditur. Subinde clauditur sponte ulcus, gravius iterum intumescente, quod supra est: dein sponte etiam sua rursus aperitur. Orae ulceris callosae fiunt, carnem luxuriantem fungosam generant, neque sine periculo ossis compages est neque oculus ipse, quippe qui exedi et destrui possunt.

Quae fistulam veram lacrimalem efficiunt, caussae tum topicae sunt tum universum corpus adficientes. Illis adnumeranda fractura ossium, quae juxta sunt, tum narium ulcera et polypi, oculorum denique inflammatio vehementior. Sed antiqua est observatio, fistulas lacrimales et universi

corporis adfectioni tribuendas esse: unde jam Barthol. Montagnana purgantia et alia id genus praesidia suasit (*Consil. med.* 61). Cum herpetibus aliisque diuturnis exanthematibus adeo cohaeret nonnunquam, ut his demum curatis medelam admittat: manu vero sola curata iterum recrudescat.

§. 213. *Continuatio.*

Aegilops est ulcus, quod externas partes anguli interni oculorum et lacus lacrimalis obsidet, cujusque pressione lacrimarum effluxus continuus efficitur. Quando quidem callosas habet oras et multam saniem effundit, facile potest pro fistula vera lacrimali haberi. Necesse tamen est initii rationem habeas, cum nulla adfuerit fluctuatio in viis lacrimalibus, sed superficiem solam occupaverit tumor: specillum etiam compelli nequit in ea itinera, nec lacrimae ex ipsa ulceris cavea promanant. Potest tamen omnino in veram fistulam abire, dum parietes viarum lacrimalium ichor exedit.

VI. Suffusio.

§. 214.

Suffusio dicitur, si vel lens crystallina, vel ejus velamentum, vel liquor etiam, qui inter hoc et illam est, naturaliter perlucentes, opacitatem adipiscuntur et lucem haud transmittunt. Quae quidem opacitas quatenus inflammationem sequi possit, equidem jam 1796 docui, nuper vero Phil.

Fr. Walther hactenus sibi adrogavit hanc expositionem, ut, priores ignorans, eorum praecepta μετεωριζόμενος ληκυθίσῃ. Equidem autem, laureolam in mustaceo negligens, simpliciter et candide exponam, quid experientia docuerit et ratio. Organicam esse partem corporis atque nexu quodam organico, ni vasculoso, cum finitimis partibus cohaerere lentem, nemo inficias ibit, qui vel miram compagem fibrosam vel necessariam nutritionem per absorptum liquorem Morgagnianum, cui recipiendo vasa exiguntur licet perlucentia, secum reputaverit (*Phys.* §. 425). Itaque et inflammari et indurescere et suppurari posse lentem, utique vero capsulam, extra dubitationis aleam positum est.

§. 215. *Continuatio.*

Velamenti, quo lens crystallina cingitur, inflammationem oriri nonnunquam post curationem suffusionis, quae ferramenti fit, anno jam 1786 Wenzelius, peritissimus medicus ocularius, probavit. Vocatur id vitium *suffusio capsularis* aut *secundaria*. Laesa capsula inflammatur, turget, intumescit atque, compresso quod interest spatio, hactenus iridem attingit, ut cum hac coalescere possit. Dolores lancinantes nascuntur in medio oculo, caligoque, qua nec tenebrae a luce distingui possunt. Quodsi inspexeris oculum, pupilla est immobilis, quod velamentum lentis cum iride cohaeret: in ipsa pupilla conspiciuntur striae aut trabeculae albidae convexiusculae. Interdum tamen,

cum nondum penitus coaluerit utraque membrana, parum mobilior pupilla vel hac vel illac magis contrahitur, ut angulosus appareat ambitus. Cum diutius moratum est id vitium, velamentum illud cartilagineam acquirit indolem, quam Arnemannus observavit (*Magaz.* 1, 340).

Alia est forma, alia sedes acutae inflammationis, qua et lens et velamentum occupantur. Namque chemosis valida, pupillae contractione et doloribus immanibus juncta, interdum vel coecitatem omnino vel ruberrimum omnium rerum adspectum efficit. Simul solet conjunctiva varicosis vasis obtecta esse, bulbus ipse obdurescere et cornea magis prominere. Lentis crystallinae subesse inflammationem ex his divinaveris, confirmatur judicium curatione, quae manu fit: lens enim extracta cruenta est, sanguinis profusio sequitur e vasis uveae vel choroideae varicosis. Oriri autem hanc speciem interdum ex arthritide Pellierus de Quengsy, Acrelius et Kortumius docuerunt.

§. 216. *Continuatio.*

Suppurationem statuo subesse, si suffusio *mollis* aut *lactea* adest. Etenim subito nonnunquam oritur, e rheumatismis et repressis exanthematibus, aut etiam ex fulguris ictu (*Michaelis* : *in Richters bibl.* 6, 158). Inchoat doloribus vehementibus; interdum tamen et citra eos, utique in infantibus, quibus congenita esse potest. Caligo accedit, qua nec tenebras a luce solari discernere possunt: praesertim dum pronum est caput et lens pure

turgida antrorsum projicitur, ut iridi adhaerescat. Quodsi vero supinus jacet, relabitur iterum lens, et latera transmittunt lucis radios, ut paullulum minus caligent oculi. Ea enim est suppuratae lentis mobilitas, ut, processuum ciliarium potestate victa nexus etiam capsulae cum membrana hyaloidea tollatur, atque, non antrorsum duntaxat et postrorsum, sed versus latera etiam moveatur et quasi contremiscat, dum caput motitatur. Adspecta pupilla vel omnino candida est, vel flavescens, vel striis et trabeculis albidis insignita, quae mutant subinde locum, si oculum fricaveris aut caput concusseris. Pupulam immobilem esse, si prolapsa lens cum capsula iridem attingit, per se patet: propterea quoque nec crepusculo melius videre possunt homines quam mediis diebus.

Mora morbi mutatur ingenium. Vel enim absorbentium vasorum potestas adeo incitatur, ut colluvies ea purulenta revehatur, tota lens igitur consumatur, superstite sola capsula, unde vacuam hanc nonnulli (*Arneman*, *Pellier de Quengsy*) repererunt: vel subsidit spissior pars, tenuiore supernatante, unde inferior pars pupillae opacitatem majorem habere potest superiore.

Liquorem a Morgagnio dictum, puris collectione opacum fieri, Guerini observatione expertum habemus; simillima vero est ejus suffusionis facies suffusioni lentis ipsius purulentae: nec cognoscitur, nisi dum acu pupugeris velamentum lentis, quo facto aliquot guttulae liquoris lactei effluunt, ipseque visus restituitur.

§. 217. *Continuatio.*

Tandem ad frequentissimam veniendum est hujus morbi speciem, qua obdurescit ipsa lens. Hanc autem speciem nequaquam ita oriri e suppurata aut molli suffusione, ut maturescat haec, post Sam. Sharpium, omnium medicorum consensu, statuitur. Vidimus enim lentem emollitam et suppuratam per viginti et plures annos morari: vidimus etiam recentem lentis caliginem, jam ab obdurescente lente pendere. Plerumque autem oritur haec suffusionis species lente, citra praegressae inflammationis notas. Caligare incipit oculus, ut quasi nubecula observetur, quae non margines rerum visarum duntaxat ambit, sed totas omnino obfuscat. Nubecula haec indies crassior fit, ut etiam extrinsecus intuenti alii pateat: pone pupulam est nubecula cinerea aut lactea, medium locum plerumque tenens, marginibus adhuc atris et perlucentibus. Hinc initio crepusculum amant, cum pupula dilatata transmittit radios lucis per latera lentis integra: hinc et vitra ocularia convexa opitulari solent, cum rerum videndarum ambitum augeant, ut radii perlucentes margines lentis feriant. Pupilla interea satis mobilis est, ni forte retinae resolutio simul acciderit, quae compositio *glaucomatis* nomine venit. Ni hoc fuerit, caligo gradatim et multorum annorum spatio gliscit, ut tandem nec tenebrae a luce discernantur, nec crepusculo melius videatur. Color tunc solet lentis opacae ita mutari, ut aeri aut ferro polito similis sit.

Neque tamen sine exemplo est, sponte sua sanescere oculum, dum aucto vasorum absorbentium efficacia, sorbetur id, quod obduruit.

§. 218. *Continuatio.*

Caussae, quae suffusionis varia genera producunt, variae sunt. Lactea enim, quae dicitur et cruenta etiam, sequuntur inflammationes; hereditaria illa etiam est et labem totius corporis aut universales saltem noxas supponit. Namque e perspiratione suppressa, e repercussis exanthematibus, exsiccatis, ulceribus achoribusque, e scrofulosa diathesi, arthritide et syphilide suffusionem purulentam oriri, haud rarum est. Obdurescere autem lens potest, tum e solo senio, quo omnes partes obrigescunt, tum exercitatione oculorum nimia: qui enim diu noctuque legunt, scribunt, in aere figuras sculpunt, vel aliud opus, velut caelatum, intentis oculis perficiunt, huic vitio obnoxii sunt.

CAP. V.

DE ANGINIS.

A. Simplex et inflammatoria facies.

§. 219.

Anginae nomine venit inflammatio faucium et tonsillarum, pharyngis laryngisque: quae diversa loca nuper Swediauerus singularibus nominibus notavit: *antiaditidem* tonsillarum, *isthmitidem* faucium, *laryngitidem* laryngis inflammationem di-

cens. Equidem vero haud adeo magni ejusmodi nominum immutationem faciens, malim usitatis vocibus uti: id tamen statuens, anginae nomen confundi haudquaquam debere cum deglutitionis aut spirationis difficultatibus, quae ex aliis caussis nascuntur. *Angina* enim, quae *pectoris* dicitur, pariter releganda est ex hoc capite ac nervosa dicta aut spastica.

§. 220. *Continuatio.*

Itaque simplex angina, quae fauces occupat, interdum quoque laryngis tunicam mucosam, e rubore, tumore ardoreque et dolore pungente faucium cognoscitur. Vel alterutri lateri initio vel singulari duntaxat musculo infestus tumor, mox faucium pharyngisque partes omnes occupat. Hinc deglutitio difficilis vel plane impedita est et spasmis turbata, aut tussi strangulante. Simul lingua solet tumere, immobilis reddi et saliva continua effluere. Quodsi larynx adfectus est, cum dolore summo vox fit stridula, pipiens; spiratio creberrima, anxia et suffocationem minitans. Propter spiritus difficultatem sanguis in capitis venis turgescit cum facie ruberrima et valde intumescente. Tumor externus colli levare solet interiorum partium inflammationem: casum vero magnum habet, si gracilescunt externae partes, tumore ab interna verso.

Ad haec accedere febris ardens solet, cum aestu universali, siccitate totius corporis, urina flammea pulsibusque plenis et fortibus. Spirituum

deglutitionisque difficultas et aridus ardor inquietudinem et jactationem adsiduam infernnt: insomniis perpetuis accedit vesania: quibus symptomatibus et nervorum distensiones et jactura virium graviores fiunt, maxime cum larynx et spiritalis fistula occupantur.

§. 221. *Continuatio.*

Tum solet mors consequi, spiritibus penitus interceptis, aut gangraena inflammationem excipiente, aut impetu eo sanguinis versus capitis vasa, ut omnes encephali functiones penitus supprimantur. Sopores cum nervorum distensionibus et stertoribus exitium nunciare solent. Vertitur etiam interdum angina, male judicata, ad pulmones, unde vel brevi mors vel ulceratio diuturna existit (*Aph.* 5, 10).

Sanitati licet praestolari, si cocta exspuuntur, si foras vertuntur tumores et erysipelas, si sanguinis cursu e naribus existit, aut sudores etiam calidi et per totum corpus diffusi levaminis plurimum moliuntur. Cito autem haec resolutio ac intra primum fere septenarium exspectanda: alioquin facile aliquid ad alia organa nobilia abscedit.

§. 222. *Continuatio.*

Vulgares sunt hujus inflammationis caussae: quibus maxime adnumerandum est frigus corpore exceptum, praecipue in iis, qui vel collaribus amiculis nimis calidis teneritatem partium et sentiendi facultatem auxerunt, vel stasibus abdominalibus et

perspiratione cutanea impedita laborant. Praeterea popularis interdum est constitutio, anginis favens, quae vel anniversaria est et verno autumnalive tempore vicissitudines crebras temperiei adfert, vel stationaria etiam, nullique certo aëris vitio adscribenda.

Fortuito incitant fauces et laryngem innumerae res, quae inflammationum caussae putandae sunt, quorsum pertinent acria in aëre volitantia; exercitatio nimia partium clamando, cantando, vociferando; peregrina etiam et pungentia deglutita, ut acus, piscium aristae etc.

Denique solet abscedere in has partes, si quid male efformatum et terminatum est in cute aut visceribus; variolas igitur, morbillos, scabiem, tum pulmonum inflammationem et phthisin, arthritidem etiam et syphilidem excipere solet angina, si illa mala alias partes in consensum trahunt.

B. ANGINA PAROTIDEA ET TONSILLARIS.

§. 223.

Glandulas faucibus adsitas praecipue interdum infestat angina, *parotidis* et *antiaditis* Swediauero dicta, populariter nonnunquam grassans aut terris udis familiaris, eoque maxime anceps, quod facile aliquid in nobilia organa abscedere potest.

Infantibus et pubescentibus infesta aegritudo catarrhalis febris faciem simulat. Horret initio aeger, corpusque fessum, tractum quasique laceratum queritur: dolorem maxime obtusum mandibu-

lae et tonsillarum, cum rigiditate maxillae et tumore glandularum, quae juxta sunt. Haec etiam rubescunt velut erysipelate, quod externas partes quoque corripere solet. Alterutra plerumque glandula parotis, maxime sinistra, occupantur, interdum utraque. Deglutitio et loquela impeditur; saliva vel profunditur, vel dum inflammatio valida est, omnino deficit. Febris per quatriduum moratur, tum solvenda excreatis coctis humoribus et sudore per totum corpus diffuso. Non rara porro est suppuratio vel parotidis vel tonsillarum, ea tamen, quae citra collectionem puris intra caveam glandularum solam transsudationem complectitur.

Quae si non contingunt, si sudor deest et tumor repente subsidit, abscedere humor in scrotum aut in verendàs mulierum partes, aut in mammas, in pectus etiam et caput solet. Praesagitur ea mutatio febre denuo excitata, frigore et aestu sequente. Tum testis ejus lateris dolenter tumet, vel totum scrotum inflatur, ut syphilidis infectio metuatur. Resolvitur tamen et is tumor intra aliquot dies, vel in ulcus abit, testes nonnunquam destructurum. Observatum quoque est, protinus ut testis tumor subsederat, subito metastasin versus caput existere, inquietudine ingenti, vigiliis continuis, deliriis, vomitibus porraceis et nervorum distensionibus accedentibus. Subito exstinguitur aeger capitis inflammationibus in gangraenam abeuntibus. Aeque periculosum est, si pectus petitur; quod ex angoribus summis, doloribus pectoris, tus-

si violenta et sputis aquosis vel purulentis cognoscitur. Interimere etiam haec metastatica pneumonia consuescit.

Singulare est, hanc aegritudinem haud facile recurrere. Obnoxii iidem sunt, qui vel arthritide vel syphilide conflictantur: ex hydrargyri incauto usu frequens.

C. Angina membranacea.

§ 224.

Inflammationem tunicae mucosae, et laryngem et fistulam spiritalem obvestientis, quae vel lymphae plasticae transsudationem vel constrictionem spasticam molitur, eo nomine appellamus. Frequens nostris temporibus malum, inepte vaccini exanthematibus insertioni tributum, ante annum 1746, cum Martinus Ghisi popularem eam observaret, raro animadversa. Etenim κυνάγχη Hippocratico auctori dicta, quae strangulet aegrum (*De morb. lib.* 3. p. 490) ad quamvis aliam letalem anginam pariter trahi potest ac ad hunc morbum. Quae e Christ. Benneto et Nic. Tulpio adlegantur exempla (*Hist. mea med.* 5, 442) membranam notant praeternaturalem in fistula spiritali inventam, sed minime peculiare hoc morbi genus signant.

Infantibus praeprimis infestus est morbus, et maxime maribus, propterea quod larynx minus evolutus, frigido aëri minus adsuetae sunt partes et major lymphae plasticae copia, quam in adultis.

Neque tamen rarum est, puellas, quae jam adoleverunt ipsosque, licet raro, viros huic morbo obnoxios esse.

§. 225. *Continuatio.*

Initium morbi fucum levitatis ac benignitatis facere solet. Catarrhi enim aut anginae vulgaris faciem prae se fert. Raucitas palmarium sistit symptoma cum tussi et coryza; doloribus etiam faucium et fistulae spiritalis, febreque modo ardente, et pulsibus concitatis ac exilibus, modo satis inconspicua, ut et deficere eam omnino Heimius, eximius observator. statuerit. Dolores laryngis et fistulae spiritalis post pastum et cum caput torquetur, ingravescunt: etiamsi deglutitio haud valde impedita sit, angorem tamen infantes sentire et spirationis impedimenta faciles percipies vel ex eo, quod expavescant perpetuo (*ἀναΐσσει θαμινὰ Hipp.*) per somnum et manibus fauces tangant: Nocturnis autem utique accessionibus gliscit morbus: diurnis tamen ludis et occupationibus per primos dies vocant. Dum ingravescit vesperi aut noctu morbus, tumor existit ad utrumque laryngis latus, auctus dum anguntur aegri: inflantur etiam colli glandulae et ipsa facies. Tonsillae muco tenaci obducuntur, lingua est sordida: facies pustulis vel exanthemate fugaci vel erysipelate tegitur.

§. 226. *Continuatio.*

Secundo aut tertio die peculiarem induit formam aegritudo. Angores et pectoris oppressiones ingravescunt, utique dum erigitur aeger aut sedet, levantur, dum supinus cubat. Maxima tormenta, quae spiritum intercipere minitantur, caput retorqueri, collum obstipum esse aut obrigescere jubent: prae angoribus contrectant pueri collum et laryngem, ad cujus latera tumor insignis surgit, digitos in fauces intromittunt. Vociferantur, ejulantur, voce mirum in modum mutata: stridula enim plerumque est et acuta, cum pullorum voce pipiente comparanda: rarius adeo rauca fit et clangosa, ut boni observàtores similem existiment sui mactatae aut canis latrantis voci. Id vocis vitium continuum est, et si quae remissiones occurrunt, quod raro contingit, tamen ex voce illa morbum hunc adesse divinaveris. Tussis etiam arida, clangosa, strangulationis metum injiciens, per remissiones moratur. In accessionibus motus cordis et arteriarum necesse est magnopere pervertantur. Palpitatio cordis violenta, tremores illius et arteriarum, intermissio etiam motuum, turgores venarum, maxime circa collum et faciem, summe anceps esse malum notant.

§. 227. *Continuatio.*

Praecipitatur aeger vel maturius vel serius, raro post undecimum diem. Exitium autem sequitur vel sola strangulatione, ut constrictione spastica

laryngis spiritum omnino interceptum esse existimes, vel, quae iidem caussae tribuenda est, apoplexia, vel resolutione etiam et sphacelo partium adfectarum: quo ultimo casu quies quidem consequitur, dolor subito silet, sed spiratio lentior fit, cordis arteriarumque motus sensim cessant.

Vulgatissima autem mortis species haec est. Tussis pervicax et clangosa solet aliquid educere, quod nec pituita est nec mucus, sed lympha in membranas aut polyporum formam abiens. Quae dum vias aëriferas, praecipue glottidem occludunt, necesse est, spiritu intercepto exitium sequatur? Contingit id in tenerioribus infantibus, maxime dum irrita praecesserint conamina, ejiciendi eam lympham, dum tumet collum et regio submaxillaris, dum venis turgidissimis strangulationis metus existit.

§. 228. *Continuatio.*

Convalescere potest aeger, dum matura accidit lymphae illius plasticae ejectio per tussim: simul per alvum simile aliquid aut foetidi etiam excernitur. Namque saluti est, membranulas illas inter tussim solvi in pituitam, quod e fragore singulari intra loca adfecta et e deglutitione sequente conjectura consequimur: quo facto potest per alvum secedere. Vidimus etiam vomitu pituitam hanc salubriter ejici, sudoribus totum corpus perfundi, erysipelate accedente, febrem semet remittere, eoque modo vocem, licet serius, ad naturalem redire indolem. In convalescentibus tamen recidivas fre-

quentiores, easque spasticas, observare licet et fistulam spiritalem adeo torpidam, ut ad continuam pituitae exscreationem instinguatur.

Rarius contingit diuturna ejus mali forma, quae catarrhos sequens et rheumatismos, tussim infert aridam doloresque laryngis atrocis, cum voce stridula, sed citra ullum febris vestigium. Per circuitus redit, asthmati Millariano simillima.

§. 229. *Continuatio.*

Cadavera secta laryngem fistulamque spiritalem proxime adfici probant. Externus cadaveris adspectus strangulatorum similis est: oculi enim prominent, venae valde turgent, facies livet aut nigrescit: oris ambitus et fauces vel inflammationis speciem prae se ferunt vel muco tenaci obductae sunt. Larynx tumidus est et inflammatus: ventriculi ejus et glottis ipsaque fistula spiritalis ut plurimum membranis aut caseosa polyposaque massa, quae ramos etiam format in bronchia profusos ita repleta, ut inter membranam hanc morbosam et tunicam mucosam fistulae latex abundet, quem Homius cum pure comparavit, quo quidem humore coalitus membranae cum partibus subjacentibus impeditur. Laryngi tamen et glottidi adeo firmiter adhaerere consuescit ea membrana, ut scalpello solvi debeat. Membrana ipsa nequaquam cellulosa est, sed aliorum coagulorum lymphaticorum more (*Path. gen.* §. 91). vel fibrosam habet fabricam vel nullam omnino peculiarem Interdum omnes fistulae rami iis polyposis coagulis oppleti erant:

rarius, Stieglitzio et Autenriethio testibus, nulla omnino praesto erant, sed praeter albidi laticis guttulas aliquot stillantes arida fere tunica mucosa, ubi mors potius e spasmis aut nervorum resolutionibus quam ex intercepto per coagula illa spiritu consecuta esse videbatur. Quod superest, pulmones vel sani sunt, vel cruore livido farcti atque jecinoris ad instar duri. Vena cava, ejusque saccus et atria cordis cruore venoso, nigriusculo scatent aut similibus polyposis concrementis.

§. 230. *Continuatio.*

Ingenium ejus morbi habeo manifesto inflammatorium, cum symptomata omnia, ipseque exitus, et praesidia artis tutiora id probare videantur: haud refragante exitu spastico, quippe qui satis frequenter sequitur vasorum resolutionem, ut exempla tetani vulnera et gangraenam excipientis, ut ipsius gangraena etiam symptomata supra (§. 182. 183) adlata veri reddunt simile.

Interest igitur inter hanc et alias inflammationes easdem partes adgredientes id potissimum, quod haec proclivitatem habeat in transsudationem eam abeundi. Differt ab asthmate Millari, quod hoc intercapedines formet, nullos habeat adjunctos dolores, nulla inflammationis symptomata.

Popularem semper esse morbum, Olbersius Bremensis negat, licet satis vulgaria sint exempla, tum pluvio tempori, tum paludosis regionibus et inundatis, tum maritimis oris satis familia-

rem esse. Hinc et aëri hydrogeneo tribuerunt, cui vero refragatur coagulatio lymphae oxygene potius affecta.

D. Angina gangraenosa.

§. 231.

Alia est popularis pariterque periculosa anginae forma, quae celeriter gangraena terminari solet. Quanquam non defuerunt, qui e Marci Antonii Alaymi Panormitani inde temporibus (1625) ulcera syriaca vel aegyptiaca, quorum Aretaeus (*Causs. acut.* 1. 9) meminit, huc trahere vellent, equidem tamen, desiderans peculiaria hujus morbi symptomata in veterum monimentis, aphthas potius arbitror Aretaei ulcera: primam autem hujus morbi epidemiam Neapoli et Compluti 1610 et 1620 invenio: ex eo inde tempore 1747 — 1751 in Anglia, Italia et Gallia populariter observata fuit (*Hist. mea med.* 5, 426 sq.) Scarlatinae quidem adfinis, cum ea sociata incedere solet, tamen per se etiam grassans.

§. 232. *Continuatio.*

Citissimus est morbi decursus: auguria plerumque pessima ex initio inde formare licet. Incipit febre haud adeo valida, sed jactura virium, horripilationibus et vertiginibus crebris, tremoribus totius corporis, temulentia capitis et angoribus perpetuis: pulsibus etiam exilibus, irregularibus et infirmis, Simul dolor faucium et tonsilla-

rum cum calore acri et difficili deglutitione, cum sensu, quasi vulneratae aut ulceratae essent partes, et sapore putrido. Inspectae partes repraesentant erysipelas; facies etiam inflata est, oculi quasi cruenti, lacrimosi; lingua humida, radice fusca, sordida. Sitis non satis valida est, neque per aestum validum ingravescit, qui vesperi augetur, angores et cordis palpitationes cum horrorum vicissitudinibus et pulsu semper depresso adfert. Vox interea mutatur, rauca fit et clangosa: tussis excitatur arida pariterque clangosa. Vomitus accedere solet irritus et alvi dejectio infirmans. Urina protinus ab exordio serosa et pallida, dein biliosa fit et crocea.

§. 233 *Continuatio.*

Quae dum per diem unum aut alterum contigerint, tonsillarum facies mox ita mutatur, ut macula alba notentur, margine rubro aut livido cincta, ut os odorem spiret tetrum, ut gustatus semper magis in putredinem vergat. Collum quamvis haud tumescat cum summa deglutiendi difficultate, solet tamen die altero aut tertio erysipelas accedere in pectore et brachiis, sive maculae morbillos, petechias aut miliare exanthema referentes. Vomitus quanquam quiescat et alvus sistatur, vires tamen magis deficere solent, pulsibus *μειούροις* aut *σκωληκίζουσιν*. Sanguis forte e vena detractus sero abundat flavido, cruorem habet gelatinosum et viscidum, quandoque tamen crustam etiam phlogisticam. Aeger subinde die secundo jam aut tertio

soporatur, aut tacite delirat: dum ad se redit aut expergiscitur, immanes angores eum torquent et strangulatio pectoris ac colli. Quod palmarium symptoma nomini *Garrotillo*, quo hispani Franc. Perez Cascales et Jo. Alfonsus Fontecha, et morbi *strangulatorii*, quo Aëtius Cletus Signini, Romanus, saeculo XVII. aegritudinem insignierunt, occasionem praebuit.

Maculae tonsillarum vel decidunt sponte vel dum detrahuntur, ichorem stillant foetidum tetrum, qui quaquaversum profusus ulcera maligni moris molitur: his palatum molle, uvula, ipsaque lingua obsidetur, saniem profundentibus, escharas concipientibus et nigrescentibus. Omnis partium adfectarum superficies in saniem cineream tetram solvitur, quae, dum in conchas narium stillat, sternutationem, sanguinis fluxum et ichorum; dum in laryngem venit, tussim strangulatoriam et screatum ichorum; dum deglutitur, ulcerationem oesophagi, ventriculi et intestinorum aut gangraenam, cum vomitibus et alvi fluxibus foetidissimis, saniosis, meteorismum etiam et tenesmum producere solet.

§. 234. *Continuatio.*

Haec quidem symptomata diu morari nequeunt, cum virium jactura, destructio partium et pectoris strangulatio pessima quaeque ominentur. Maculae sphacelum concipientes utique exitium portendunt, quod consequitur, sanguine et sanie e naribus currente, dolore repente silente, voce sublata, pulsibus fere intermittentibus, oculorum

acie penitus perdita, facie pallida et Hippocratica, accedentibus singultibus et nervorum distensionibus. interdum mors instat: cum e soporibus, stuporibus et dementia ad se redeuntes aegri angoribus liberantur, vocem et loquelam recuperant, sed mox anima defecti nervorum iterum distensionibus enecantur. Rarius solet parotidum tumor surgere, qui in leucophlegmatiam totius corporis abit, nil boni praesagientem.

Rarissime salus exspectanda, dum primis diebus, maculis tonsillarum nondum ichorosis, urina copiosa mittitur, in qua, quod subsidit, farinam aemulatur, dum erysipelas statis temporibus desquamatur, dum saliva currit, pulsibus interea magis elevatis, regularibus, strangulatione sensim minuta oculi acie restituta et cute sudoribus calidis perfusa. Neque tamen ex toto tutus est, qui convalescit: namque pulmonum morbi aut ulcera oris sinuosa frequenter supersunt.

§. 235. *Continuatio.*

Cadavera secta sphacelum partium adfectarum, laryngis, bronchiorum, oesophagi, ventriculi, intestinorum, pulmonum ipsiusque cerebri exhibent.

Nascitur autem e paludoso, pluvio aëre, quem regnasse, ubicunque malum illud grassaretur, testantur auctores. Endemicum esse in archipelagi insulis Grantius et Tournefortius contendunt. Contagio propagari credibile est ob summam humorum corruptionem.

E. Successiones anginae.

a. *Ulcera partium adfectarum.*

§. 236.

Non rarum est, vel simplicem anginam vel parotideam ad suppurationem spectare, quae cito prorumpit, pure per os excreto vel per glottidem illabente et suffocationem minante.

Neque rara sunt glandulae thyreoideae ulcera vel duri tumores, anginam interdum leviorem, quae pharyngem solum adfecerat, excipientes. Quae quidem successio e communione vasorum absorbentium utriusque organi exponenda est. Tumor glandulae hujus extrinsecus manifestus, frigido aëre et vociferatione augetur, subsidit dum incalescit aeger et sudat: ubi gravior est, voci officit ipsamque deglutiendi facultatem ita impedit, ut ab anteriore parte oesophagum comprimi sentiatur. Interea dolere solet tumor et dum pus gignitur, horrere, quo facto per tussim violentam vel rumpitur abscessus, vel pus resorbetur. Arteriarum thyreoidearum lumen pressione tollitur, venae autem jugulares hactenus turgescunt ut et apoplexiam observaverit ex hac caussa Hallerus (*Opusc. min. III.* p. 288).

In ipso larynge ulcuscula gignuntur, maxime apud nautas et borealium marium accolas: visa etiam sunt post catarrhum epidemicum (§. 59). Cum doloribus ejus partis raucitas nascebatur vocis, aphonia, deglutitio difficilis atque ipsa strangulatio, ni tussi vehementi sanies ejiceretur, Flor-

manus Lundinensis vidit in nautis ex ea caussa diuturnam raucitatem, dysphagiam et spiritus anxios spasmisque interceptos (*Samml. für prakt. aerzte*, XVI. 467.).

Ulcera oesophagi diuturnum et pulsatorium cient in ea parte dolorem, insigniter auctum, et offa vorata partem dolentem attingit, horrores etiam inde surgentes, dein regurgitationem ciborum, qui nondum penitus descenderunt, cum sanie et salivae copia. Nonnunquam, si superior ulceris sedes est, fistulam spiritalem a posteriore parte comprimit, ut aegerrime spiritus ducantur, vox rauca fiat et denique deficiat. Vicinas insuper partes ulcus arrodere consuescit, ut spiritalem fistulam colluvie purulenta oppleat, aegrumque suffocet (*Baillie. Anat. des krankh. Baues*, 49.). Aortam denique posse exedi iis ulceribus Sandifortii et Doeverenii observationibus compertum est. Repentinam autem mortem eam labem sequi necesse est.

b. *Durities partium.*

§. 237.

Praeter parotidum tonsillarumque scirrhos, anginam excipientes, praeter glandulam thyreoideam indurescentem, solent etiam glandulae dorsales aut Vesalianae id vitium contrahere, quod, apud nostrates rarum, in Belgicis provinciis, forte ob paludosum aërem et spirituosorum potuum abusum frequentius, cognitu perdifficile est. Diuturna

et sensim aucta deglutiendi difficultas sine dolore est: sentit homo oesophagum a postica parte comprimi, ut offa quidem detrudi possit, sed intentis simul musculis colli brachiorumque. Inter scapulas et per dorsi spinam obstaculum augetur, dum perfrigescit; minuitur perspiratione aucta adhibitisque artis praesidiis, quae resolvere ac discutere glandularum tumores valent. Quod nisi perpetratur, lente increscit malum, magis magisque impedita deglutiendi facultate. Tandem offae omnes solidiusculae rejiciuntur cum muco et saliva, corpus emaciatur, miserrimeque aegritudo trahit, donec mors ex tabe accedat (*Bleuland: de diffic. alimentorum depulsione*, *LB*. 1780.). Ad hanc aegritudinem accedere posse pararthrema vertebrarum colli, alibi jam monui (*Path. gen.* §. 215.)

Ipse etiam oesophagus scirrhosus fit aut stenochoriam aliqua parte patitur, quod vitium anginas sequi utplurimum solet. Lentissime progreditur morbus, interdum per totam vitam ita moratur, ut deglutitio semper difficilis sit, neutiquam vero penitus intercipiatur. Offa vorata aut potus etiam locum quemdam attingens, eum non sine valido nisu transit, neque tamen compressionem eam aeger sentit, quam glandulae durae caussantur. Necesse est, vel musculos valide intendat, vel manu mulceat collo offamque detrudat, quo facto non sine strepitu delabitur. Ubi increvit morbus, ne hoc quidem fieri potest, sed simul ac sumta est offa, iterum retroït, ut nisu quodam, quem vomitui similem habuerit, illico ejiciatur sequente simul

muco aut latice, nonnunquam corrupto et nigrescente (*Carrere: in Lindemanns prakt. abhandl. aus den schriften d. medic. Gesellsch. zu Paris II. 22.*). Qui vomitus si pergunt, si ne ullus quidem cibus sumi aut retineri potest, necesse est, macies accedat, quae consumere vitam solet.

CAP. VI.

DE PECTORIS INFLAMMATIONIBUS.

A. Pulmonum inflammatio simplex et vulgaris.

§. 238.

Vulgatissimum licet morbum, vexatissimum tamen etiam adgredior, cujus definitio et notae characteristicae a pristinis inde temporibus in contentione fuerunt. Antiquissimus ille auctor, cujus librum (*De locis in homine* p. 414.) in Hippocraticis legimus, si uterque pulmo inflammatus fuerit, *peripneumoniam*, si alteruter, *pleuritidem* vocat. Diocles vero Carystius primus pleuritidis sedem in pleura, peripneumoniae in pulmonibus ipsis quaesivit (*Cael. Aurel.: causs. acut.* 2. 16.): quem sequuti sunt Erasistratus et Asclepiades, Praxagoras vero Cous ita distinxit utrumque morbum, ut pneumoniam partes pulmonum occupare statueret, quae spinae sint contiguae, pleuritidem vero totum pulmonum ambitum (*ib.* c. 28.) Asclepiades etiam bene posuit in peripneumonia eas pulmonis partes pati, quae fistulae spiritali adhaerescant bronchialia nimirum vasa, in pleuritide vero vasa vel pleu-

rae vel quae e corde pulmones petant. Antiquis his auctoribus praeeuntibus omnis postera aetas in diversas et sibi contrarias abiit sententias, ut modo sede, modo gradu differre utrumque morbum contenderet. Nos vero Dioclis Carystii sententiam amplectimur, quam et cadaverum sectionibus et ipsa morbi historia firmatam videmus: pleura enim, membrana serosa, haud facile partium, quae juxta sunt, adfectus participat (*Phys.* §. 22). Hinc et seorsim ejus inflammationem exponemus.

§. 239. *Continuatio.*

Pulmonum igitur inflammatio hanc habet vulgatissimam et simplicem formam. Exorditur rigore, inquietudine, tum aestu et dolore fixo pungente, alterutrius lateris, saepius tamen dextri, inter sextam et septimam costam vel superius etiam ad jugulum; aucto semper, dum spiritus ducitur, paullo mitiori, dum respiratur. Accedit spiritus difficultas, spiratio crebra, aestuosa, cum anxietate gravissima, praesertim sub sterno et dum aeger in adverso sive sano latere cubat. Thoracis latus, quod dolet, haud tantopere, spiritu ducto, panditur, quam sanum: ideo etiam musculi abdominales ejus lateris plus intenduntur. Tussis aegrum torquet, initio sicca aut parum cruenta, dein humidior, ut mucus educatur, post plurimos nisus, striis sanguineis tinctus. Pulsus initio creberrimi, vel durissimi, dum bronchiales arteriae ex aorta natae magis adfectae cum aorta tensionem communicant, vel molliores etiam, dum vasa pulmonum

propria laborant, quorum adfectionem aorta haud tantopere participat. Quodsi sanguis e vena mittitur, floridus est, facileque secedit in crustam phlogisticam tenacem, albam. Sitis praeterea valida, capitis dolores atroces, continui; oculi inflammati; lingua pura et rubra; urina flammea, in qua nil subsidit; totum corpus undequaque rubescit et turget.

§. 240. *Continuatio.*

Quae quidem symptomata vel sine ulla remissione per septenarium dierum numerum pergunt, vel adeo per circuitus semet remittunt, ut typum tertianarium animadvertere possis. Rarius tamen hoc in simplici hac forma contingit. Dum ingravescit morbus, dolor nonnunquam locum mutat, ut, qui ad alterum jugulum sederet, jam utriusque regionem occupet, aut qui ante pungens esset, jam obtusus fiat, totumque pectus corripiat. Id ita nonnulli, haud sine jure, explicarunt, ut ad tensa pleurae ligamenta, quibus pulmones variis partibus nectuntur, respicerent, dum dolor pungens esset, ad inflammatum vero totius organi ambitum, dum obtusus fieret lateque per totum pectus vagaretur (1). Quod dum accidit, neutri

---

(1) *Τῶν περιπλευμονιῶν αἱ ἐκ πλευριτικοῦ μεταστάσαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς γενομένων ἀσφαλέστεραι* Coac. 397. Cui contraria et verior sententia. *Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπλευμονίη, κακόν.* Aph. 7, 12. Hinc in priori loco vel

etiam lateri incumbere aeger potest sed vel supinus cubat, vel semierectus sedet: propter difficillimum spiritum, qui crebrius, dolentiusque ducitur, quo magis gliscit aegritudo. Tum solent et thoracis musculi ne tantillum quidem agere, sed soli diaphragmati aut musculis abdominalibus commissum est id officium Totum adeo pectus implent pulmones, ut visi sint spatia inter costas implere et prominere, depressis costis. Pulsus eo crebriores fiunt et fere molliores, quo gravior est morbus: febris flagrantissima cum vigiliis perpetuis, sensuum hallucinationibus et ipsa insania. Tussis augetur indies, ut interdum quemvis conatum, spiritus ducendi, comitetur: magnum casum habet, si quod tussi excreatur, dolorem non levat (*Coac.* 393. 394. *Praenot.* 98), aut si semper sicca manet tussis (1), aut si ἄκρητον (sincerum) est, quod ejicitur. Prava enim sunt sputa mere flava, aut cruenta, aut nigrescentia etiam *Coac.* 390). Melius agitur cum iis, qui maturius expuunt flava cum sanguine mixta, alvo urinaque simul largius missis, maxime si dolores sputis levantur.

Interdum adjunguntur symptomata vel biliosa vel gastrica, jecinore et ventriculo in consensum tractis. Lingua enim sordet et flavescit, praecor-

---

ἀκροσφαλέστεραι legendum, vel alius significatus ἀσφαλεστέρῃ νούσῳ substituendus, quod nimirum sit σφάλλεσθαι, i. e. *converti nescius.* Cf. Stoll. *rat. med.* vol. VII. p. 185.

(1) Ξηραὶ πλευρίτιδες ἄπτυστοι. Hipp: *de morb.* III. 493.

dia opplentur, fastidiunt cibos, dolores sentiunt graviores post quamvis spirationem, vomituriunt, imo evomunt biliosa, alvo cita exercentur, quod anceps esse consuescit (*Aph.* 6, 16). Circumspectissime vero haec symptomata consideranda sunt, ne, quod vehementia simplicis morbi molitur, pro compositione cum febre biliosa habeatur. Etenim haec, quae recensui, symptomata, haud statim ab initio praesto sunt, sed ἐπιγίνονται (succedunt): ideoque nec morbi naturam nec medelam mutare possunt.

B. Exitus.

§. 241.

Mortem consequi haud rarum est, quamlibet sphacelus pulmones nequaquam corripere soleat, nisi compositio morbi adfuerit (§. 185). Letalis autem fit aegritudo, si omnis omnino pulmonum functio supprimitur, aut si aliquid ad cerebrum abscedit. Auguria mortis petenda tum ex ingravescente celeriter spirituum difficultate, tum e sputorum suppressione cum tussi violentissima, tum ex aestu flagrantissimo internarum partium cum pulsibus concitatis, exilibus et rhythmum nullum servantibus. Dum plurimus ex irrito exscreandi conatu strepitus in pectore auditur, dum neutiquam thorax inter spirandum ampliatur, dum dolores increscunt indies per tussim, dum lingua asperatur et pustula livida obsidetur (1), dum uri-

---

(1) Πομφόλυγες ὑποπελιδναὶ ἐν γλώσσῃ. Hipp: *de morb.* III. 494.

na turbida fit et lutosa aut plane mictio intercipitur, dum alvus funditur, dum vires penitus pessumdantur, pessima quaeque ominari licet. Strangulati morientur aegri, eoque modo, quem in *βλητοῖς* veteris observarunt (1).

Neque rara est mors e phrenitide, ubi aliquid ad encephalum abscedit. Id praeprimis accidit iis, qui insania correpti a sputis biliosis repente deficerentur (2). Tum pectoris dolores subito cessant, aegerque furore cum nervorum distensionibus tamdiu agitatur, donec apoplexia accedat.

§. 242. *Continuatio*.

Mortuorum cadavera nonnunquam eorum similia sunt, quae fulgure icta sunt: lividum enim latus, lividae etiam per corpus maculae frequentes sunt (3). Apertus thorax ostendit pleuram cum pulmonibus undequaque coalitam, incrassatam, vasculis novis perreptatam, pulmones ipsos sanguine adeo farctos, ut vesiculae omnes effuso cruore scaterent. Singularis est in hoc pulmonum coalitu azygae venae amplitudo, qua cursus sanguinis aliquantum servatus fuisse videtur (*Testa*: *von den krankh. des herzens*, 58). Interdum tamen pleu-

---

(1) Hipp: *vict. acut.* 386. De loc. in hom. 411. Coac. 401.

(2) *Πλευροῦ ἄλγημα ἐπὶ πτύσεσι χολώδεσιν ἀλόγως ἀφανιστὲν, ἐξίστανται.* Praedict. I. 97.

(3) Hipp: *vict: acut.* 336.

ra omnino integra est, etiamsi pulmones atro sanguine repleti invenirentur: simul tamen sinus venosi, qui juxta cor sunt, atro cruore turgidi, cordisque ventriculi eodem cruore pleni vel polyposis concrementis obsessi sunt. Ubi furibundi exstincti erant aegri, meninges etiam inflammatae et sphacelo correptae observabantur.

§. 243. *Continuatio.*

Salutis spes potissimum e resolutione concipienda est, quae sequutura est, si tussi haud validissima ejiciuntur sputa cocta, albo-flavescentia, striis sanguineis mixta; si his dolores levantur et spiritus difficultas; si febris sese remittit cum urina copiosa, e qua, quod subsidit, nebulosum est purulentum et leve; si cum lingua humida cutis etiam madet et sudoribus perfunditur calidis, recreantibus. Haec omnia primi septenarii fine contingunt, maxime si sanguis e naribus stillat, si menstrua aut haemorrhoidum fluxus interceptus restituuntur.

Ad haec salutis auguria accedere solent exanthemata pustulosa aut scabiosa ad oris angulos, abscessus etiam ad aures seu crura, qui si cum aliis criticis phaenomenis persistunt, neque cito subsidunt, securitatem pollicentur. Si vero evanescunt et retro pelluntur, sputo etiam intercepto, abscedere aliquid iterum ad encephalum et repente extingui solet aeger (*Praenot.* 111-116).

Cave tamen, ne intra certorum dierum limites compellas salutis spem ex hac resolutione con-

cipiendam: siquidem et sero contigere haec et lente potest, dummodo vires suffecerint, nec ad suppurationem jam aut alias successiones spectaverit morbus.

§. 244. *Continuatio.*

Frequentissimi sunt abscessus pulmonum, quos *vomicas* vocant, majorem certe casum habentes quam resolutio, neque tamen pessimi ominis, nisi in ulcerationem et destructionem pulmonum vertantur. Quae quomodo auguranda sit successio, quomodo cognoscenda, nostri est officii proponere. Itaque protinus est mora morbi consideranda et signorum defectus, quae resolutionem notant. Quodsi valetudo in alterum septenarium porrigitur; si febris accessiones formare incipit et decessiones; si dolores haud penitus silent, nec locum mutant, sed pulsatorii fiunt; si sputa cruda sunt, salsa, dulcia, aquosa (1) aut cruenta; si horrores e parte adfecta prorepunt; si ex ipsa parte angor cum stupore totum pectus ipsaque brachia occupante nascitur; si rubor faciei in genis limitatur, utique in gena lateris adfecti; si urina ante flammea, jam turbida fit, et farinae aut polentae simile aliquid demittit; si tussit continuo aeger, nec aliquid salubriter exscreat; si alterutri lateri incumbere nequit; si denique, quoties pranserit aut coenaverit, ingra-

(1) Οἱ μέλλοντες ἔμπυοι γίνεσθαι, πτύουσιν τὸ μὲν πρῶτον ἁλμυρὸν, εἶτα γλυκύτερον. Coac. 403.

vescunt dolores, angores et aestus volarum plantarumque cum pulsibus duris, concitatis, etiam per sudores manentibus; si haec omnia contingunt, ominari abscessum licet.

§. 245. *Continuatio.*

Saccum formare solet abscessus, dum vomica dicitur, cujus parietes e velamento pulmonum, sive etiam e nova membrana finguntur: eoque modo cavetur a noxis, quae pulmonum labem sequi necesse est. Diu tolerari potest ea vomica, sine aliis molestiis, ac tussi continua arida, febricula levi, doloreque obtuso ejus loci, quem occupat. Dextri autem pulmonis partem superiorem et posteriorem obsidere ejusmodi vomica consuescit: quem locum cum ipse aeger, dolore horroreque monitus, indicat, tum proditur etiam decubitu faciliori in eo latere, genae alterutrius rubore, sonitu obtusiori, quem percussum latus edit. Dicitur insuper panniculus humectatus, qui ii lateri imponitur, citius arescere, quam dum alteri lateri imponitur. Diutius persistens vomica cum pleura ibidem coalescere atque vel sola pressione in nervos, plexuum brachialium adfectionem producere solet, ut brachia stupescant et resolvantur: vel, dum sputa viscida et salsuginosa ejiciuntur, dolores nascuntur rodentes, vires decrescunt, timendum est, ne pulmones ipsi arrodantur et exedantur.

Salubriter tamen rumpitur vomica, motibus corporis, tussi, screatu, vociferatione, cursu, risu aut aliis id genus nisibus. Quo facto oritur subito

sensus rupti alicujus vasis in pectore, oppletionis et ponderis, quem subitanea virium defectio et animi deliquia excipiunt.

§. 246. *Continuatio.*

Quod dum contingit, maximi refert scire, quorsum pus ejiciatur. Saluti potissimum est, si a bronchiis receptum, in fistulam spiritalem et per eam effertur: quod dum sine negotio fit, si pus album est, odoris expers aut striis sanguineis mixtum, si levamen sequitur, oppressio pectoris ex toto quiescit et febris silet, tuto convalescet aeger (*Coac.* 402). Quodsi vero contraria his contingunt, si pus praecipue lividum fuerit aut ex albo virescens, salsum aut spumans si alvus delicuerit, si urina turbatur, et pectus etiam magis angitur, si axillarum glandulae tumescunt et brachia stupent, metus existit, pulmones ulceratum iri.

Haud raro vomica rupta pus omne in bronchia recipi nescium, inundat pulmones, ut subito spiritu intercepto aeger strangulетur. Interdum ita rumpitur vomica, ut pus extus profusum spatium impleat, quod inter pleuram et pulmones est, unde *empyema* oritur. Solet autem fluctuans tumor oriri inter duas costas, quo rupto cum pure effuso aër etiam exit: mox corrumpitur pus, in saniem vertitur, quae costas exest: tandem in maciem aegritudo trahitur. Pulmonum ipsa labes, ulcerationem excipiens, in ulterioribus tractabitur.

§. 247. *Continuatio.*

Non raro obdurescunt pulmonum glandulae aut bronchiales post inflammationem. Quod ubi consequitur, febris cessat cum inflammationis symptomatibus: supersunt dolores fugaces pungentes per pectoris partem peculiarem, ponderis sensus, anxietatis et stuporis per alterutrum brachium. Nequit aeger alterutri incumbere lateri, tussi vexatur arida, aut qua ejicitur mucus tenuis albidus, granulis solidioribus mixtus, sive etiam spumosus latex. Spirandi difficultas gravis est, nec vulgaribus cedit praesidiis: pulsus semper duri et irregulares: postremo et hae glandulae obdurescentes in ulcerationem abeunt tabem adferentes. Rara est Portalii (*Cours d'anat. medic.* 5, 70) observatio, cum duritie pulmonum volumen adeo imminutum esse, ut vel dimidiam vel quartam etiam partem sanorum facerent.

Tandem rarum non est, peripneumoniam in colluviem pulmonum serosam abire, quae vel proprio sacco continetur, vel intra pleuram est et pulmonum velamentum, vel etiam in ipsa pulmonum substantia colligitur. Interest haec praenosse e cessante febre, silentibus doloribus et aestu: superstitibus tamen pectoris oppressione, dyspnoea et suffocationis metu, dum obdormiscere conatur. Necesse est, circumspiciatur urinae et sudorum copia, quae valde minuta cum sputis suppressis, hunc exitum praesagit.

C. Varietates et compositiones.

I. *Pectoris inflammatio rheumatica.*

§. 248.

Dum febres rheumaticae populariter grassantur, satis frequens est ea forma, quae pectus obsidens dolores musculorum thoracicorum vagantes lancinantes molitur, ut etiam possit velamentum pulmonum ipsorum aut pleura adfici (§. 75). Satis similis haec aegritudo nonnunquam verae pulmonum inflammationi est, si oppressionem pectoris, spirandi difficultatem, ipsamque febrem satis validam perpenderis. Cautum tamen observatorem decipere haec forma nequit, si praesertim epidemicum characterem cognoverit, si respexerit ad externam potius, quam internam dolorum sedem, qui ideo tactu gravescunt, locum facile mutant atque e lateribus ad scapulas, ad collum et cervicem migrant. Oportet circumspicere febris naturam remittentem, in sudores vergentem, iisque satis infirmatam (§. 69). Tussis quidem vel deficit vel pervicax esse potest, sed sputa nunquam satis copiosa sunt, neque purulenti aliquid ostendunt: tutior salus e sudoribus et urina critica speranda (1). Quae, dum impediuntur, vel abscedere

---

(1) Ὅσαι δὲ πλευρίτιδες διὰ τὴν τῶν ἔξωθεν μυῶν γίνονται φλεγμονὴν, αἵτινες οὐδὲ κυρίως εἰσὶ πλευρίτιδες, μετὰ τοῦ μήτε

solet aliquid in nobilia organa, ut insania et animi deliquiis immorirentur, vel, interceptis omnino excretionibus, colligi intus aquosus latex. Frequenter enim visus est hydrothorax ejusmodi rheumatismos sequi. Quodsi ipsa inflammatione exstinguerentur aegri, inventa est antica pulmonum pars gelatina aut lympha rubicunda tecta, utique ad glandulas bronchiales (*Penada: in Weigels ital. bibl.* III. 2. p. 155).

II. Pneumonia biliosa.

§. 249.

Citra eam biliosorum symptomatum accessionem ad pneumoniam, quam supra descripsimus (§. 240), compositio omnino occurrit cum febre biliosa populariter regnante (§. 134). Quod dum cognoscitur, dum statim ab initio adsunt turgor praecordiorum, fastidium ciborum, sapor amarus, lingua flavida aut sordida, si vomitus biliosus et jocinoris dolores, necesse est hanc statuas compositionem.

Id tamen singulare habet haec compositio, cum sordibus inflammatio cieatur, febrem plerumque doloremque etiam esse mitiores (1). Illa

---

βήττειν, μήτε πτύειν, μήτε σκληρὸν εἶναι τὸν σφυγμὸν, ἣν τὶς τῇ χειρὶ ψαύσῃ τοῦ πεπονθότος τόπον, ἀλγοῦσι. Paull. Aegin. 3, 33.

(1) Ἡ μὲν χολώδης ἠπιωτέρη, ἣν μὴ ῥήγματα ἔχῃ ὁ κάμνων. Hipp: *morb.* III. 493.

enim semet remittere solet et typum servare tertianarium, hic raro augetur tussi et spiritibus ductis. Interdum decumbere in utrumque latus sine negotio aegri possunt. Pulsus sunt molliores et pleniores quam in vulgari specie. Sputa sunt glutinosa, biliosa, tenacia: urina etiam flava, vitellina, e qua, quod desidit, lateritium est. A sputis minus saluti sperandum quam a vomitu levante, alvo etiam cita, qua biliosa cocta ejiciuntur, ab aurigine etiam, quae septima die judicat morbum, dum praecesserunt indicia in pulsibus et urina.

III. Pneumonia nervosa.

§. 250.

Ad typhum accedere inflammationem, ex ipso febris illius ingenio exponendum est (§. 88. 93). Arduum tamen est et summi momenti negotium rite dignoscendae hujus compositionis, quippe cum vel in simplici pectoris inflammatione vel in aliis formis haud rara sint symptomata vel virium jacturam vel nervorum adfectiones prodentia. Id tamen ante omnia tenendum, quod epidemici characteris cognitio viam optime muniat ad errores depellendos et discrimen hujus compositionis statuendum. Dein reliquae caussae circumspiciendae sunt, quae vires debilitare valent et pulmonum praesertim vitium id contrahere, ut sentiendi facultas nimis augeatur, minuta ipsa efficacia. Symptomatum quidem ratio habenda est, sed cautissime, ne specie eorum decipiamur. Sentiunt aegri pro-

tinus ab initio languorem virium eamque animi abjectionem ut pessima quaeque extimescant: accedunt sensuum hallucinationes ipsumque delirium, quod vel continuum est vel in lethargum abit: febre haud satis valida, neque aestu adeo continuo, neque siti adeo valida, neque pulsibus pariter concitatis durisque ac in vulgari pneumonia accidere solet. Dolores nec acerbissimi sunt nec pervicaces, sed locum vel mutant, vel solum ponderis sensum adferunt. Maxime vero vigent oppressio pectoris, anxietas incredibilis et spiritus ea difficultas, ut strangulationem metuant. Vultus aegri haud eo rubore suffusus, quem in legitima pectoris inflammatione observamus, sed vel pallidus, genis solis rubentibus, vel tristis, torvus, distortus: oculorum acies minuta: urina vel turbida et lutosa, vel serosa et aquosa. Vena forte secta sanguis mittitur vel floridus, vel corio molli, sanioso pultaceo tectus. Quanquam levamen nonnunquam nullum adferat sanguinis missio, cavendum tamen, ne specie levaminis, quod liberata ad tempus organa nobilia sequitur, decipiamur. In variis enim morbis, a debilitate ortis, detractio stimulorum ad tempus saltem juvat.

§. 251. *Continuatio.*

Variae sunt hujus varietatis formae, quas paullo uberius exponendas esse duco.

Et prima quidem est *pneumonia notha*, quam Hippocraticus ille auctor πλευρίτιδα ἐν νώτῳ (*Hipp*: de morb. III. 493) vocat. Senibus maxime

infesta, per frigus hyemale oriri et rheumaticae nonnunquam varietas esse videtur. Etenim fallaci lenitate dolorum rheumaticorum initio fucum facere solet: pectus oppressum, tussiculam, levem dolorem et pondus quoddam aeger sentit; defetiscitur quovis motu, horripilationibus vexatur et blando satis calore, pulsibus simul haud satis concitatis, sed exilibus, valde irregularibus. Interea crescit per noctes inquietas, anxietas et anhelitus, gliscit frequentia pulsuum, augetur virium languor: tussicula utplurimum arida est, aut mucum quidem educit, sed sine ullo levamine aut fructu. Dolores, si qui adsunt, vel sterni regionem vel potissimum spinam obsident, thoracis motus indies magis opprimitur, anima deficitur aeger et soporatur, facie semper pallida, vulto torvo et distorto. Denique repente stertere, anhelare, animam agere, subitoque exstingui. Cadavere secto pulmones cruore farcti, jocinoris duritiem prae se ferunt, undequaque pleurae adhaerent. Quodsi epidemicus fuerit morbus, catarrho epidemico (§. 59) adnumerandus esse videtur.

§. 252. *Continuatio.*

Alia est forma *pneumoniae nervosae acutae*, quae, nulli aetati parcens, nulli anni tempori familiaris, populariter grassari consuescit. Subjecta est febri nervosae, ad cujus initium aut decursum accedit, anxietate incredibili, pectoris oppressione, doloribus haud satis vehementibus, aestu intestino flagrante, spirituum difficultate summa, pulsibus

quidem frequentissimis, sed molliusculis, exilibus, debilibus, tussi vel sicca vel humida, neutiquam levante. Summi momenti est virium jactura, quae vel querelis aegri, vel pulsibus et oculorum acie imminuta, voce debili, animi deliquiis frequentibus et sudoribus frigidiusculis, viscidis cognoscitur. Febris haud ardens est, sed mitis aut πλάνης omnino et ἄτακτος. Sanguis quidem interdum e naribus stillat, nullo tamen levamine, neque detractio e vena ullum emolumentum adfert, quin detrimenta plura: namque illico solet anima defici, nervorum distensionibus et vesania corripi: sanguinisque missi indoles ea est, quam e secessu particularum faciliori propter vasorum inertiam exposuimus (*Path. gen.* §. 91). Lingua aspera esse solet et tremula: vomitu nonnunquam irrito torquetur aeger, nonnunquam alvo cita. Sed circumspectissime consideranda pectoris oppressio, tussicula haud levans, cum jactura virium indies gliscente. Mors novissime repentina e suffocatione, cum stertoribus et animi deliquiis accedit.

§. 253. *Continuatio.*

Huic quoque formae accensere audeo pectoris inflammationem e typho putrido ortam, qualem comperimus pestilentibus variis morbis, praesertim atrae illi morti, 1348 — 1350 Europam vastanti, adjunctam fuisse. Popularis morbi ingenium, quo ab exordio vires franguntur, aestus oritur mordax, temulentia capitis, halitus teter ex

ore, lingua fusca et sordida, urina turbida (1) et fastidium carnium, cupiditas vero vini et fructuum acidorum, quo vesaniae et anxietas gignuntur, jungitur oppressione pectoris, doloribus haud atrocibus, sed magis obtusis, tussicula irrita, sputis cruentis et sanguinis cursu e naribus (2). Sitis exstingui fere nescia cum aestu intestino flagrantissimo, vigiliae perpetuae aut sopores cum vesania alternantes vexant aegrum per aliquot dies, donec vibices accedant et anthraces, bubones etiam flaccidi, quibus exitium nunciatur (3). Mira est in hac maligna pneumoniae forma contradictio symptomatum. Cum dolore enim satis atroci interdum mollis pulsus et tardior justo (*Galen: causs. puls.* 4. 12), cum oppressione summa pectoris febris tamen levis malignitatem portendunt (*Path. gen.* §. 44).

IV. Pneumonia lenta.

§. 254.

Diuturna pulmonum inflammatio frequentissime exercet homines mala thoracis conformatione laborantes aut gibberos: dein eos, qui catarrho

---

(1) *Οἷσιν ἐν περιπλευμονίῃ οὖρα παχέα ἐν ἀρχῇ — θανάσιμον.* Coac. 415.

(2) *Αἱματῶδες λίαν τὸ πτύελον ἢ πέλιον εὐθέως ἐν ἀρχῇ, κινδυνῶδες.* Coac. 390.

(3) Cf. Cantacuzen: *hist.* lib. 4. c. 8.

diuturno vexati (§. 56) aut superstites e febre intermittente sunt (§. 33. e.): postremo et eos opifices, in aëre corrupto aut pulvereo degunt, velut lapicidas, marmorum sculptores, molitores, caementarios fabros et qui comam calamistris ornant et pulvere amylaceo. Utplurimum catarrhus diuturnus, pertinax praegressus est, pectus perpetuo opprimitur et angitur, utique si scalas aut montes ascensurus est, dolores queritur haud perpetuos, sed tamen eumdem fere locum occupantes, tussim matutinam, aridam aut mucosam, nullo modo levantem. Somnus turbatur febricula vaga, horrores adferens et pulsus concitatos, duriusculos. Languent vires, pallet vultus, ni rubor fugax genarum post pastum accedat. Tali facie indutus morbus per plures hebdomadas, imo menses moratur, donec in labem pulmonum et phthisin abeat. Dum haec adest, recurrunt facillime inflammationes symptomaticae, floridam sic dictam consumtionem prae se ferentes, de quibus infra amplius praecipietur.

V. Pleurae inflammatio.

§. 255.

Vera pleurae inflammatio, quam Diocles proprie *pleuritidem* appellavit, rarior est morbus. Solent quidem, ubicunque dolores pungentes sunt et pulsus durus et ἐμπρίων seu serratus, pleurae inflammationem statuere, sed quantillo jure, patet e Morgagni et Tissoti, Stollii etiam et Portalii sectionibus, qui, ubi haec adfuerant symptomata,

pulmones inflammatos, salva pleura, vel hanc etiam obductam pure aut gelatina pulmonis adfecti repererunt: abrasa vero pleura integra semet repraesentavit (*Morgagni*: ep. 20. n. 62).

Pleura si sola inflammatur, praesto sunt omnino dolores vel pungentes vel obtusi etiam, decubitus difficilis in alterutro vel in utroque latere, aestus etiam intestinus, pulsus duri et celeres, spirituum summa difficultas, utique si spiritus ducitur et pleura panditur (*Musgrave Culston. lectures*, p. 40. *Morgagni*: *ep.* 21). Sed sputa ulla neque Morgagnius neque alii animadverterunt: tussim quoque aridam nec molestissimam Zeviani (*Della vera pleuritide*, p. 30). Solvitur morbus solis sudoribus et critica urina (*Petr. Camper*: *in Samml. für prakt. aerzte*, XVIII. 90). Interdum etiam mictus cruentus observatus est, quem ex azygae venae, quae pleurae providet, ortu e vena cava inferiore, Testa explicat (*Von krankh. d. herzens*, p. 56).

Cum frequenter in cadaveribus, ubi praeter spirituum difficultatem aeger nil conquestus erat, pleuram videamus inspissatam cum vasis turgidis et coalitam cum pulmonibus, occultam etiam esse atque citra dolores haec aegritudo necesse est (*Baillie*: *in Samml. für prakt. aerzte*, XX. 342).

CAP. VII.

DE CORDIS VICINARUMQUE PARTIUM INFLAMMATIONE.

A. Cordis inflammatio acuta.

§. 256.

Hippocratici cujusdam auctoris monitum: obscurissimos morbos et periculosissimos opinione magis quam arte judicari, etsi in his plurimum imperitiae peritia praestet (1), de cordis et partium, quae juxta sunt, adfectibus praeprimis valet; fatentibus, qui in his dignoscendis malis toti erant et summi viri, Hippol. Albertino, Morgagnio, Corvisarto, Testa et Portalio. Quemadmodum enim non rarum est, unum alterumve deficere signum, eorum, quae vulgo praedicantur, ita exempla exstant gravissimorum cordis adfectuum, nullis fere notis dignoscendorum.

Acuta autem cordis inflammatio paullo melius ceteris valetudinibus cognoscitur. Dolor pungens, pertinax, angens, sub sterno aut ad laevam papillam perceptus, sive ponderis sensus, quasi saxum ingens cordi incumberet, cum ardore intestino immani, palmaria sunt symptomata. Quibus accedit cordis is perversus ac concitatus motus, ut ju-

---

(1) Hipp: *de flat.* 295. *Περὶ τῶν ἀφανεστάτων καὶ χαλεποτάτων νουσημάτων δόξῃ μᾶλλον ἢ τέχνῃ κρίνεται. διαφέρει δὲ πλεῖστον ἐν αὐτέοισι ἡ πείρη τῆς ἀπειρίης.*

giter contremiscere ac circumvolvi videatur: pulsus irregulares, creberrimi aut intermittentes sunt, sinistri lateris magis inaequales quam dextri, rarius naturales. Febris est vel ardentissima, rigore orta, in animi deliquia frequentia, algorem extremarum partium et nervorum distensiones abiens; vel remittens ac per circuitus symptomata exasperans. Oppressio ea pectoris ac spirituum difficultas adest, ut dorso incumbere nequeat aeger, sed vel pronus sedere vel laevo lateri inniti cogatur.

Accedunt, quae magis fortuita sunt: vomitus porraceus et convulsivus, praecordiorum palpitatio, meteorismus, singultus et hygrophobia, utique vero anginosi adfectus, sub quibus latere nonnunquam cordis aegritudo observata est (*Testa: von krankh. des herzens*, 238). Neque habitus satis constans est: modo enim facies inflata, vultus velut furibundi, oculi truces, genae lividae: modo pallens, tristis vultus, oculi acies imminuta et somnolentia hanc aegretudinem comitantur.

B. Cordis inflammatio diutina.

§. 257.

Multo difficilior cognitu est lenta cordis consumtio inflammationem stipata. Accidit in iis, qui malam thoracis conformationem habent, in quibus ratio vasorum ad cor haud aequabilis est, qui diu jam sanguinis fluxibus, varicibus sive aneurysmatibus laborarunt, aut catarrhis pervicacibus et exanthematibus diuturnis correpti sunt. Hi ita morbo

occupantur, ut, a coryza et tussi pertinace orsus, febrem moliatur irregularem cum ardore intestino, cum cordis tremulo motu, qui interdum non sueto loco, sed vel in praecordiis vel ad jugula percipitur, quippe a Corvisarto adeo validus observatus fuit, ut strepitum, admota aure, audire potuerit. Spirituum ea est difficultas, ut nonnisi proni sedere possint: interdum vero sine ulla molestia id officium peragitur. Pulsus plerumque spastici sunt et irregulares, interdum tamen nullam patiuntur abnormitatem: neque quidquam queri nonnullos aegros meminimus, nisi languorem cum ponderis sensu cordi incumbentis, sudores etiam matutinos adeo diffusos, ut corpus iis colliquescere videretur. Accessit interdum bulimus singularis, vultusque versus finem morbi ea commutatio, ut liveant genae, oculi promineant, mandibulae producantur et frons corrugetur. Ad haec nonnunquam animi desponsio, vitae taedium, ut mortem sibi consciscere cupiant: hydropes postremo et oedemata cum sphacelosis maculis per corpus sparsis. Interdum fallacia symptomata verminosa; nonnunquam oculi alterutrius inflammatio et ulceratio accedit. Mors utplurimum repentina, vel e rupto corde vel alio modo sanguinis cursu intercepto.

Cadaveribus sectis cordis superficies ulcerata, vel coalita cum pericardio, vel maculis albis obsita, aut filamentis pilisque hispida, aut velamento gelatinoso cincta: substantia flaccida, marcida, exesa; enorme etiam cor aut macie confectum: valvulae vasorum majorum osseae, insulae osseae per

aortae parietes: pericardium sanguine vel sero plenum, incrassatum, vasis sanguiferis copiosissimis, cera rubra velut injectis refertum aut ipsum sanie arrosum reperitur.

C. Magnorum vasorum inflammationes.

§. 258.

Abstrusissima est inflammatae aortae aut venae cavae diagnosis; plerumque tamen cordis ac pericardii inflammationem et trunci vasorum participant. Interdum aortae inflammatio seorsim observata fuit; orta e catarrhis pertinacibus et rheumatismis, ut consortio membranae mucosae hunc progressum inflammationis demonstret (*Testa* 209. *Cf.* §. 147); aut ex exanthematibus retropulsis, e blennorrhoea genitalium etiam diutina. Praesto sunt certae notae fere nullae; licet oppressio pectoris spirandique summa difficultas, si cum tussi pertinacissima, irrita, arida et convulsiva, si cum doloribus pulsatoriis dorsi et rosionis sensu jungerentur, suspicionem hujus aegritudinis moverint (*Morgagni*: ep. 23. n 4., 44. n. 3).

Venae cavae inflammationem Aretaeus (*Causs. acut.* 2, 8) primus graphice delineavit, pauci post eum observarunt. Dolores dorsi acerbi, utplurimum dextrum latus simul occupantes; ardor intolerabilis intestinus; pulsus creberrimi, concitati; sitis intensissima; extremarum partium algor; pulsatio in illis et epigastrio; animi stupor aut dementia; tandem gangraenae intestinae signa tanquam notae abstrusi morbi indicantur (*Testa* 224).

D. Successiones.

§. 259.

Resolutione raro terminatur cordis inflammatio: utique salubris is exitus sperandus est, cum levis est aegritudo ac sine valida dispositione, sine mala thoracis conformatione orta. Bangio (*Diar. nosocom. Hafn.* 2, 210) et Trecourtio visa est post largam venae sectionem profusis sudoribus in sanitatem abire.

Multifaria est successio, quam transsudatio molitur. Maculae albae, quibus cor consitum deprehenditur; pili etiam, quibus hispidum redditur, aut stratum gelatinosum, quo superficies obducitur, sequelae transsudatae lymphae vulgares sunt: Coalitus cordis cum pericardio, nullis saepe symptomatibus, nisi oppressione pectoris et angoribus perpetuis, stipatus, frequenter sequitur leviorem inflammationem. Qui coalitus dum incipit, tensionem violentam efficere visus est, a ligamentis ortam, quae cor cum pericardio jungerent. Anhelitus etiam et palpitatio cordis cum spirandi summa difficultate adsunt, decubitu in dorsum magnopere aucta. Vultum habere aliquid peregrini, quod angores intestinos exprimit, Corvisartum experientia docuit. Tandem pulsus intermittere aut plane deficere, aeger quasi exanimis linqui et postremo strangulari consuescit.

Colluviem serosam intra pericardium in ulterioribus ponemus.

Haud inepte sequelis hujus aegritudinis a Testa adnumerantur et enormitas cordis et parvitas praeternaturalis: illa propter impetum, quo sanguis in vasa capillaria irruere pergit, haec ob consumtionem, quae diuturnam inflammationem visceris hujus excepit. Quodsi enim enorme cor simul villosum et tuberculis ulceratis consitum repertum est, probabile fit, inflammationem diutinam praecessisse (*Cf. Path. gen.* §. 203.). Ossearum quoque insularum in aortae tunicis frequentium, osteogeneseos praeternaturalis valvularum ortus ex oxydatione inflammationem sequente exponendus est (*Path. gen.* §. 109.). Quomodo cor consumatur inflammatione, patet praeprimis ex observatione Testae, qui mulieris meminit, dolore sub papilla sinistra, ponderis ingentis cordi incumbentis sensu, tussi violenta, difficultate spirandi vexatae dorsoque incumbere nesciae. Pulsus minimi, irregulares, vix percipiendi; pedes tumidi: quodvis conamen in somnum abeundi strangulationem minari, tandem nervos distendi, oculi caligare, aegra soporari, animam agere. Post mortem secto cadavere colluvies pectoris aderat purulenta, qua et pulmo dexter et costae ejus lateris exesae, cor autem consumtum fere erat et aorta coarctata (*Testa* 350. *Cf.* §. 138.).

Nec rara demum sunt ulcera cordis inflammationem diuturnam comitantia: utique si ex ulceribus externarum partium praepostera curatione exsiccatis nascerentur. Mirabili naturae patientia ad hanc labem vita duratur, ut per annos inte gros

trahere aegrum possit (*Senac*: du coeur 4, 7.) Motus quidem cordis perversus, tremebunda palpitatio, cum doloris rodentis sensu in eo viscere, angores perpetui, animi deliquia, spirandi ea difficultas ut aegerrime dorso incumbat, pulsuum intermissio et irregularitas cum macie corporis et oedematibus notantur, velut indicia. Neque tamen desunt exempla latentium ulcerum, quae praeter anxietatem quandoque recurrentem haud insignes molestias produxerunt (*Cf. Penada*: *in Weigels ital bibl.* III. 1. p. 100.).

CAP. VIII.

DE DIAPHRAGMATIS INFLAMMATIONE.

§. 260.

Rarius solitaria haec aegritudo, plerumque ad pulmonum inflammationes aut ventriculi accedit, nonnunquam etiam ad phthisin pulmonalem, cum ad extrema ventum esset, semet adjungere visa est Seorsim e rheumatismo existere solet, qui cum velamenta musculorum fibrosa occupat et hoc organon musculoso-fibrosum adgredi consuescit. Nonnunquam et alii cutanei morbi, male curati aut maturius justo exsiccati, occasionem praebent.

Indicio est dolor transversum epigastrium et ipsa ilia occupans, constringens, acutissimus, ardentissimus, quolibet motu corporis, quavis spiratione, quocunque loquendi conatu auctus. Spiratio fere spasmis intercipitur: hinc singultibus ad-

siduis vexatur. Nec deglutiri possunt cibi, propter diaphragmatis lacertos validos, sphincteris ad instar oesophagum constringentes: unde, dum levis est morbus, strepitu quodam resonante cibi in ventriculum detruduntur, dum gravior est, omnis omnino deglutiendi facultas tollitur: accedentibus aquae et potuum aversatione, gravissimisque pharyngis constrictionibus. Praecordia tensa adeoque patibilia sunt, ut ne ullum quidem tactum ferant citra, dolores atroces et vultus distorsionem spasticam. Haec, risui sardoo similis, perpetuo fere morbum comitatur. Palpitat nonnunquam regio praecordiorum, ob musculorum convulsiones: aut hactenus intro versa est ut etiam pugnum possis imponere.

Febris est validissima, calor continuus ardentissimus, pulsus creberrimi, duri et spastici; membra convelluntur et algent: vomitu frequenti irrito, convulsivo, porraceo cruciatur aeger, accedente interdum amentia aut ipso furore, nonnunquam etiam desipientia miti.

His symptomatibus indies gravescentibus, post paucorum dierum spatium mors accedit ex animi deliquiis et aliis grangraenae notis (*Isenflamm: prakt. anm. über die muskeln*, §. 162).

§. 261. *Continuatio.*

Neque tamen desunt exempla aliarum successionum. Coalitus diaphragmatis cum hepate et pulmonibus vulgares sunt, neque, praeter spirandi quamdam difficultatem, aliae molestiae inde gigni videntur. Incrassatum id organon aut cartilagi-

neum aut osseas insulas varii invenerunt (*Voigtel's. Path. anat.* 2. 201.). Ulcera denique haud rara sunt, vel e pulmonum tabe et empyemate orta, vel e lenta diaphragmatis inflammatione, qualia Meckelius in furibundo invenit (*Mém. de l'acad. de Berlin*, 1764. p. 88.).

CAP. IX.

DE JOCINORIS INFLAMMATIONE.

A. Hepatitis acuta.

§. 262.

Abrogata est Fr. Hoffmanni sententia de raritate hujus morbi, saepius commutati cum febribus biliosis et ipsis pulmonum inflammationibus. Illis enim similis est propter vomitus alvique dejectiones biliosas atque auriginem, maxime vero pleuritidi biliosae ob dolores e regione hepatis ad pectoris latera protensos (§. 249). Suis tamen et peculiaribus indiciis proditur et haec aegritudo, dum praeprimis popularis morbi et caussarum praegressarum ratio habetur. Etenim aestati et calidae tempestati familiaris esse consuescit (*Path. gen.* §. 125.), quod minus ex adipis colliquatione quam ex aestus vi incitante in organa secretioni dicata exponendum est. Ita quoque potuum spirituosorum abusus agricolis et messoribus saepenumero hunc morbum contrahit, cum iis hepatis functiones perverti docuerimus (*Path. gen.* §. 144).

§. 263. *Continuatio.*

Ut signa hujus morbi ordine proponantur, protinus consilium transferendum est ad doloris sedem, quae dextrum hypochondrium, ad costas spurias, ad ilia et ad epigastrium medium complectitur. interdum haec regio vehementer dolet et tumet, ut quovis conatu spiritus ducendi, quovis corporis motu ingravescat; nonnunquam adeo obscurus est dolor atque obtusus, ut cum tumore nonnisi tactu et dum alte spirat aeger, animadvertatur. Necessaria igitur est solertissima ilium et locorum, quae circa costas spurias dextri lateris sunt, contrectatio et pervestigatio, ut tum dolorem tum sensum acutiorem, tum denique tensam indolem eorum percipiamus. Saepius oportet aegrum jubere, ut, decubitu supino mutato in sessionem aut stationem, loca ea magis tensa tactui exhibeat. Dolores utplurimum augentur, cum sinistro lateri incumbit aeger, ob tensionem ligamentorum: melius fert dolores, dextro lateri incumbens: interdum aliter liberius spiritus ducere nequit, quam dum erectus aut semipronus sedet. Denique dolores progrediuntur ad pectoris latus, ad humerum dextrum, ubi fugaces pungentesque sentiuntur: nonnunquam sedent in rene dextro: transeunt etiam in suram dextram, quae cum brachio dextro interdum stupere solet et torpere. Non rarum postremo est, dum morbus ingravescit, sinistrum epigastrium, ipsumque adeo lienem participari doloribus, silentibus cum imminuto morbo.

Super dolorem spirituum difficultas notanda est. Haec maxime sub sensus cadit, dum aspiratur aër; obstaculum enim sentitur in diaphragmate et visceribus sub eo sitis. Nunquam sine dolore acerbo sternutare valet aeger. Tussi arida, clangosa vexatur, quae manifesto sedem in hepate incitato et tumido habet. Singultus etiam accedere solet (1), et anxietas incredibilis parte adfecta oriens. Hygrophobiam accedentem semel observavit Portalius (*Cours d'anat. med.* V 300.).

§. 264. *Continuatio.*

Functiones hepat perversae cognoscuntur e fastidio ciborum, conatibus perpetuis ad vomendum, ructibus amaris, plenitudinis et ponderis sensu in praecordiis e lingua sordida, sapore oris amaro, siti valida, urina etiam turbida, crocea, e qua, quod subsidit, laterarium est, alvi denique obstipatione aut dejectionibus biliosis. Accedit aurigo (*Aph.* 4, 64) aut color saltem flavicundus angulorum oris, albugineae oculi et ambitus malarum.

Febris est vel continens et ardens, rigore orsa; vel horroribus inchoans, parumper semet remittens, aestu vires intestino aucto. Pulsus duriusculi sunt, irregulares, creberrimi. Vigiliis, angoribus, animi desponsione et deliquiis torquetur, quibus virium jactura, vox debilis et oculorum acies imminuta accedere solet.

---

(1) Λύγξ ἥπατι φλεγμαίνοντι ἐπιγίνεται. Aph. 5, 58.

§. 265. Continuatio.

Differt quadantenus hepatitis, tropicis regionibus familiaris. Haec enim initio larvam febris vulgaris remittentis induens, mox jecur maxime adficiens dysenteriae forma incendere solet (§. 411. 415). Dolor ardens sub costis spuriis dextri lateris nonnunquam in ipsis praecordiis, progreditur ad jugulum et scapulam ejus lateris, brachii motum difficilem reddit: aegri queruntur fastidium, oppressionem ventriculi et pectoris spirandi difficultatem, utique si in adversum latus se vertunt: ut ingravescit morbus, aurigine corripiunt livore cutis solet. Interdum accidit reducibus in patriam, ut, dum navi vehuntur, citra febrem, venter tumescat, spiritus intercipiantur, vertigines rigoresque et ipsa animi deliquia quemlibet corpori motum excipiant. Subito exstincti cadaver jecur monstrat valde tumidum aut ulcere exesum.

Nonnunquam ita inchoat aegritudo, ut absque hepatis adfectibus, pubis regio doleat, urina spasmis intercipiatur et tenesmus cum frequenti desidendi cupiditate, totius etiam ventris sensu acutissimo, accedat: sensis interdum doloribus ad articulum humeri. Quo frequentior desidendi conatus, eo magis id, quod ejicitur aquam refert, eo dolentior fit venter et tumidior eo major virium jactura cum tremulis pulsibus ειειούροις; eo copiosior sudor frigidiusculus; eo magis cruenta lingua et splendida. Interimitur aeger a quarto die ad vigesimumprimum. Secto cadaver exhi-

bet intestina lympha gelatinosa obducta, coalita, tunicam villosam tumidam ulceratamque, hepar ingens, decolor, sparsis per totam substantiam abscessibus duris, albidis, pure crasso scatentibus. Itaque species dysenteriae et celerrimus in dysenteriam transitus hanc hepatitidis varietatem a nostra distinguit.

Non raro cholerae speciem prae se fert, repente summa virium jactura, vertigine, tremoribus, fastidio, spirandi difficultate et singultibus aegrum corripiens (§. 419). Aestus mox intestinus ingravescere, bilis corrupta continuo vomitu juxta ac alvo excuti, lingua sordere, aegrum adsidua inquietudo capitis lumborumque dolores et sitis vehementissima torquere solent. Tota cutis rubescit, pulsus est plenus et creberrimus, accedunt deliria et nervorum distensiones, donec per sudores calidos febris decrescat, superstitibus capitis lumborumque doloribus et ciborum fastidio. Sed recurrit febris cum exasperatis symptomatibus: id, quod vomitu ejicitur, album esse et cretae aut calci simile consuescit: cum aestu validiori deliria ingravescunt, halitus ex ore ardet ac foetet; lingua, oris ambitus et dentes sordibus nigrescentibus obducuntur. Tandem per tertiam morbi accessionem id quod ejicitur, teterrime foetet, totum os nigrescit, lingua tumet, vox deficit, aeger soporatur, extrema algent, facies fit Hippocratica, animam efflant aegri, praegressis signis sphaceli intestini.

Populariter grassatur morbus ad Gangis ripas; maxime dum alveus late redundat, et cum Indi,

carnibus haud adsueti, iis vescuntur (*Fürstenau et Paxmann: in Haller diss. pract.* vol. VI. p. 755.). Bilis corruptissimae adeo copiosae dejectiones abundansque hactenus vomitus, ut animam agere saepe post aliquod horas videantur, extremae saltem algeant, internae partes ardeant et animo frequenter linquantur. Salubres maculae ad nares, cum quibus sanguis e naribus fluit.

Alienissimam formam in insula Grenada, pluvia maxime tempestate, observavit Chisholmius. Contagiosa haec epidemia doloribus quidem in scrobiculo cordis inchoavit et tumore hypochondrii utriusque satis tenso: dolores etiam ad humerum utrumque procurrere et tussim aridam clangosam producere solebant. Sed nulla sitis, nulla aurigo, neque pulsus initio frequentior, licet post aliquot dies concitatissimus fieret. Mox capitis dolores, vertigines et sopores accedere, facies rufo aut cupreo colore tingi, oculorum acies hebescere, demum aeger quasi exanimis et attonitus linqui solebat. Quod vero maxime mirum est, contagiosam naturam exploratam habent medici (*Medic. comment. Edinb.* Dec. II. *B.* 1. p. 261).

Quamvis haud mediocris adfinitas hujus aegritudinis cum febre flava tropica palam sit, hujus tamen adeo peculiaria sunt symptomata, ut intensior hepatitidis tropica gradus haberi debeat. Quod et in nostris quandoque regionibus aliena haec hepatitidis forma occurrat, exemplis probatur a Fischero et Külbelio in ditione Pegaviensi (*Hal-*

ler: diss. pract. vol. V. p. 146.) et a Sarconio circa Neapolin 1764 observatis (*Gesch neapolit. krankh.* I. §. 248.).

B. Hepatitis chronica.

§. 266.

Vulgatissima est apud nostrates et cognitu saepe perquam difficilis diutina hujus morbi forma, quae potoribus infesta, ad capitis laesiones accedere consuescit atque vel ulceribus ejus visceris vel tumoribus duris juncta est. Lentissime incipit variis digestionis vitiis ponderis sensu et tensionis, in regione epigastrica, flatibus copiosis, alvo dura, et ciborum cupiditate modo perversa modo plane suppressa, lingua semper sordida, capitis temulentia et pallore faciei. Neque per plures hebdomadas manifestus dolor percipitur, nisi dum sedet aut erectus altius aspirat aeger, studiose regionem epigastricam et hypochondrii dextri perconteris. Tunc quidem tumorem invenies dolentem infra costas spurias aut in ipsis praecordiis, bene distinguendum a turgore sordium, quippe qui vomitum duntaxat praecedens, illo finito cessat: distinguendum etiam ab eo tumore, quem pulmo dexter inflammatus efficit, quippe qui singularia pneumoniae symptomata adjuncta habet.

Ad haec citra febrem validam, quae vel mitissima esse vel nulla omnino solet, habitus pervertitur, facies pallet, livet; oculi incavantur, hebescunt, halone livido cinguntur; scapulae elatae cum

brachiis extenuantur frequenterque stupent: pedes etiam marcescunt, surae dolent, spontanea interdum ulcera in suris et malleolis nascuntur, nullis artis praesidiis debellanda, nisi quae adversus jocinoris labem efficacia sunt. Cetero vomunt frequenter, utique jejuni, atque vel bilem corruptam, vel cruorem etiam atrum aut laticem aquosum, qui succus gastricus est. Saporem queruntur amarum, saepius etiam recurrentes cardialgias. Si alvus solvitur, dura sunt quae ejiciuntur, decolora aut albescentia. Urina etiam turbida est, lutea aut biliosa. Tussi vexantur peculiari, arida et clangosa, quae dolores ilium et hypocondrii dextri auget. Spiratio semper difficilis est, maxime dum scalas adscenderit aeger aut montes. Sinistro lateri incumbere nequit: interdum etiam ejus ipsius lateris musculi soli agunt, dum spiritus ducuntur, dextri lateris fere immobiles sunt. Non rarae sunt haemorrhoïdes praeprimis coecae: fluxu enim hoc intercepto nonnunquam hepatis adfectiones diuturnae sequi visae sunt.

C. Exitus.

§. 267.

Hepatitis acuta resolutione terminatur, vel restituto haemorrhoïdum fluxu, vel sanguine e naribus stillante, aurigine etiam orta, post sudores copiosis calidos per totum corpus fusos atque cum pulsibus elatioribus, validis et molliusculis, pruritu denique universali. Observatum est etiam, do-

lorem modicum lienis tumidiusculi, dum ad initium inflammationis hujus accederet avertere salubriter nimium sanguinis impetum in hepar irruentis; quod e mutuo utriusque visceris commercio declarandum est (*Phys.* §. 144). Interdum erysipelas ortum salubre fuit. Salubres insuper alvi dejectiones biliosae, urina lateritia ipseque vomitus, si ante decimumquartum diem existerent. Superesse tamen morbo debilitas hepatis et viscerum digestioni inservientium solet.

Praeterea haud rara, imo satis frequens est transsudatio lymphae gelatinaeque, praesertim dum lentior esset mora morbi. Coalescere solet hepar cum ventriculo, intestinis, diaphragmate, quo vitio levior duntaxat digestionis et motus peristaltici difficultas nascitur. Huc quoque pertinet colluvies aquosa, vel in duplicata peritonaei hepar vestientis tunica, vel in sacco peculiari, hydatidibus constituto.

§. 268. *Continuatio.*

Ulcera hepatis vulgatissima sunt, atque vel hepatitidem lentam comitantur; vel repente nonnunquam capitis laesiones excipiunt: praesertim eas quae nervorum adfectiones, sopores, sensuum caliginem et nervorum resolutiones pedissequas habent. Itaque merito hunc consensum e mutuo secretionum commercio exponere possumus, cum in hepate pariter ac a nervis hydrogenes paretur (*Phys.* §. 141). Nonnunquam satis sero solet aliquid in hepar abscedere, dum plaga capitis jam consanuit.

Tum vero subitaneus oritur ventris dolor, cum nausea et vomitu bilioso. Cupiditas ciborum perditum it: venter admodum inflari, facies livere, atque e plaga capitis iterum caro luxurians gigni aut ulcera sinuosa late diffundi solent.

Ulcera hepatis, vel ex hac vel ex alia caussa orta, convexum marginem lobi dextri fere occupare consuescunt, dolorem efficiunt pulsatorium cum horroribus e parte adfecta natis, spirandi difficultate conflictantur et tussi sicca clangosa, flatibus etiam copiosis, torminibus, murmuribus et alvo dura. Dolores queruntur in scapulis et pedibus; dextri brachii pedisque stupor et inflatio accedunt vires musculorum infringuntur, ut perpetuo langueat aeger. Ponderis sensus, quem in dextro latere percipiunt, cum tumore saepe magno ac sensim increscente ejus regionis junctus est. Jejunus sitim sentit: lateri sinistro incumbere nequit. Facies semper pallet et livet, aut luridum habet colorem. Icterus nonnunquam adest. Cutis est arida ac aspera: corpus gradatim extenuatur, febre hectica adjuncta.

Per plures annos morari potest id ulcus, modo manifestius, modo obscurius, ut intercapedines observentur, ubi levia tantummodo conqueritur aeger. Non rara sunt ulcera ejusmodi, quae dolorem saltem nullum, neque alia efficiunt symptomata necessaria, quibus dignosci possint. Collectum pus visum est velamento adeo firmo cingi, ut arrodere vicinas partes nequiret: tali igitur modo diu toleratur ulcus. Frequenter tamen omne id viscus

ita sensim ulcere latius serpente exeditur, ut totum parenchyma solvatur, superstitibus solis vasis et ductibus biliferis.

Interdum accedit alvus fusa, cum qua aquae copia cruentae excernitur. Tabes fere sequitur cum ructibus perpetuis et flatibus, cum languore virium et artuum stupore Rarius etiam purulentae dejectiones salubres fuerunt, si abscessus recens natus forte in ductus biliferos evacuaretur (*Garnett: in medic. comm. Edinb.* Dec. II. *B.* III, p. 30.; *Thiebault: dans les annal. de médec. prat. de Montpell.* VII. Août. *n.* 3.; *Portal: cours d'anat. med.* V. 304.). Alioquin aegrum praecipitat, si saniosa per alvum secedunt, cum jam penitus emacuit aeger, cum rigores, sopores et sudatiunculae frigidae adjunguntur (*Coac.* 448.). Etiam in ventriculum potest ex duodeno sanies venire, unde vomitu rejectam vidit Sibbern (*Samml. für prakt. aerzte, B.* XIV. p. 124).

Saepius accidit ulceris externa proruptio, tumescente hactenus latere dextro, ut nec ii incumbere possit, nec nisi semipronus sedere. Tumor is plerumque proxime sub costarum spuriarum marginibus haeret, ut cum vesicae felleae turgore aut colluvie aquosa commitari possit. Sed si hoc adest, tumor multo magis circumscriptus esse, ab initio fluctuare, nec dolere solet: dolet vero hic tumor, paullo latius extenditur, initio durus, dein fluctuat. Ubi grandior hepatis tumor, paullo inferius prorumpere potest, sub arcu crurali, ad cristam ossis ilium aut in inguinibus. Palpitatio aut

pulsatio in tumore externo observata, arteriarum, quae juxta sunt, e. g. epigastricae ad arcum cruralem, motui tribuenda. Ut ulcus apertum est, sinus oriuntur et fistulae ad viscus primitus adfectum progredientes; effluit cum sanie nonnunquam et bilis.

Quodsi ulcus jocinoris ita recluditur, ut vel in peritonaeum vel in abdominis caveam sanies effundatur, periculi plurimum habet nec ullam fere sanationem admittit. Repente aliquid intus ruptum sentitur, abdomen inflatur et tenditur, quasi hydropica adfuerit colluvies; animi deliquia, sudores frigidi accedunt, facies collabitur, subito exstinguitur aeger.

Cum ulcus viam sibi rodendo aperit per diaphragma, in pulmonum tabem ulcerosam vitium hepatis transire solet: seu sub musculis intercostalibus tumorem fluctuantem prodit, nonnunquam adeo pulsantem, ut aneurysmatis suspicio nascatur. Attamen arteriae, quae juxta sunt, ob minus volumen haudquaquam aneurysmata patiuntur; unde haud sine jure Larreyus e spastica adfectione velamentorum tumoris eam pulsationem repetit (*Denkwürdigk.* 153). Cum vero ulcus cum lobo pulmonis dextri inferiori communionem habet, sanies in ipsa bronchia abit et tussi tandem ejicitur.

Differt vero eventus, si citra proximum nexum, aliquid abscedit in pulmones, ut metastatica ulcera in his oriantur, sicut et in suris ulcera nascuntur ex ulceribus hepatis per metastasin ortum ducentia.

§. 269. *Continuatio.*

Satis vulgaris est hepatis durities ea, quam *scirrhum* nominamus, cum volumen visceris potius imminutum est quam auctum, ut plane nequeat tactu explorari. Quod fieri pariter nequit, si lobus Spigelii adfectus est (*Portal: cours d'anat. med.* V. 276). Digestionis vitia, flatus copiosi, icterus, tussis arida et clangosa, post pastum exasperata, difficilis decubitus in alterutro latere, interdum vomitus cruentus; nonnunquam sola spirandi difficultas cum redeunte saepius vomitu irrito; urina lutosa, e qua quod subsidit, lateres aemulatur; plerumque vero eadem humerorum elevatio, quam in ulceribus ejus visceris observamus, symptomata sunt scirrhum hepatis comitantia, qui ob contractionem visceris manibus explorari nequit. Interdum tamen satis ingens fit tumor, maxime post febres intermittentes (§. 38. a.) iisdem symptomatibus stipatus. Cavendum vero, dum ejusmodi tumorem sub costis spuriis animadvertimus, ne semper primitus adfectum hepar credamus: etenim pulmonum suppuratio aut colluvies aquosa saepius cum diaphragmate hepar ita deprimit, ut tumor surgat similis (§. 240.).

Hi tumores frequentissime, cum stasibus abdominalibus et tardo sanguinis motu per venam portarum nexi, hominibus haemorrhoïdes passis infesti, circuitum etiam sanguinis per cor turbant, ut vitia hujus organi ipsaque mors subitanea ex enormitate cordis cum Testa possit hepatis vitiis

adscribi. Plerumque tamen, si partes quaedam aut lobi hepatis obduruerunt, diu toleratur id vitium citra functiones laesas; alioquin saepius sanguis e naribus stillare solet. Ubi grandior tumor est, vasorum absorbentium functione vitiata, hydrops accedit.

Id quod tumores et scirrhos hepatis constituit, vel vasa sunt cum parenchymate et cruore ipso obdurescentia; vel gelatina aut lympha coagulabilis, albida tubercula efficiens, et obiter adspecta adipis similitudinem habens; vel denique concrementa sunt biliosa, ad calculorum indolem accedentia.

§. 270. *Continuatio.*

Sphacelo denique hepatitidem terminari, supra jam (§. 116) exemplo febris flavae tropicae probavimus. Haud raro etiam in nostratibus evenit, ut lobi singuli sphacelo corrupti inveniantur (*Morgagni:* ep. 34. *n.* 25).

CAP. X.

DE VENTRICULI INFLAMMATIONE.

§. 271.

Ut hujus nobilis organi inflammatio ab aliis rite dignoscatur, necesse est protinus doloris locus et ingenium consideretur. Altius paullo in praecordiis, paullo magis sinistrorsum percipitur: adeo atrox est, pungens et lancinas, ut nec cibum ullum, nec potum, nec medicamenta, nisi blandissima fuerint, sumere aut tenere, nec corpus ver-

tere aut movere possit; praecordia insuper adeo patibilia, ut nec levissimum quidem tactum ferant, tensa simul sunt et calidissima.

Ad haec vomitus vehementissimus, creberrimus, initio plane irritus, dein vero bilem acerrimam, prasinam ejiciens. Quidquid sumserit aeger, angoribus terrificis continuo rejicitur. Motus is perversus, quo stomachus convellitur, et alia corripit organa; oesophagus et gula spastice constringuntur, eum potuum aversatione, strepitus saltem continuo auditur, dum aliquid propinatur. Sitis est ardentissima; plerumque singultus et vesicae spasmus continuus, ut urinam libere mittere nequeat.

Febris adest vehementissima, rigore orsa, dein aestum continuum intestinum producens cum algore extremarum partium, cum pulsibus duris, spasticis, irregularibus. Spirationes creberrimae, spasmis interceptae; vox debilis, clangosa: animo linquuntur: convelluntur interdum omnia membra: desipit aeger aut furit: nonnunquam nervi resolvuntur, sopores accedunt cum sensuum hebetudine et oculorum acie penitus fracta. Tandem etiam icterus cum gustatu amaro, ructibus similibus, lingua sordida, halitu oris tetro, et maculis lividis per corpus sparsis accedunt.

§. 272. *Continuatio.*

Arduum est sane discrimen ejus aegritudinis, utique dum tunicae externae ventriculi leviter inflammantur, aut dum pars quaedam duntaxat ejus

organi correpta est. Quod dum contingit, nec adeo feroces sunt dolores, nec impotentia ea ventriculi, nec omnia, quae sumta erant, protinus evomuntur. Sed succurrunt diagnosi angores perpetui praecordiorum, vomituritio crebra, virium jactura repentina, cum pulsuum exilitate et spastica indole. Auxiliatur maxime popularis ingenii cognitio. Id enim peculiare habent nonnullae epidemiae, ut cardialgias frequentes, vomituritiones, dolores ventriculi cum virium prostratione producant: unde hujus morbi suspicio nascitur.

Haud rarae sunt epidemiae sic dictae *verminosae*, supra (§. 136) descriptae, quae inflammationem potius ventriculi caussam habent, quam verminosam colluviem. Febres etiam gastricae et biliosae, si ingravescunt, similia adferunt nonnunquam symptomata (§. 131): dignoscenda tamen popularis constitutionis differentia et levamine, quod evacuationem excipit.

Rheumatismus musculorum abdominalium, ubi ad regionem epigastricam et praecordia sedem figit, similis esse huic aegritudini potest, cum summum sentiendi facultatis augmentum, ipsaque oesophagi spastica constrictio adsint (§. 260), cum nonnunquam movere corpus aut vertere prae dolore aeger nequeat. Attamen stomachi functiones haud tantopere laesae sunt, nec dolor tam intestinus est, quin in externis potius partibus sentiatur, nec quaecumque sumserit aeger, iterum emovit.

Cardialgia, hystericas adfectiones et arthri-

ticas comitans, similis est huic inflammationi, propter dolores acerbos, magnam anxietatem et gulae spasmos; febris vero absentia, accessiones cardialgiae per circuitus redeuntes, atque eorum remediorum auxilium, quae adversus spasmos valent, ad diagnosin stabiliendam idonea sunt.

Denique similes sunt aliorum viscerum inflammationes, utique diaphragmatis, quae vero differt dolore transverse epigastrium et abdomen constringente, spiratione semper intercepta et musculorum faciei convulsionibus (§. 260). Ad gastritidem insuper hujus organi functiones laesae, vomitus porraceus et impotentia aliquid retinere accedunt. Ab hepatitide et enteritide facilius distinguitur, quoniam illa doloribus scapulae et brachii dextri ipsarumque surarum, haec vero inflatione abdominis dolentissima et ischuria perpetua jungitur.

§. 273. *Continuatio.*

Ingenio epidemicae constitutionis ita jubente, aut gastritide e venenis orta sive ex aliis inflammationibus, frequenter gangraena consequitur et sphacelus. Neque tamen protinus ut maculas atras, sphacelo correptas in cadaverum sectorum stomacho repereris, inflammationem praegressam gangraenosam statuere licet (§. 183). Sed ad symptomata mortem nunciantia consilium transferendum. Etenim dolore acerbissimo repente silente, viribus simul hactenus pessumdatis, ut pulsus sentiri nequeant, ut exanimis aeger animo linquatur, ut facies oriatur Hippocratica, extremae partes

algeant et sudoribus frigidis inundentur, vomitu nonnunquam atro accedente, placida morte interimitur. Mortui cadaver lividas maculas tum in cute, tum in adaperto stomacho aliisque visceribus exhibet, maculas autem eas, ut vel omnis substantia vel tunica duntaxat interna morbida sit et pultacea.

§. 274. *Continuatio.*

Ulcera in ventriculo gigni, haud rarum est: Dolor antea pungens et continuus mutator in pulsatorium, febre etiam remittente et hectica. Nonnunquam diu moratur id ulcus, propter velamenta denuo generata, quae occludere apostema valent, ut nullatenus prorumpat. Depascunt autem ulcera frequentius tunicas ventriculi ita, ut pustulae per totam faciem internam nascantur: dolores adsunt perpetuo rodentes, vomitus frequentes vel saniosi vel cruenti, cum halitu oris tetro· erectus esse aeger nequit, sed semper oportet pronus sedeat. Macie postremo conficitur. Nonnunquam ulcus viam sibi aperit in sacci speciem, quem pone ventriculum peritonaeum format, Winslowii ore viam monstrante. Quod dum accidit, cum doloribus ejus partis rodentibus et horroribus inflatio praecordiorum oritur, hydropem saccatum aemulans, animi deliquia accedunt et nervorum distensiones, tabe denique aeger consumitur.

§. 275. *Continuatio.*

Inflammationem ventriculi leviorem aut lentam, eamque, quae ex arthritide anomala oritur, maxime in potoribus et epulonibus, aut mulieribus etiam, quae cartilaginem scutiformem intrusam habent, sequi solet durities cardiae, vel pylori vel alius partis stomachi. Teterrimum malum, initio cognitu difficillimum, postea conatus artificum omnes eludens, lentissime incipit. Stomachus solet inflatus esse, tensus et turgidus; post quemvis pastum aut simulac fermentantia et incitantia sumserit, angitur mirum ad modum per horam unam aut alteram: murmura queritur aut sensum repentium vermium seu flatuum adscendentium. Ructus sequuntur acidi aut foetidi et vomitus aquosi, qui acorem etiam corruptum olent et sapiunt, quo facto levamen aliquot percipitur, donec iterum cibos ingesserit. Recurrunt eadem symptomata, interdum per aliquot dies cessantia.

Alvus interea dura est: ingentem etiam corporis totius lassitudinem queritur aeger. Animus marcet et despondetur. Facies pallet et livet, maculisque conspergitur luridis. Postquam cibos sumserit, angores adeo ingravescunt cum dolore praecordiorum, ut sudores frigidi erumpant et nonnulli, spe omne abjecta, mortem anhelent. Dolores etiam per totum abdomen, per dorsum et artus superiores saeviunt: singultu torquentur et dolentissima vomituritione, donec iterum nauseosi laticis copia cum ciborum reliquiis evomatur. Id quod

vomitu rejicit aeger, indies acrius fit et magis decolor, ut et gula eo adrodatur et adsiduo, licet esurie vexatus, fastidiat quaecunque offeruntur.

Quae cum ita se habent, aegerque supinus cubat, laxato abdomine, percipitur durities praecordiorum, quae digitis huc et illuc moveri potest. Alvus adeo dura, ut elui quotidie necesse sit: quod alvo dejicitur, argillaceum est et mucosum; urina pauca lutosa. Macie simul corpus extenuari, capilli defluere, ungues curvari, membra inflari, aeger continuis insomniis, esurie, animi desponsione torqueri, ut miserrimae vitae optatissimum terminum placidam mortem, anxie exspectet.

§. 276. *Continuatio.*

Caussae, quae gastritidi occasionem praebent, sunt stimuli peregrini in stomachum agentes, venena et acria medicamenta, maxime emetica, ut tartarus stibiatus, nitrum etiam et opium, hydrargyrum muriaticum et purgantia drastica. Dein et cibi nimis acres, aromatum abusus, potuum spirituosorum et fermentantium accusari possunt. Humores etiam inquilini, bilis corrupta et succus gastricus, in febre putrida depravatus, stimulos eos praebent. Vis insuper extrinsecus, illata ictus, contusiones, coarctatio ventriculi per thoraces nectiles ansam praebere possunt. Postremo visa est haec inflammatio repercussos sequi morbos cutaneos, ulcera, exanthemata, rheumatismos; haemorrhoïdum denique et menstrui fluxus suppressionem.

C A P. XI.

DE INTESTINORUM INFLAMMATIONIBUS.

§. 277.

Musculosae potius tunicae quam villosae intestinorum infesta haec inflammatio cognoscitur primum dolore pungente, lancinante, saepe atrocissimo, semper continuo, nec semet remittente, ut colici dolores solent, per totum abdomen aequabili; aut, dum ex herniae strangulatione gignitur, ex ea potissimum parte orto. Nonnunquam loco doloris acuti motus undabundus, velut serpentium animalculorum aut μυρμηκισμὸς (formicatio) sentitur. Venter ipse tumidus est, tensus, calidissimus, eoque acuto sensu praeditus, ut tangi prae dolore nequeat. Abdomen creberrime nudari cupiunt aegri, neque vestimenta aut stragula ulla ferre: cubare vel supini vel proni abdomini incumbere: pedes distorquere aut invicem sibi imponere, aut continuo membra jactare, ad ima lecti devolvi solent.

Super haec functio intestinorum continuo laesa est. Alvus vel dura, vel cita, porracea cum vomitu simili, angores vehementer auget. Tenesmo et ischuria spastica continua torquentur: si urina forte mittitur, paucae sunt guttae flammeae.

Febris accedit ardentissima, aestu praeprimis intestino, siti vehementi, lingua aridissima, pulsibus exilibus, spasticis et irregularibus stipata. Insomnia, quae initio adest, mox in desipientiam

abit vel taciturnam vel furibundam, cum vultus distorsione, singultibus, pupulae contractione, oculi obtutu truci, nervorum distensionibus, gulae constrictione et floccorum lectione.

Citissima virium jactura accedit cum voce rauca et debili, oculorum acie penitus minuta aut fracta etiam indole, pulsibus μειούροις, singultibus terrificis, vultu Hippocratico, algore extremarum partium, lingua arida et fusco-atra, dejectionibus alvi inscio aegro contingentibus. Postremo convulsiones cum nervorum resolutionibus alternare, sibi amplius conscius non esse aeger, animam placide et sine dolore efflare consuescit.

§. 278. *Continuatio.*

Difficultas hujus morbi cognoscendi nascitur subinde e doloris absentia pertinacis, dum sui non compos est aeger, aut delirio tenetur vel soporatur. Tum autem ad sensum abdominis tensi acutissimum consilium transferendum est: protinus nempe ut tangitur abdomen, musculi faciei convelluntur, ea saltem nascitur distorsio, quam *risum sardoum* appellant. Hyppolytus Albertini, summus olim observator et Morgagnii magister, inculcavit discipulo maxime hoc signum cum pulsibus exilibus, spasticis et irregularibus et faciei insolito adspectu (*Morgagni*: cp. 35. n. 21). Hinc in dysenteriis, diarrhoeis, in colicis praesertim doloribus, ex hernia strangulata subnatis, in morbis denique variis acutis, circumspectissime ratio habenda est eorum signorum; popularis etiam constitutionis,

quae si ad inflammationes spectat, suspicio movetur, aestum et tensionem abdominis cum ischuria spastica et faciei eo peregrino adspectu, pulsibus etiam cito subsidentibus, enteritidem notare.

§. 279. *Continuatio.*

Quod exitus hujus morbi spectat, resolutioni haud tantopere favet, quam aliis successionibus. Cum vero aetas est juvenilis, cum e suppresso sueto sanguinis e naribus, per haemorrhoïdes aut e mulieribus cursu, aut e sordibus biliosis nata, nec diutius morata est, resolvitur restituto sanguinis cursu, vel alvo cita, quae bilem coctam ejicit. Supersunt tamen convalescentibus symptomata infractae vis intestinorum, stases in vena portarum, alvus dura, haemorrhoïdes, et ipsae membrorum resolutiones.

Frequentissime trans externam intestinorum tunicam sudant latices lymphatici, gelatinosi, qui obducere totum intestinorum tractum atque vim muscularem penitus infringere solent, unde et post mortem eorum, qui inflammatione hac decesserunt, intestina adeo inspissata conspiciuntur, ut anguillarum speciem prae se ferant. Interdum et lacteus humor obducit omnia intestina et peritonaeum implet, quod praeprimis, hac membrana simul adfecta, animadvertitur. Frequenter quoque coalescunt, atque intus suscipiuntur intestina, partim contracta, partim praeter naturam pansa (*Path. gen.* §. 103. 222.)

§. 280. *Continuatio.*

Ulcera intestinorum vulgaria sunt. Quae dum existunt, dolores continui, inflammationis comites, mutantur in pulsatorios, rodentes, cum horroribus intestinis, qui post pastum et vesperi cum febre hectica exasperantur. Quae ulcera si interiores tunicas intestinorum corripiunt, dysenteria inde gignitur diuturna cum saniei et pustularum ejectione. Ulcus vero caveam constituens parietes intestinorum forat, vermibusque, si qui adsunt, viam aperit (*Path. gen.* §. 185). Solet etiam in peritonaei caveam effundere saniem, unde colici dolores pervicaces, inflatio perpetua ventris, pedum resolutio et alvus cita saniosa consequuntur. Nonnunquam ulcus, si singularem intestinorum locum occupat, effusa per alvum sanie, sanescit, si vires suffecerint et humorum labes abfuerit. Denique in externis partibus prorumpi vidimus ulcus, quod fistulam gigneret in intestina penetrantem et excrementa cum sanie emittentem, quod haud sine tabe contingere potest.

§. 281. *Continuatio.*

Obdurescunt intestina, quae inflammationem passae sunt, maxime flexa coli loca. Quod dum accidit, circa umbilicum aut non longe ab ea regione, ponderis sensus et pressionis perpetuus est, cum alvo durissima, ructibus continuis, inflatione ventris et angoribus, aliquot horas post pastum, maxime earum rerum, quae fermentant, vehe-

menter auctis, donec vomitus sequatur, quo et chymus et mucus fuscus cum levamine ejicitur. Ea symptomata recurrunt adsiduo, dum cibi digerendi sunt, infirmant vires et corpus emaciant.

§. 282. *Continuatio*.

Gangraena denique et *sphacelo* satis frequenter intestina corripiuntur, quamvis, quod summatim (§. 93) monui, neutiquam maculis sphacelosis post mortem inventis fidendum, quippe quae et post febres nervosas, a corruptione humorum, cum ad extrema ventum est, observantur. Itaque ad symptomata mortis praenuncia consilium transferre licet. Cum enim inflammationes intestinorum a venenis ortae sunt aut e populari ingenio ad gangraenam spectant, subito solent dolores silere, algere extremae partes, livere et obstupescere. Singultus nascuntur et nervorum distensiones, facies collabitur, oculi amittunt splendorem, sudores frigidi per corpus funduntur; his immoritur aeger. Neque tamen sine exemplo est, ubi hernia intestinorum pars strangulata est, protrudi emortuam partem, consanescere tamen reliquam.

§. 283. *Continuatio*.

Caussis hujus aegritudinis adnumeranda primo est evolutio corporis concitata, dum dentiunt infantes aut pubescunt (*Path. gen.* §. 37). Eo enim valet haec evolutio, ut turbatus sanguinis circuitus intestina praeprimis adficiat, inflammationesque moliatur, quae perperam dentitioni difficili tribuun-

tur. Dein stimuli peregrini accusandi sunt, venena, purgantia acria, excrementa corrupta, bilis et succi intestinales depravati, peregrinae res forte voratae, ossicula nimirum, acus et quae sunt reliqua Nonnunquam calculi biliarii intestinis adhaerentes, scirrhi ipsi et ulcera denuo inflammationes excitare valent; solet etiam stagnans in hydrope latex, ubi corrumpitur, intestina vehementer incitare. Deinde ad cutis communionem cum intestinis respiciendum est, cum repulsa exanthemata, ulcera exsiccata, rheumatismi haud rite soluti frequentem huic aegritudini occasionem praebeant. Denique herniarum ratio habenda est, quae strangulatae, aut irritato eo, quod provolutum est, facillime possunt inflammationem intestinorum ciere.

CAP. XII.

DE PERITONÆI INFLAMMATIONIBUS.

A. Summatim.

§. 284.

Membrana haec serosa, vasisque et exhalantibus et resorbentibus perreptata, cum omnia abdominis viscera obvestiat, si inflammatur, dolorem quidem et tumorem per omnem ventris ambitum producit: neque tamen semper cum visceribus aut intestinis inflammationem communicant, cum membranarum serosarum ea sit proprietas, seorsim magis pati adfectiones, quam cum visceribus communicare (*Phys.* §. 132).

Quamvis is morbus puerperis maxime infestus sit, obvenit tamen rarius in ipsis virginibus e suppresso fluxu menstruo, et in viris, post paracentesin institutam. Dolores iidem praesto sunt ac in enteritide, idem aestus intestinus, eadem inflatio tensa, idem sentiendi facultatis augmentum, ut nec tangi prae dolore abdomen possit. Angitur magnopere aeger atque desipit, nervorum etiam distensionibus obnoxius est. Febris accedit violenta cum pulsibus exilibus et spasticis, lingua sordida, sapore amaro, vomitibus biliosis, virium denique jactura: unde tandem mors simili modo sequitur, ac in enteritide. Cadaveribus sectis peritonaeum vel sphacelo correptum vel colluvie seróso-lactea abundans ac humoribus gelatinosis obductum reperitur (*Frank: epitom.* lib. *II.* 222).

B. Peritonitis puerperalis.

1. *Morbi historia.*

§. 285.

Singularis atque ab omnibus aliis diversi morbi historiam conscripturo opus est fateri primum, Boerii, doctissimi scholae Viennensis magistri, sententiam quam proxime ad veritatem accedere, qui vulgarem ejus aegritudinis formam phlogisticam habet, anomalam vero aliam rariorem. Inflammationem autem peritonaei subesse vulgari febris puerperalis formae, persuadent nobis cadaverum sectiones omniaque symptomata, etiamsi activa inflam-

matio esse nequeat, propter caussas vulgo admissas ac propter locorum adfectorum singularem indolem.

Extimescenda est febris puerperalis in iis mulieribus, quae, cum ad ultimos graviditatis menses ventum esset, alvum crebro duram, insomnias frequentes ac vertigines, capitis dolores et aestum intestinum questae sunt, quae, cum opulentius epularentur, minus tamen exercitationibus et motibus corporis vacarent; unde sordibus gastricis opportunae fuerunt. Quodsi, his se ita habentibus, epidemica constitutio inflammationibus favet, si mulier partum difficillimum subjit, nec post eum largius sudavit, pulsibus mollioribus; si pulsus duriores et magis tensi fuerunt post partum et mulier satis inquiete noctes transigit, metus est, aegritudinem hanc esse sequuturam.

Tirones tamen caveant, ne febris vel e lactis secretione, vel e fortuitis caussis orta cum hac commutetur. Illa, primiparis solummodo infesta, secundo aut tertio die, postquam partum reddiderunt, oriri solet: doloribus humerorum, axillarum uberumque mox cognoscitur, nec ullum habet symptomata adjunctum eorum, quae febrem puerperalem signant.

§. 286. *Continuatio.*

Haec vero utplurimum sexto aut quinto post partum die doloribus oritur per totum abdomen tensum et tumidum sensis. Solent quidem dolores similes partum sequi, secundinis forte nondum ejectis, aut lochiis haud rite fluentibus: sed hi ex

utero potius orti ita agunt, ut os uteri magis aperiatur, habent etiam spasmos simul comites, atque per circuitus semet remittunt: quod alienum est a doloribus febrem puerperalem nunciantibus. Qui continuo ingravescentes supprimunt lochiorum fluxum, rarissime cum hac aegritudine persistentem. Alvus cita solet adesse, torminibus ventris tensi et ardore intestino vehementissimo juncta. Quae dum contingunt, vultus solet alienari et peregrini aliquid ac terrorem aut metum aegrae exprimere: etenim pleraeque mulieres periculum instans ipsae divinant ac mortem extimescunt; hinc gemunt per somnum, aut angorem exprimunt et aestum intestinum jectigatione continua. Dorso tamen malunt incumbere: erigere se sponte nequeunt tum propter virium jacturam valde celerem, tum propter dolorem et stuporem alterutrius cruris. Lactis etiam secretio intercepta esse solet: mammae saltem dolent, tumescunt, aut flaccescunt, doloribus axillarum glandulas occupantibus. Pulsus solent esse ab initio frequentissimi, atque per ipsas etiam remissiones satis concitati. Cutis ab exordio arida est, nonnunquam vero sudoribus madet, serum lactis odore referentibus.

Cum his quidem symptomatibus conjuncti sunt adfectus gastrici: lingua sordida muco vel albido vel fusco: ructus amari aut foetidi: sapor in ore similis: halitus oris malus: praecordia tensa, turgida, ponderis sensu molesto. Urina vel lochiis mixta, vel turbida, lutosa, vel, quod saepissime accidit, plane suppressa.

Paucos post dies vires etiam magis praecipitantur: cum erigere semet aegra conatur, contremiscit et vertigine correpta corruit, animo linquitur, facie vel penitus collapsa vel vultu adeo turbato, ut pavores exprimat, voce etiam debili ac rauca. Dementia accedit, vel sopor, vel medius quoque status inter somnum et vigilias, quo maxime torquetur.

Satis frequens est cum animi deliquiis et angoribus perpetuis, pectoris etiam oppressione et doloribus pungentibus miliare exanthema sudoribus illis peculiaribus annunciatum: quod nullo modo levat aegritudinem, cum in solo pectore ortum, minimas repraesentet maculas tantillum elatas, nullo tamen margine rubro aut dolente cinctas.

Ad extrema ventum est, cum viribus indies magis prostratis, facie Hippocratica, aegra tensa continua et dolentissima abdominis inflatione laborat, quae tangi nequit, nisi convellantur faciei musculi, cum vel irriti vomitus porracei aut foetidi laticis adsunt, vel inscia aegra foetidi humores alvo dejiciuntur, cum e verendis partibus tumidis inflammatisque cruentus et foetidus latex promanat, cum extremae partes resolvuntur, oculi caligant pupula dilatatur, atque moribunda vel attonita corruit, vel resolutis partibus omnibus exstinguitur.

§. 287. *Continuatio.*

Quamlibet prognosis pessima esse solet, si praesertim popularis constitutio febribus perniciosis favet, levior tamen species sponte in sanitatem abit, dummodo ab initio cutis cum pulsibus fortioribus mollioribusque madere coepit, ac calidis vaporibus humectari; dum pectus oppressione liberatur, urina clarescit, et, quod ex ea subsidit, nubeculam levem refert, cum per alvum laxam, cocta biliosa emittuntur, sensusque abdominis acutissimus minuitur, cum oculi acies restituitur, obtutu claro et vivaci, cum fluere iterum coeperunt lochia intercepta et lac denuo secernitur.

Quae cum ita se habent, salutem opperiri licet, etiamsi lente haec consequatur.

§. 288. *Continuatio.*

Anomalam aegritudo haec formam induit, cum contagio originem debet, repente aegram invadens, repente eam trucidans, sine manifesto inflammationis testimonio. Protinus enim vires adeo prosternuntur, ut a se exeat; abdomen tensum quidem et inflatum, sed nullum dolore in eo conqueritur: vultus tristis, torvus, distortus: cutis torrida aut sudoribus frigidis colliquescens, maculis consita lividis, quae mox in sphacelum abeunt. Haec est maligna et putrida forma, quam Walshius, Clarkius, Gordonius et Millarius jam ante Boërium observarunt.

Huic formae subjungere libet putredinem tu-

nicae deciduae Hunteri, quae puerperas saepe brevissimo tempore, inter nervorum distensiones enecare consuescit. Ab uteri ore potissimum ordiens, nullum manifestum dolorem, nullum inflammationis signum exhibet: nonnunquam segnis parturientis labor, exhaustae statim post partum vires, febris vaga, paucis frigoris accessionibus aegram trucidat. Quamquam signorum plurimorum fallacia summa est, pulsu nonnunquam naturali, lingua humida, ventre molli ac dolorum experte; alvus tamen citissima, foetida ejiciens, vomitus faeculentus, mucidus cum lumbricis excretis pessimi ominis sunt. Plena interdum ubera, imo post mortem (mirabile dictu) oppido magis scatent lacte, quam antea (*Boër: natur. obstetric.* 185). Lochia nunquam ex toto cessant; dolet venter imus circa pubem et inguina; animi deliquiis crebro recurrentibus vita celerrime consumitur. Inflammationi uteri minime tribuenda est haec pernicies, quippe cum post mortem integrum hoc viscus reperiatur, sola tunica decidua emortua ac putrescente.

2. SUCCESSIONES.

§. 289.

Haud eodem modo hae febres omnes saluti nocent. Multae enim prius exitium non adferunt, quam metaptosi quadam acuta ac perniciosa, quae ingentem primo jam nychthemero colluviem saniosam in abdominis ambitu molitur. Nonnunquam metastatica meningum et encephali inflammatio

capitis doloribus atrocissimis, oculorum cruento aspectu, pupulae contractione, delirio feroci et nervorum distensionibus annunciatur. Interdum pectoris inflammatio cum pungentibus doloribus, summa oppressione et spirandi difficultate, sputis cruentis aut lacteis accedit, non raro phthisin minitans, ni brevi mors succedat (*Horns: archiv, VI.* 1. p. 37).

§. 290. *Continuatio.*

Frequentiores sunt metastases lacteae ad varias, maxime externas partes, quibus decrescit aut plane cessat febris, licet trahere soleant eae successiones et solutionem difficillime experiantur. Uterus, ubera et musculi abdominis lumborumque potissimum adficiuntur. In mammis nascuntur tumores frigidi, lymphatici, resolutioni nequaquam faventes, sed vel immobiles vel sanie generata organa ea depascentes. In peritonaei parte ea, quae uterum obtegit, similes tumores uterum comprimunt, vesicam et intestinum rectum, unde nonnunquam sanguinis fluxus nimius et perniciosus, tenesmus et ischuria oriuntur: tactu non raro explorari possunt ejusmodi tumores per pubem aut vaginam. Non infrequens est colluvies hydropica intra peritonaeum, frequentior alvi fluxus lacteus, urinae etiam, qui diabetis formam induit. Spirandi difficultas e colluvie aquosa aut lymphatica intra pleuram in diuturnam maxime labem mutari solet.

Maxime obnoxia est his metastasibus lumba-

ris regio, ubi tumor sedet inter iliacum internum et psoas musculos, aut majori psoae adhaerens mergitur sub tensorem fasciae latae, frigidum igitur tumorem ad internum femoris latus efficiens. Generatim vero moveri femora nequeunt sine difficultate, unde claudicatio et ipsius articuli laesio per culluviem aquosam aut saniosam. Cum juxta internum femoris latus decurrunt humores, ad genu dolores cum frigidis tumoribus excitant, ut ulcus sinuosum, tabem adferens. Et aliis musculis eorumque velamentis fibrosis infesti sunt ii tumores, qui rheumatismos diuturnos aemulantur.

Et in ambitu corporis summa foeditas oritur. Erysipelas ex metastasi lactea nascitur, cute incrassata, vesiculis subnatis, quarum interstitia rimosa sunt, pruritu ardoreque molestissimis, maxime noctu. Vesiculis post aliquot dies ruptis, latex acerrimus foetidus, aquosus aut lacteus effluit, escharae formantur fuscae crassae. Inflantur extremae partes, corpus tabescit, torvitas faciei sequitur, si, quod frequens est, pustulis iis deformatur.

Oculos denique adfligunt metastases eae, lippitudinem continuam blennorrhoeamque producentes aut suffusionem etiam lacteam lentis crystallinae.

3. Cadaverum sectiones.

§. 291.

Ut morbi hujus adeo perniciosi expositio patefiat, necesse est, effectus, quos in cadaveribus superstites habet, consideremus. In quibus vulgatissimus fere est totius peritonaei, omenti, mesenterii, ligamentorum uteri partiumque, quas vestit illa membrana, tegmen purulentum, saniosum, lacteum, aut serosum, cum floccis caseum referentibus. Hoc autem latice scatet nonnunquam tota abdominis cavea; uterus, spatia quae inter vaginam et anum sunt, pectus ipsum et meninges. Intestina insuper vel eodem latice obducta, vel coalita cum peritonaeo, vel incrassata et anguillarum similia observantur (§. 279). Peritonaeum etiam et uterus hactenus incrassantur, ut nonnisi ex inflammatione id repetere possis. Nec tamen, quod Denhamius contendit, uterus solus inflammatione correptus est, nec intestina sola, sed e peritonaeo inflammato et collectioni saniosae obnoxio in viscera ea propagatur passio.

§. 292. *Continuatio.*

Humor ille, etiamsi lacti interdum simillimus, alienus tamen lactis natura est, probantibus id egregiis Hermbstädtii (*Sellens: neue beytr. III.* 92) et Jacquini junioris chemici analysibus (*Boër: natur. obstetr.* 199). Sibimet enim et aëris temperiei = 46° *Fahr.* commissus latex tunicam mem-

branaceam, in corneam soliditatem vergentem, separat, versus octavum diem turbidus fit, putrescit decimoquinto circiter die. Syrupum violarum humor ille viridi colore tingit: admixto alcohole et acido nitroso in coagulum abit: cum oleo vitrioli gelatinam format aequabilem: aceto destillato vix turbatur. Alcalia fixa et volatilia turbare magis quam condensare eum videntur. Terra calcarea et plumbum nitrosum leve quoddam et albidum stratum deponunt, ut alcali inesse probabile sit. Mercurii nitrosi calida solutio gelatinae roseae coagulum format. Destillatus denique latex aquam insipidam nauseosi odoris, spiritum volatilem alcalinum et oleum empyreumaticum largitur. Quibus positis intelligitur longe alienum esse humoris hujus ingenium a lactis indole, proximum tamen lymphae, quae mutationem singularem hoc morbo experta est.

4. Epilogismus.

§. 293.

Indolem hujus aegritudinis inflammatoriam esse, nemo inficiabitur, qui cadavera rimatus fuerit, reputatis simul symptomatibus et caussis praegressis. Sed nostri est offici, exponere, cur potius peritonaeum quam alia viscera patiantur; cur passiva potius sit inflammatio quam activa; cur denique humoris colluvies nascatur, lacti simillimi, ab hoc tamen diversi.

In quibus exponendis velamenti illius serosi,

quod peritonaeum vocamus, fabrica et natura paullo uberius primum ventilandae sunt. Membrana haec, telae cellulari originem debens, neutiquam tamen putredini citae obnoxia, vasculis capillaribus exhalantibus et absorbentibus locuples, inflammationem omnino pati facillime potest. Cum vero naturaliter serum albuminosum producat, transsudatione potius terminatur haec inflammatio quam aliis successionibus; cumque purulenta sequitur colluvie, pus propter albuminis copiam candidum est et lacti simillimum. Non bullientis aquae solus calor, sed quidquid oxydationi favet, abundantiam puris albidi lactei caussatur. Quoniam membrana haec, qua uterum et psoas musculos obvestit, maximum habet volumen, atque facillime cedit, eorum locorum frequentissimae esse debent colluvies et congestiones.

§. 294. *Continuatio.*

Quodsi ad gravidarum et parturientium conditionem consilium transfertur, sine negotio patet, cur haec potissimum membrana inflammationi huic et singularibus successionibus ejusdem obnoxia sit.

Namque cum panso per graviditatem utero panditur quoque ea ejus portio, quae uterum obvestit, compressis superioribus processibus; hinc protinus inaequabilis sanguinis circuitus efficitur. Accedit, volumine abdominis inferi per id tempus insigniter ampliato pectus angustari, oxydationem sanguinis impediri eo magis, quo plus oxygenis

foetus matri detrahit (*Phys.* §. 545. 546). Hinc etiam vulnera gravidis forte illata aegerrime aut non prius sanescunt, quam partum ediderint. Haec quidem penuria oxydatarum particularum seri lymphatici abundantiae favet, quae in membranis serosis colluviem praeprimis producit (*Autenrieth. Versuche* 1. 142). Cum enixa est foetum, contracto protinus utero, liberatur pectus, ingens oxygenis copia paratur, quo serum lymphaticum abundans ita impraegnatur, ut lacteum colorem albumen adipiscatur. Hinc acidum olent sudores, hinc lactis ipsa naturalis secretio lucis haud parum accipit.

Jam veniendum est ad victus vitia, quae gravida commisit, huic febri praeprimis faventia. Mulieres sedili indulgentes, motum corporis aversantes, epulis delectatae et potibus calidis coffeae tostae aut theobromae nucum aut theae, animi etiam perturbationibus agitatae, sordes non solum contrahunt, sed irritationi peritonaci etiam occasionem praebent. Hinc nobiliores matronae et opulentiores multo magis succumbunt huic morbo, quam rusticae, quae corpus laboribus durant.

Ipse partus favet huic aegritudini, si nimis fuerit acceleratus, aut si rudi obstetricis manu violenter tractatur uterus. Si illud contingit, vicissitudo celerrima voluminis pansi et praepopere contracti non utero soli, sed ipsi etiam peritonaeo valde noxia est, unde facillime congestio oxydandorum humorum sequitur. Rudis uteri tractatio ac prae-

matura secundinarum extractio non uterum solum, sed peritonaeum etiam magnopere incitat.

Post partum absolutum nocet, quidquid inquietat mulierem, circuitum sanguinis lacessit, intestina etiam sordibus obruit. Hinc vigiliae, animi commotiones, calor externus nimius, juscula nimis calida, abusus purgantium aut aliorum remediorum, quae orgasmum suscitant, noxas adferunt. Alia ac passiva inflammatio contingere nequit in statu, qui post labores partus fatigantes, post sanguinis cursum saepe copiosum, post debilitantes denique caussas a gravida jam admissas existit.

§. 295. *Continuatio.*

Metastases, quae *lacteae* dicuntur, e lactis ex uberibus migratione neutiquam exponendae, cum supra (*Path. gen.* §. 96 — 100) omnem humorum secretorum migrationem refutaverimus, soli secretioni vicariae tribuendae sunt, quae similem quidem, sed minime eumdem humorem in organis simili fabrica gaudentibus producit. Itaque ex abundantia seri lymphatici, ex oxygenis copia magnopere post partum aucta et mutatione lymphae ea, ut albumen praevaleat, explicandae sunt metastases lacteae.

CAP. XIII.

DE PSOAE MUSCULI INFLAMMATIONE.

§. 296.

Non rarus est *morbus lumbalis*, quo praesertim articulus adficitur, psoae musculo utique primitus infestus, dein vero apostema attrahens, quo femoris facies interna turget et genu lente adficitur. Existit autem e febre puerperali aut e calculi renalis adfectibus, nascitur etiam in bajulis et hominibus, qui se in laboribus exercuerunt, denique ex ictibus aut contusionibus, atque equitatione violenta. Ex hac quidem jam caussa Hippocrates nomine κεδμάτων hunc adfectum Scythis familiarem observavit (*De aëre, aquis et locis* §. 108. 112), neque de significatione ejus vocis dissentiunt Erotianus et Galenus, qui diuturna ῥεύματα articulorum, maxime lumborum intelligunt, neque differt alius locus (*Epidem. VII.* §. 58), ubi ad genitalia referri videtur κεδμάτων adfectus: namque in inguina saepius tumor lumborum descendit, ut infra probabitur. Aretaei vero ratiocinium de κέδμασι in vena cava residentibus (*Causs. acut.* 2, 8) e compositione hujus morbi cum venae cavae inflammatione lenta et ulceratione, quam Monteggia (*Fasc. path.* p. 107. 108) observavit, exponendum est.

§. 297. *Continuatio.*

Itaque haec gravissima valetudo inchoat in ipsae regione lumbali inflammatorio stadio, quod lentum est et diutinum. Doloribus exercetur aeger lancinantibus, tractoriis, pungentibus in regione ea, qua psoae musculi pone renes a vertebris lumbalibus ad articulum femoris et trochanterem descendunt, partim in fascia lata femoris terminati. Differunt dolores ischiada vulgarem comitantes, quod exacte cursum ischiadici nervi sequantur, neque febre stipatae sint. Haec vero est ardens, continua saltem, aestuque intestino, praecipue partium adfectarum juncta, pulsibus duris, urina flammea, cute torrida et immani inquietudine. Mutatur quoque in hecticam, horroribus junctam e parte adfecta ortis, calore etiam volarum plantarumque et sudoribus antelucanis. Lumbalis regio adeo patibilis esse solet, ut tangi nequeat. Dolores intestini abeunt in colicos cum tenesmo et sphincteris vesicae spasmo: stuporem quoque cruris et pedis lateris adfecti adferre solent. Differunt a calculorum renalium doloribus, quod hi magis functiones renum laedere multoque manifestius se remittere soleant. Dolores e psoae musculi utriusque inflammatione motum pedis alterutrius impediunt, ut, qui dorso incumbit, nequeat crus vel elevare vel extrorsum vertore vel lumbos denique flectere sine ingentibus tormentis.

§. 298. *Continuatio.*

Plerumque ad suppurationem aut potius ulcerationem spectat haec inflammatio atque cum ea fere initio juncta est. Solet autem pus sive sanies generata ita legere psoae utriusque oras, ut saepissime, qua psoas minor cum fascia lata coït, tumor oriatur frigidus, non dolens; dum cubat, subsidens, dum erectus stat aeger, auctus. Quominus hic tumor confundatur cum hernia crurali (*Path. gen.* §. 225), impedit praegressa adfectio lumborum, fluctuans ab initio et decubitu corporis facile mutata indoles tumoris atque impotentia aegri crus elevandi aut flectendi. Simul solet genu dolere ac aegerrime moveri. Tumor, si per aliquod tempus porrigitur, vel sponte sua vel arte aperitur, sanies effluit multo copiosior, quam quod in modico illo tumore sub fascia lata generari potuisset. Itaque ex altioribus locis depluere colligitur.

Cum psoae musculi majoris tendo una cum iliaco interno super oram ossis pubis manticulam articuli femoris adeat, trochanteri minori insertus, demergi nonnunquam sanies eatenus solet, ut manticulam exedat, spontaneam producat luxationem femoris, claudicationem, stuporem et inflationem pedis. Quae dum contingunt, provolvitur nonnunquam caput ossis postrorsum magis, ut sub quadrato femoris lateat et tuber ischii ossis spectet (*Path. gen.* §. 219). Gluteorum musculorum tumor insolitus durusque, genu et planta

pedis interiora spectantia ac longitudo pedis, dum cubat, magis porrecta hanc luxationis speciem notant.

Neque rarissimus est apostematis proventus, ubi pubis ossi inhaerens ad inguina demergitur, ubi tumorem similem efficit cum scroti inflatione. Haec sunt κέδματα περὶ τὰ γεννητικὰ μορία Hesychii et scholiastae Hippocratis (*Galen: exp. voc. Hipp.* 449).

Nec sine exemplo est, per foramen ossis ischii et locum ejus incisum saniem postrorsum fluere, molestias haemorrhoïdales et fistulas ani simulare, musculos gluteos exedere, ac tandem cum carie vertebrarum lumbarium maciem adducere (*Monteggia: fasc. pathol.* p. 100). Haec quidem compositio cum carie vertebrarum frequens est; venae cavae labes adjuncta observata fuit ad Aretaeo et Monteggia. Peritonaei ulcerationes, e quibus aëris copia tympaniten simulans gignitur, ab aliis observatae sunt (*Barthez: malad. goutt.* 2, 45 sq.). Denique, ubi caries vertebrarum adjungitur, ad spinam dorsi provenire apostema solet; dorsales musculi exeduntur; ulcus sinuosum, tortuosis ductibus partes, quae juxta sunt, depascitur, tandem macies insanabilis cum curvato dorso et resolutis pedibus immobilibusque accedit.

CAP. XIV.

DE RENUM INFLAMMATIONE.

§. 299.

Ren sinister frequentius dextro, parenchyma magis velamento inflammari solet. Cum sinister ren paullo altius sit collocatus, dolores etiam inflammationem prodentes ab undecima inde costa ad ossis ilium usque cristam pertingunt: si vero dexter patitur, ad dextrum latus dolor sentitur a duodecima costa ad mediam usque partem ossis ilium. Doloris indoles continua, vehementissima differentiam stabilit inter hunc morbum et lithiasin renalem, quippe quae dolores vel remittentes, vel gressus, equitatione, vectione in curru duntaxat exasperatos producit. Dolores propagantur per colon, ut enteritidem interdum simulet, per fasciculos diaphragmatis costales et lumbales, per ureteres et vesicam, per scrotum et crura. Hinc vulgaria sunt tormina ventris cum murmuribus, vulgares etiam ob irritatum diaphragma, singultus; tussis spastica, clangosa, dolentissima; si dexter ren patitur, ob viciniam hepatis, vomitus porraceus, nervorum distensiones et spirituum difficultas. Accedunt tenesmus et ischuria, testium spastica ad anulum abdominalem attractio, cruris in latere adfecto stupor ac fere immobilitas.

Functiones renum partiumque vel contiguarum vel consentientium semper laeduntur. Soli dorso incumbit aeger, urina vel spasmis intercipi-

tur, vel non sine doloribus mittitur: solet etiam flammea esse aut turbida ac fusca, plerumque vero cruenta.

Febris, quae sociatur, validissima est et ardens, aestu intestino maxime in regione renali flagrans, accedentibus pulsibus durissimis, spasticis, nervorum distensionibus, sternutatione, singultu, tussi continua, et ipsa desipientia. Plerumque septenario dierum numero terminatur, nonnunquam lentior est et hecticae similis: si ad suppurationem haec inflammatio spectat.

§. 300. *Continuatio.*

Morte terminatur, dum vel rumpuntur vasa renalia vel sphacelus accedit. Quae dum contingunt, dolor subito silet, ingravescente tumore abdominis ardentissimo; extremae partes algent, pulsus deprimuntur, nervi resolvuntur, atque vel apoplexia, vel resolutione totius corporis cum foetidae urinae missione decedunt aegri.

Sanitas consequi potest, cum versus septimum diem urinae saturae copia mittitur, e qua, quod subsidit, lateritium est; cum haemorrhoïdes forte suppressae restituuntur, sudoribus calidis per totum corpus provenientibus.

§. 301. *Continuatio.*

Aliae successiones vel a transsudatione repetendae sunt, vel a duritie, vel demum ab ulceratione.

Dum e laxatis vasis renalibus humores mucosi et albuminosi mittuntur, collecti in pelvi renali et

congelati acido phosphorico seu urico calculi generantur, qui inflammationem renum non raro excipiunt (*Path. gen.* §. 117. 118).

Super haec coalescunt etiam renes cum adjacentibus partibus, cum psois musculis, colo, peritonaeo, diaphragmate, hepate et splene.

Dein potest colluvies aquosa existere inter membranam firmam, quae renes obvestit et tunicam adiposam: aut hydatides oriuntur, immensum nonnunquam tumorem constituentes, quo urina intercipitur, aut per circuitus aquosa fit, excreto etiam interdum pure aut ichore (*Arnemann's. Magaz.* 1, 179. *Voigtel's: pathol. anat.* 3, 196).

Obdurescunt renes interdum, unde ponderis sensus absque horroribus et febre hectica, urinae secretione etiam suppressa, accedentibus denique hydrope et tabe.

§. 302. *Continuatio.*

Postremo ulcera renum consideranda sunt, quae cum gravissimum morbum constituant, cognitu interdum perquam difficilia esse solent. Manifesta autem signa sunt: dolores obtusi, pulsatorii et horrores ex alterutro rene orientes, febris hectica, urinae secretio impedita, cum stupore cruris et testium spastica attractione. Haec quidem symptomata diu morari possunt, citra puris cum urina excretionem. Tum enim destructio renum in papillis circumscripta est membrana pathologica firma ac cartilaginea, qua et vasa obturantur, ut sanguinis cursus impediatur, et emissio puris praepe-

diatur. Eapropter simulant dolores et symptomata reliqua nonnunquam calculum renalem, cum per circuitus redeunt ac motibus corporis exasperantur.

Quodsi vero pus aut sanies cum urina excernitur, nequaquam secura est diagnosis, cum in stasibus abdominalibus turbida urina mittatur, purulentae simillima. Necesse est igitur, ut strenue investigemus praegressa symptomata ulcerationis internae, si renum destructionem statuere voluerimus. Quodsi vero solae adsunt stagnationes, defuerunt ea symptomata, aegro duntaxat arthritidem atonicam aut haemorrhoïdes coecas aut alia atoniae abdominalis symptomata conquerente. Studiose etiam inquirendum est in ipsam urinae purulentae differentiam. Si ulcera renum praesto sunt, pus aut sanies cum urina mixta cruorem etiam habet, haud intime miscetur cum lotio, quin, ubi perfrixit, facile deponat hypostasin eam turbidam et purulentam. Cum vero e stagnationibus abdominalibus urina eam accipit indolem, intime mixtus est latex pus similans cum lotio, nec facile ex ea secedit. Denique respiciendum est ad juvantia: adminiculo enim sunt, ubi solis stagnationibus tribuenda est ea urinae indoles, motus corporis, itinera, aut, si vires haud suffecerint, praesidia artis, quae solvere stases et firmare abdominis viscera valent.

Rarius per alia loca pus aut sanies exeunt. Quodsi ren exesus cum colo coalitus id etiam intestinum depascit, necesse est purulenta diarrhoea sequatur, morte tandem terminata. Rarior etiam

est exitus, ubi per psoas musculos et secus vertebras ulcus prodit, vertebris carie vastatis.

§. 303. *Continuatio.*

In caussis hujus inflammationis numerandae sunt praeter extrinsecus illatas violentias, ponderum gravissimorum gestatio, equitatio: dein etiam calculi renales et diureticorum, utique cantharidum abusus: accumulatio urinae in pelvi renali, dum fractis aut luxatis cruribus diu decumbere cogitur aeger. Insuper, dum spasmis coërcetur urina, pelvim renalem nimis irritare potest. Et suppresso haemorrhoïdum et menstrui sanguinis fluxu nonnunquam ortus est morbus. Nascitur postremo, si aliquid abscessit in renes per febrem nervosam aut e cutaneis morbis aut ex inflammationibus aliarum partium.

CAP. XV.

DE VESICAE URINARIAE INFLAMMATIONE.

§. 304.

Collum vesicae maxime obnoxium est huic aegritudini, tum quod ex urethrae adfectionibus plerumque nascitur, tum quoniam in collo facile aliquid colligitur, quod stimulo suo nociturum est. Gradu differt haec inflammatio et sede; erysipelatosa est, quae tunicam internam occupat, gravior ea, quae tunicam musculosam corripit; quae cum laxius duntaxat tunicae villosae adhaereat

(*Phys.* §. 287), haud facile inflammatio ex altera in alteram tunicam abit.

Dolores praesto sunt lancinantes, ardentes pungentesque et perinaei et pubis, quovis motu corporis, conatuque mejendi magnopere aucti: maxime vero ingravescentes, si catheterem applicueris. Vagantur iidem dolores interdum per totum abdomen; in urethra praeprimis percipiuntur, saepius etiam in testiculis, cruribus et pedibus. Tumor accedit ardens, tensus, pulsatorius pubis et perinaei, cum haemorrhoïdum tuberculis; ipsiusque vesicae dolentissimus tumor per anum explorari potest.

Ad haec vehementissimus sphincteris spasmus, quo vel cupiditas mejendi irrita et dolentissima, vel interceptio urinae efficitur, vel si guttulae aliquot emanarunt, illico reprimitur fluxus. Urina est cruenta, hactenus tamen, ut cruor perfrigescentis lotii fundum petat; vel fibrosa ac filis mucosis plena. Nunquam haec micturitio dolentissima sese remittit, neque levatur motibus corporis peculiaribus: quod in calculis vesicae contingere solet.

Adjuncta sunt symptomata partium vesicam adjacentium laesarum: alvi obstipatio cum tenesmo ita dolente, ut nec elui alvus possit. Virga etiam solet rigescere, glande doloribus cruciata. Per consensum organi cum aliis partibus nascuntur febris ardens, pulsus durissimi, spastici, spirationes creberrimae, angores, vomituritio et vomitus irritus, singultus, palpitationes cordis, deliria fe-

rocia, nervorum distensiones, summaque virium jactura.

§. 305. Continuatio.

Magnum habet casum, si vesica, urinam mittere nescia, nimis panditur, ut vel resolvatur penitus vel rumpatur, vel urina regurgitans in ureteres, hos mirum in modum extendat, urachumque ita praeter naturam aperiat, ut urina per umbilicum effluere visa sit (*Walter: von den krankh. der Nieren*, *p.* 37). Resolvitur vesica, cum parietes extenuantur, tunicarum strata a se invicem secedunt (*Conradi: path. anat.* 263) et sacci oriuntur aut appendices e tunica interna per strata muscularia provoluta. Quod dum accidit, diuturna saepe et insanabilis oritur molestia ex adsidua mejendi cupiditate, haud idonea tamen vesica, omnem emittere lotii copiam, unde a relicto semper tensio in vesica sentitur et dolor obtusus. Ruptam vesicam letum plerumque adferre, supra (*Path. gen.* §. 200) monui; rarissimum sanatae rupturae exemplum Thedenius refert (*Neue bem. und Erf.* 2: 121). Tandem sphacelus ad violentissimam vesicae inflammationem accedere potest, maxime in senibus, resolutioni nervorum obnoxiis.

§. 306. Continuatio.

Aliae successiones pariter vulgares sunt. Transsudatio contingit, cum e laxatis vesicae vasis muci copia prodit, acido urico ita congelascentis, ut calculum formare possit: hunc enim non raro ex

inflammatione vesicae nasci, alibi posui (*Path. gen.* §. 117. 118). Neque sine exemplo est, aquosos aut serosos humores colligi in hydatidibus aut exsudare inter strata parietum, aut coalitus vesicae cum partibus, quae juxta sunt, caussari. Hydatides descendere possunt e renibus, urinam per circuitus intercipere, ac in vesica nidulari (*Portal: cours d'anat. méd.* 5. 393).

Obdurescit vesica aut carnes fungosas luxuriantes gignit maxime in viris aetate provectis aut qui lustris confecti sunt. Mulieres fere immunes sunt ab hoc vitio. Quodsi enim nervi, inflammatione infirmati, moderando typo formationis non pares sunt (§. 153), nascitur vel nimia crassitudo fibrarum muscularium, quae rubedinem amittunt, cum regularis sanguinis impetus turbetur (*Sömmerring: über die krankeiten der Harnblase: Frcf.* 1809) vel fasciculi floccosi ex interna vesicae tunica, tactu facillime sanguinem fundentes, ubi etiam vesica crassescit et mucus tenax fit. Nervorum sacralium debilitas eo praeprimis valet, ut pedes adsiduo vacillent et fere resolvantur. Urinam sua sponte mittere nequeunt aegroti, sed insciis ea defluit. Ipsa vesicae cavea saepe adeo minuitur crassescentibus tunicis, et steatoma exacte referat (*Wichmanns, Ideen* 3, 15). Haec scirrhosa tubera interdum in ulcus carcinomatosum abeunt.

Tandem ulcera vesicae vulgaria sunt, praesertim in senibus. Doloribus nunciantur rodentibus, pulsatoriis, horroribusque e vesica surgentibus, febre etiam hectica: urina vel intercipitur, vel cum

tormentis furfuracea mittuntur (1), unde scabiem vesicae veteres statuerunt. Quodsi pus simul ejicitur, fundum, id lotii facillime petit, indicio, id haudquaquam e renibus provenire.

§. 307. *Continuatio.*

Super violentias externas, quae vesicae urinariae inflammationem cient, quorsum et equitatio et curatio calculi, quae ferramentis fit, pertinent, retroversio etiam uteri id vitium caussari solet (*Path. gen.* §. 224). Raram habet caussam Sömmerringius exostoses vertebrarum lumbalium et ossis sacri. Dein blennorrhoea novis stimulis vel remediis incitantibus vel victus vitiis exasperata; aetas in lustris consumta; arthritica maxime dispositio; haemorrhoïdes vel suppressae vel vasa vesicae praeter naturam pandentes; saniei aut puris incitamenta, e renibus suppuratis defluentium; calculus praesertim in vesica generatus aut e renibus per ureteres devolutus; scirrhus prostatae; diureticorum abusus accusari nonnunquam possunt. Denique cutanei morbi ita interdum agunt, ut per consensum vesicam adficiant.

---

(1) Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι, πιτυρώδεα ξυνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ. Aph. 4, 77.

CAP. XVI.

DE UTERI INFLAMMATIONE.

§. 308.

Cum supra peritonitidem puerperalem exponeremus, monuimus, *metritidem* seu uteri inflammationem ab ea aegritudine omnino diversam esse (§. 291). Neque, seorsim orta, haec inflammatio vulgaris est, sed rarioribus omnino adnumeranda, cum Walterus, expertissimus dissector, vix ac ne vix quidem veram uteri inflammationem seorsim praesentem se reperire meminerit (*De morb. periton.* §. 44). Itaque morbum, quem Hippocratici auctores (*De nat. muliebr.* 566. *De morb. mul.* 1. 608), ab arte cadavera secandi alieni, et in gravidis et in puerperis tanquam vulgarem tractant, huc profecto non pertinet. Hinc et Vetterus (*Aphorism. aus der pathol. anat.* 150) haud sine jure ad peritonaei inflammationem, qua cingit uterum, referenda esse plurima metritidis exempla contendit. Neque tamen desunt observationes verae de uteri ipsius inflammatione, a Kieslingio (*Haller: diss. pract.* 4, 596), Sieboldio (*Chir. tageb.* 51), Schmidtmanno (*Anleit. zur gründung einer medic. Verf.* 1, 224), Portalio (*Cours d'anat. med.* 5, 575) aliisque relatae.

Plerumque post partum oritur, cum parturiens mulier rudi modo tractata, placenta violenter extracta, cum calidis remediis sanguinis circuitus nimis incitatus, aut cum lochia repercussa, frigus

corpore exceptum fuit. Pessario etiam rudi Schmidtmannus tribuit.

§. 309. *Continuatio.*

Doloris topici primum ratio habenda est. Oritur is praecocius post partum, quam qui febrem puerperalem indicat (§. 286). Sentitur proxime in pubis regione, neque per abdomen adeo vagatur: solet tamen vaginam praesertim, lumbos et os sacrum simul obsidere; ardentissimus est, continuus, pungens aut lancinans; vagina et labiis vulvae simul dolentissimis inflammatisque, effluente ichore cruento. Pubis regio simul tumet, tenditur, nec tangi prae dolore et ardore intolerabili potest. Alvus pertinaciter obstructa, cum ano valde retracto, tensionibus per ligamenta uteri et crura, per musculos etiam abdominis aegram torquentibus. Hinc nec erigere semet sponte sua, nec crura movere, nec corpus flectere valet. Solent etiam pedes tumescere et stupere. Accedit urinae difficultas, aut spasmis interceptus fluxus et summi vesicae cruciatus. Febris denique ardens aestum adfert intestinum et angorem vehementissimum: pulsus durissimos, creberrimos, irregulares; suspiria frequentia, oppressionem pectoris et singultus: linguam torridam, sitim ardentissimam; oculorum obtutum ferocem, albidae tunicae ruborem cruentum et capitis dolores vehementissimos; vultus distorsionem, quoties pubis regio contrectatur; vomitum irritum, convulsivum, porraceum; gulae etiam constrictionem spasticam. Ubera utplurimum collabuntur et

flaccescunt; interdum vero naturalem molem servant, maxime dum sanies e verendis partibus haud effluit.

Letalem exitum, quem gangraena molitur, nunciant virium repentina jactura, cum animi deliquiis, nervorum distensionibus, sensuum hallucinationibus et hebetudine, desipientia blanda, soporibus, algore extremarum partium, pulsibus μειούροις et sudoribus frigidis, pallore cutis ac facie Hippocratica, alvo denique, inscia aegra, foetida dejiciente.

Quodsi salus speranda est, praesagitur minore morbi vehementia, restitutis etiam lochiis aut erysipelatae suborto, sive abscendentibus in cutem aliis humoribus.

§. 310. *Continuatio.*

Magnopere differt lenta uteri inflammatio, vel ulcerationi ejus visceris vel duris tuberculis juncta. Si illud contingit, dolores rodentes cum horripilationibus uterum torquent, febris etiam hectica et macies corporis. Tument regio pubis et inguina (*Hipp: praedict.* II. 136). Nec erigere semet aegra potest, nec flectere crura aut movere: urina etiam intercipitur. Effluit sanies variis intervallis e vagina, cum aliquo levamine: sed recrudescunt dolores et horrores. A syphilitica caussa orta haec ulceratio flatus interdum adfert foetidissimos e vagina prorumpentes, quos Störkius (*Ann. med.* 2. 204) et ego olim (*Stockhausen: diss. de aedoeopsophia,* p. 30) observavimus.

Fungosae etiam carnes aut tubercula cartilaginea, pyriformia, pendula cum ulceratione hanc junguntur, quae cellulis constituuntur, substantia tenaci aut purulenta farctis. Ea corpuscula pure farcta ejiciuntur interdum sine dolore (*Portal: cours d'anat. med.* 5, 523). Parietes etiam ipsi uteri spissescunt; cum ovariis ita coalescunt tubae Fallopianae, ut simul hydropica colluvies aut hydatides generentur.

§. 311. *Continuatio.*

Scirrhus uteri, in *carcinoma* abiturus, ab his successionibus differt. Citra inflammationem praegressam oritur in prostibulis, aut mulieribus vel syphiliticis, vel quae fluore albo diuturno conflictatae sunt, vel quae ex egestate et victu pravo in cachexiam inciderunt. Est autem teterrimum malum, foetore saniei, sanguinis cursibus et doloribus acerrimis tum ipsi aegrae tum proximis abominandum, nec nisi morte miserrima eluctandum.

Incipit ponderis sensu in pelve, quod ligamentorum uteri tensionem caussatur et motum corporis impedit. Tum languor accedit et morositas: coitum aversantur, nec ullam in eo voluptatem sentiunt. A menstruo sanguinis cursu defectae fluorem album patiuntur, qui mirum quantum vires infirmant, propter acrimoniam verendas partes et femorum internam faciem adrodit et foetorem intolerabilem producit. Os uteri, si rite exploratur, durum est, inaequale magisque inferiora petit.

Nonnunquam in decubitu supino obdurescens uterus optime tangitur. Ubera flaccescunt et collabuntur; tuberculis duris innatis (1); glandulae tamen et axillares et inguinales et ipsarum palpebrarum intumescunt: facies pallet aut livet et emaciatur. Haec omnia si adsunt, uterum scirrho laborare creditur. Uni vero aut alteri signo neutiquam fidendum est, cum nec ipsa oris uterini durities absit a benigna ea ulceratione, quam tuberculis ejus visceris duris junctam supra posuimus. Nec rarus est fluoris albi maxime diuturni ortus ex aliis caussis, maxime e polypis (*Path. gen.* §. 108) aut e tumoribus alius ingenii.

Nescio possitne unquam uteri scirrhus rite cognosci, ni jam in carcinoma transierit. Fieri id cognoscitur doloribus perpetuis rodentibus intestinis, diu noctuque saevientibus, ingressum ex toto impedientibus. Febris accedit hectica, cum pulsu duro, tenso et satis contracto: effluit vel sanies foetida vel cruor etiam e vagina, quibus cursibus vires magnopere franguntur. Eo deploratior fit mali indoles, quo minus potest ullo remedio occurri aut mitigari. Tormenta maxima pelvis intestina alternant cum cadaverosae saniei effluxu: provoluta interdum simul vagina. Vigiliis adsiduis, angoribus perpetuis, vitae taedio, aversatione ciborum continua torquetur aegra, cujus facies indies magis deformatur, livet, cujusque artus etiam in-

---

(1) Καὶ ἐν τοῖσι τιτθοῖσι φυμάτια γίνονται σκληρά. (Hipp: *de morb. mulier.* II. 648).

tumescunt. Intercapedines nascuntur, quibus, cessante paullulum fluxu eo tetro, levantur symptomata; sed miseria aucta vehementia recrudescit, donec placida mors, unicum solatium miserrimae mulieris, finem imponat.

Insanabile hoc malum cum Hippocrate (1) et Paullo Aegineta declaro, haud nescius, plura referri exempla probe curati, ubi vero cum Portalio statuo tubercula ea ad collum uteri adfuisse pus sudantia, quae colorem hujus mali induere possunt. Qui belladonna aut digitali debellasse gloriantur uteri cancrum, eximiis iis remediis videntur potius praevertisse malum aut aliam uteri duritiem curasse. Bailliei icones egregias (*Series of. engravings.* fasc. 9. *tab.* 1 — 3) contemplanti nullum supererit dubium, tubercula multa et ulcera uteri commutari cum vero carcinomate.

---

(1) *Ὁκόταν οὖν ἐς τόσον προΐωσι τοῦ χρόνου, οὐ δύνανται ὑγιέες γίνεσθαι, ἀλλ' ἀπόλλυνται ἐκ τουτέων τῶν νουσημάτων.* De morb. mulier. II. 648. *Τὸ μὲν οὖν πάθος ἀνίατον, ὥς που καὶ Ἱπποκράτης ἀπεφήνατο.* Paull. *lib.* III. c. 67.

CAP. XVII.

DE VISCERUM ABDOMINALIUM ALIORUM INFLAMMATIONIBUS.

§. 312.

Rariorum hujusmodi inflammationum difficillima est cognitio, siquidem communem habent dolorem abdominis, cum ischuria spastica. Sed, cum seorsim rarius occurrant, cum aliorum viscerum inflammationibus junguntur, functionibus variis laesis. *Vesica fellea* e calculis inflammatur, vel ab hepatitide parum differt is adfectus, vel colici dolores oriuntur symptomatibus inflammatoriis juncti. In ulcera abit haec inflammatio, quae internam vesicae felleae membranam, salvis reliquis, exedere solent (*Baillie: in Samml. für prakt. aerzte*, 20, 406). Quodsi vero reliquae membranae etiam devastantur, ulcus vel effunditur in abdominis caveam, vel tota vesica ita destruitur, ut praeter calculum, hujus adfectus caussam, nil supersit (*Haller: opusc. min.* vol. III. *obs.* 39. p. 329). Si membrana hepar extrinsecus vestiens, a qua et vesica fellea cingitur, inflammatione laborat, terminatur plerumque coalitu partium: cum peritonaeo, omento, duodeno coloque conglutinata vesica saepius inventa est.

§. 313. *Continuatio.*

Splenis inflammatio, a Marco Bambergensi nuper acutius vero ventilata, plerumque e perito-

naeo originem ducit, aut hepatitidi succedit. Dolenter tumet regio hypochondriaca sinistra, laevo etiam lateri soli incumbere potest aeger. Dolores aspratione magnopere aucti ardorem adferunt intestinum sitimque validissimam, cum vomitu vel cruento, propter sanguinis in vasa ventriculi regurgitationem, vel bilioso porraceo, quoniam jocinoris adfectus pedissequi esse solent. Cum colon etiam et ren sinister simul adfligantur, non rarum est, dolores per totum abdomen propagari, urinae secretionem turbari aut intercipi et urinam mitti cruentam Interdum diaphragma una cum splene inflammatur, unde summa spirandi difficultas cum singultibus, palpitationibus cordis, tussi et doloribus lateris pungentibus, qui pleuritidem mentiuntur. Portalius enim in homine, qui pleuritide manifesta exstinctus esse videbatur, pulmones integros, splenem vero solum inflammatum invenit (*Cours d'anat. medic.* 5. 334). Cum magis seorsim lien inflammatur, ad dolorem regionis sinistrae epigastricae et tumorem accedit febris ardens, cum animi deliquiis, sanguinis cursu e naribus, singultibus, virium jactura. vomitu cruento et facie decolore, livida. Subito saepe exstinguitur aeger post validas convulsiones et animi deliquia.

Non rarae sunt splenis inflammationes lentae vel post febres intermittentes (§ 33. a) vel post menstruorum suppressionem aut haemorrhoïdum, vel etiam in arthriticis hominibus ac iis, qui infarctus abdominales patiuntur. Tumor nascitur regionis hypochondriacae sinistrae cum doloribus fu-

gacibus, flatibus continuis, cupiditate ciborum deleta, alvo dura aut profluviis sanguineis saniosisve, decubitu difficili in dextro latere, livore faciei, gingivarum tumore, quae facile a dentibus secedunt, ulcusculis tibiarum prurientibus, urinae interceptione, febricula accedente hectica, qua tandem, hydropibus adjunctis, emaciatur aeger. Hi sunt *μεγάλοι σπλῆνες* Hippocraticorum auctorum (1), quem morbum perperam ad scorbutum traxerunt Ronsseus et Grunerus. Peculiaria tamen is morbus habet symptomata, diverse ab iis, quae splenis tumor inflammatorius producit. Hic vero non raro ad febres malignas aut ad nervosas saltem accedit, aut cum ulceratione diutina jungitur, abscessibus in ventriculum, aut colon aut etiam per abdominis integumenta prorumpentibus. Quibus si consumitur ex toto lien, defectum hujus visceris inde exponere licet, quem in nonnullis cadaveribus observarunt (*Pohl: de defectu lienis in Haller diss. anat.* vol. 3).

Obdurescere lienem non rarum est. Contingit id fere post lentam ejus visceris inflammationem, quo facto hepar valde intumescere solet, contracto et minuto lienis volumine (*Morgagni:* ep. 30. n. 14). In cachexiis variis, praesertim hydropibus, id vitium vulgare est. Neque tamen exiguum splenis volumen, si non obduruit, morbosum est (*Cf. phys.* 144).

---

(1) Praedict. II. 162—164. De intern. adfect. 549.

§. 314. *Continuatio.*

Pancreatis inflammatio plerumque cum vicinorum viscerum adfectibus juncta, seorsim fere cognosci nequit. Dolores enim acuti, continui inter umbilicum et stomachi regionem, paullo magis ad dorsum vergentes; vomitus irriti, creberrimi; anxietas et sensus constrictionis in ea regione; alvus dura et urinae interceptio et aliorum viscerum inflammationes comitari possunt. Vidit tamen Portalius post ea symptomata sphacelatum pancreas (*Cours d'anat. med.* 5, 354).

Ulcera pancreatis cum tuberculis duris idem auctor observavit post testium exstirpationem et funiculi spermatici subligationem. Sequitur tamen idem malum scrofulosas totius systematis glandulosi adfectiones, praesertim in atrophia infantum, interdum quoque interceptum menstruorum cursum. Dolores adsunt acerbi inter umbilicum et ventriculum, cum horroribus crebris, non raro in colicos dolores abeuntes; fastidium continuum, vomitus vel biliosus vel aquosus, quo salivae copia educitur; alvus cita, interdum et dysenterici adfectus; flatus adsidui; icterus; difficultas spirationis; tandem macies, hydrops et febris hectica.

Haud absona est scirrhorum aut calculorum etiam, quibus pancreas occupantur, e lenta inflammatione expositio (§. 159).

§. 315. *Continuatio.*

Omentum et *mesenterium* inflammantur, dum eodem morbo adfliguntur peritonaeum, intestina et ventriculus. Omenti inflammatio in herniis strangulatis non rara est, vomitu porraceo et doloribus atrocissimis spasmisque a strangulata parte protensis notata. Lenta omenti inflammatio in tumores duros ejus partis abit, quibus hydropica colluvies, ob vasorum absorbentium functionem lesam, semet adjungit.

CAP. XVIII.

DE PARONYCHIA.

§. 316.

Inflammationem tendinum ad digitorum ossa insertorum, aut manticularum, quibus articuli continentur, aut ipsius periostii, vocamus *paronychiam.* Etiamsi naturaliter nec vasa sanguifera nec nervi in tendinibus et manticulis artioulorum deprehenduntur, abundant tamen vasis capillaribus, nervorumque proximorum sentiendi facultatem participant, dum ingens nascitur imponderabilium per nervos impetus. Est autem ea aegritudo potissimum duplicis generis: vel tendines duntaxat et externas partes occupat, vel solum periostium cum manticula.

Itaque, si externa est paronychia, nascitur repentinus dolor pungens, lancinans, acutissimus

atque pulsatorius, cum tumore ardente, renitente extremarum phalangum, vel pollicis vel aliorum digitorum. Erysipelas interdum sistit is tumor, sed magis circumscriptus est: digitus adfectus, tota nonnunquam manus, imo brachium obrigescunt: vasa absorbentia inflammantur, glandulae axillares tumescunt, totumque non raro brachium, dum lateri adfecto incumbit aeger, tormenta immania oriuntur. Noctu insomniis turbatur aut somniis tumultuosis. Febris accenditur violenta cum cupiditate ciborum amissa.

Post aliquot dies vesiculae surgunt albidae, latice acerrime aquoso farctae, quae dum rumpuntur, humorem eum effundunt, partes quae juxta sunt, exedentem. Quo facto abscessus nascitur cum horroribus topicis, qui, dum aperitur, sinus format tortuosos inter tendines productos. Unguis plerumque his ulceribus depascitur.

§. 317. *Continuatio.*

Alia est paronychia altius radices agens ipsique periostio infesta. Inchoat haec tormentis immanibus repentinis sub ipso unge, adsiduo pergentibus nec quietem nocturnam largientibus. Habent id peculiare ii dolores, tanquam filo aeneo aut cultello aut serra digitus praecideretur. Tumor fere abest, ut et extenuari digitus videatur et pallescere. Varius simile erysipelas accedit ac in externa paronychia cum tumentibus vasis absorbentibus et glandulis axillaribus, obrigescente etiam brachio.

Multo plura per consensum sociantur symptomata. Spiratio difficillima fit, spasmi et singultibus intercipitur: strangulationis metu subinde orto. Gula spasmis constringitur: vomitus irritus convulsivus oritur: musculi faciei distorquentur: ischuria accedit. Febris est nervosae similis, cum virium summa jactura, pulsibus exiguis, spasticis, quo facto nonnunquam celeriter gangraena terminatur. Quodsi ulceratio sequitur, qua tendines destruuntur, carie ossium accedente, solet oedema brachii adjungi, glandulae axillares tumescere, et tabes pulmonum extimescenda est (*Dussaussoy: in Richter bibl.* II, 366).

Lenta, quam observavit Acrelius (*Chirurg. händels* p. 491) paronychia, per plures menses morari potest, doloribus pariter atrocissimis, nullo vero tumore. Tandem praeciso digito, ossa apparent in steatoma mutata cum periostio turgido.

§. 318. *Continuatio.*

Caussae, qua vitio huic occasionem praebent, sunt vel externae violentiae, utique praecisio incauta unguium, reduviarum et clavorum pedis, cum ungues e periostio et manticula ultimi articuli originem ducant (*Phys.* §. 266); vel apum aliorumque insectorum morsus; vel acrium rerum, ut calcis vivae usus, unde obnoxii sunt ii morbo opifices, qui chartam scriptoriam fabricantur iique, qui saponem conficiunt, sartores etiam et sutores. Super haec abscedere aliquid e morbis acutis in

haec loca non rarum est: ut et epidemicam proclivitatem in hanc aegritudinem animadverterint Sieboldius et Dussaussoy.

CAP. XIX.

DE ERYSIPELATE.

A. VULGARIS EJUS FORMA.

§. 319.

Corporis mucosi, quod cuticulae subjacet, inflammationem *erysipelas* vocamus, finitimam eam hactenus exanthematibus, ut nonnulli his potius quam inflammationibus accensuerint. Cum vero historiam morbi variaeque ejus successiones magis ad inflammationes pertineant, hujus etiam loci esse statuimus, licet non negetur, transitum ad exanthemata formare. Quandoquidem tunica ea mucosa, quae corpus extrinsecus ambit, per interiora continuatur, erysipelatosas quoque inflammationes oesophagum et fistulam spiritalem, ventriculum et intestina occupare posse, patet. Has autem alternare interdum cum externo erysipelate satis frequenter meminimus. Est id peculiare et his intestinis erysipelatibus, haud adeo functiones partium adfectarum laedere, quam dum tunicae musculares aut viscus ipsum corripiuntur; vagari etiam, nec diu persistere; facilius resolvi aut ulcerationem duntaxat superficialem producere.

§. 320 *Continuatio.*

Quodsi vero externum corporis ambitum erysipelas occupat, vel symptoma est febris ἐπιγενόμενον, vel febris sociatur ii, horroribus orsa et sordibus, biliosis turgescentibus; aestu sequente cum arida cute; pulsibus crebris, irregularibus, haud valde duris: spirandi difficultate; capitis doloribus, vigiliis et nervorum adfectionibus. Sensus enim frequenter hebescunt aut turbantur: aures intus sonant, oculi caligant, aeger soporatur, aut vertigine corripitur, utique si erysipelas caput vel collum tendit. Urina vel supprimitur, vel crocea est ac turbida; alvus sistitur. Remittere sese febris horis matutinis, vespertinis exacerbari solet.

Ipsum erysipelas vel simul cum febre, vel paullo post apparet; tumor est aequalis, fere sine altitudine latescens, non tam dolens quam pruriens et ardens: rubor ejus tumoris satur sensim in ambitu abit in naturalem colorem aut in flavedinem aut in aquosum colorem. Quae ipse tumor efficit symptomata, varia sunt pro varia sede. Si membra externa occupat, super pruritum et ardorem et immobilitatem membri, inquietudinem etiam et decubitum difficillimum in latere adfecto, peculiaria nulla symptomata consequuntur. Quodsi vero faciem occupat, sensus caligare, aures intra se ipsae sonare, scintillis visus turbari, loquela blaesa reddi et difficilis, saliva effluere atque non raro aeger soporari solet.

Quodsi, turbato neutiquam ordine, erysipelas,

moratur, febris simul cum partis adspectu et indole mutatur. Illa decrescit et magis semet remittit, cute ex toto sudoribus calidis levantibus madida, pulsibus mollioribus, urina clarescente satura, e qua nubecula levis subsidit; sanguinis etiam cursu e naribus salubri, vomitibus alvique dejectionibus coctis, biliosis. Simul vesiculae nascuntur, latice aquoso acrique scatentes, qui effluit ac crustam deponit, continuo humectam et rodentem. Quarum vesicularum ope squamae interdum aut furfures erysipelas obsident, tumore gradatim cum rubore et ardore decrescentibus. Contingit is exitus post quatuor aut septem dies, pergit per aliquot dies, restitutis sensim functionibus. Vultus tamen, si facies occuparetur, lentius in pristinum statum redit: in membris etiam supersunt nonnunquam oedema et rigiditas.

§. 321. *Continuatio.*

Vergente eo popularis constitutionis ingenio, aut cum fortuito corpus perfrigescit, aut adhibitis perperam iis rebus, quae perspirationem supprimere et cutem obstruere solent, unguentorum exemplo; postremo cum cutis adeo rigida est, ut omne erysipelas perfici nequeat: vel repente migrat in hanc illamve partem externam, vel ab externis ab interna regreditur, inflammatione erysipelatosa partium internarum, soporibus, delirio, nervorum distensionibus ipsaque apoplexia frequentibus.

Neque rariora sunt exempla ulcerationis ex

erysipelate subnatae. In pedibus hoc, dum labes corporis adest, frequentius contingit: saepe etiam popularis constitutio eo vergit, aut regionum quarundam uda indoles, sicut id de Guestphalia Metzgerus adseverat (*Advers. med.* 2. 236). Tum solent vesiculae eae acerrimum liquorem effundere, qui corpus mucosum sub cuticula erodit, ulcera sinuosa producit ipsamque cariem.

Nonnunquam et in gangraenam abire erysipelas, infra docebitur.

§. 322. *Continuatio.*

Caussae erysipelatis sunt primum localia incitamenta, quae vasa corporis mucosi ita irritant, ut capillaria vices vasorum sanguiferorum gerant; plagae, laesiones, punctiones variae, morsus insectorum, erucarum variarum humores venenati: rhois toxicodendri, vernicis et radicantis vapores: variolae vaccinae insitio: frigus corpore exceptum, unde ad sinum ochotensem Pallasius refert a nebula algida endemicum oriri erysipelas (*Neue nord. Beytr.* 4, 156): cantharidum et emplastrorum vesicatoriorum applicatio.

Haud praetereunda est epidemica constitutio, quae interdum erysipelati favet. Dein ad primarum viarum statum consilium est transferendum: sordes enim biliosae, gastricae, vermes, esus acrium rerum, mytilorum, hepatis squali catuli, ovulorum piscium: iracundia denique per consensum hactenus externum corporis ambitum adficiunt, ut erysipelas nascatur. Hinc biliosum erysipelas, velut

peculiarem speciem, olim statuerunt. Stases quoque abdominales, arthritica labes atque haemorrhoïdalis morbus erysipelata moliuntur, facillime in ulcus abitura. Postremo ad menstruorum suppressionem et metastaticum ortum ejus vitii consilium transferri debet. In his et praesertim etiam iis, qui stasibus laborant abdominalibus, erysipelas diuturnum oritur, saepius recrudescens, facile ulceratum, nullamque perfectam admittens curationem, si labes corporis pervicax nata fuerit.

B. Maligna ejus forma.

§. 323.

Popularis nonnunquam constitutio, aër nosocomiorum vitiatus aut summa aegri debilitas, senio aut luxu confecti, malignam et contagiosam omnino indolem erysipelatis efficere possunt. Solet tum protinus ab initio febris sociari ardens viresque pessumdans, pulsibus depressis, animo marcente, aut soporibus, stuporibus, nervorum distensionibus accedentibus. Secundo jam aut tertio die vesicae surgunt in erysipelate, oris rubicundis, latice acerrimo, foetido, contagium propagante, scatentes; livescens aut nigrescens tumoris color cum virium jactura et nervorum resolutione exitium brevi secuturum nunciant. *Ignis volatici, sancti Antonii* nomine, populariter grassatum esse hunc morbum, vergente ad finem saeculo undecimo supra jam (§. 185) monuimus. (Cf. *hist. meam med.* 2, 435. 452. *Saillant: in enc. med. art. Antoine. Bell in*

Samml. für prakt. aerzte 20, 621. *Penada: in Weigels ital. bibl. III.* 2. p. 130).

§. 324. *Continuatio.*

Aliter se habet erysipelas, quo recens nati in tictodochiis et domibus, quae pusiones expositos recipiunt, corripiuntur. Sponte sua ac nullo praegresso morbo ad umbilicum, ad pubis regionem et pudendas partes, nonnunquam etiam ad alias partes rubedo oritur circumscripta, quae ambitum habet monetae minoris, pressioni quidem cedit, sed durior est sueto erysipelate; cuticula, quae supra est, rugulosa et flaccida: quam maculam ubi praesseris, dolorem sentire videtur infans, ejulatur enim et faciei musculi distorquentur. Pressa protinus flavescit, dein albescit. Interea abdomen rigescere, maculae livescere, mox sphacelo corripi, sanieque foetida madere, aliae in aliis partibus succedere: aphthae accedere, vomitus porracei et alvus vel cita vel penitus dura: oculi aciem amittere et fracti videri: lingua arida et albida: spirationes creberrimae esse, tum suspiria aegrum frequentia ducere, ejulari, tandemque post paucos dies soporibus enecari, aut lentius exstingui macie et nervorum resolutionibus.

Cadavera licet emaciata partes tamen adfectas monstrant rigidas, obdurescentes; cute adeo incrassata, ut elephantiasis speciem quamdam prae se ferat, abundante in cellulis humore spisso gelatinoso aut purulento aut adipe etiam granuloso. Peritonaeum totum in plerisque cadaveribus incrassa-

tum , ulceratum aut colluvie purulenta saniosave abundans invenitur.

Singularis hujus erysipelatis indoles , quod tela cellularis obdurescat, variis caussis tribuitur, veteri lacti nutricum a Renardo, funiculi umbilicalis haud idoneae tractationi a Walshamio, aëri tictodochiorum corrupto majori jure ab aliis.

Finis voluminis sexti.

INDEX
VOLUMINIS SEXTI.

INTROITUS.

Storia del Tifo contagioso che regnò endemico nelle carceri di Vicenza. Vicenza 1812, in 8. lir. 1 75
Strak, Caroli. Nova theoria pleuritidis verae et recta eidem medendi ratio. Moguntiae, 1786, in 8. » 2 00
Strambio, Caietani. De Pellagra. Milano in 4. » 3 00
Stranchnirch. L'inoculazione del vajuolo usata nelle parti più ragionevoli dell'universo. Mantova 1801, in 8. » 1 00
Swediaur. Trattato completo sopra i sintomi, gli effetti, la natura ed il trattamento delle malattie sifilitiche. Milano anno IX, vol. 2 in 8. » 6 00
—— Pharmacopoeia syphilitica. Milano an. IX, in 8. » — 60
Sarcone, Michele. Istoria ragionata dei mali osservati in Napoli nel 1764. Venezia 1802, vol. 3 in 8. » 7 00
Scarpa, Antonio. Tabulae Neurologicae etc. Ticini 1794, in fol. leg. franc. » 60 00
—— Riflessioni ed osservazioni sull'aneurisma. Pavia 1804, in fol. fig. » 80 00
Sprengel. Storia Prammatica della medicina. Venezia 1812, e seg. vol. 12 in 8. » 42 50
Sabatier. Traité complet d'Anatomie ou description de toutes le parties du corps humain. Paris 1775, vol. 3 in 12 leg. fr. » 12 00
Scherer, Josepho. Tabulae anatomicae quae exhibent Musaei anatomici academiae caes. Reg. Josephinae praeparata Cerea. Vindobonnae (S. A.) in fol. fig. col. lat. ted. » 20 00
Savi, Gaetano. Materia medica vegetabile Toscana. Firenze 1805, in fogl. con 60 fig. » 40 00
Sangiorgio. Storia del Decotto del sig. dottor Pollini, ed uso che di esso se ne può fare nelle malattie veneree, ed in molte altre difficili. Milano 1814, in 8. » — 50
Sauvages. Chef d'oeuvres ou recueil de dissertations qui ont remporté le prix dans differentes academies, aux quelles on a joints le Nourice Maratre du ch. Linnée. Lyon 1770, vol. 2 in 12. » 6 00
Soemmerring. Malattie de' vasi assorbenti del Corpo umano, ossia dissertazione che riportò il premio dalla Società d'Utrech nell'anno 1794. Vigevano 1813, in 8. » 2 50
Stentzelii. De somno, Diatriba Franc. *grec. lat.* sine anno in 12. » 3 50
Sauvages (de). Trattato de' Veleni che comprende varie dissertazioni mediche. Napoli 1785, vol. 2 in 4. » 10 00

Saggio della Teoria medica del controstimolo. Codogno 1816, in 8. lir 1 25

Sprengel. Istoria delle principali operazioni di Chirurgia. Firenze 1815, vol. 2 in 8. » 7 00

Sydenham, Tommaso. Opere mediche volgarizzate da Pietro Carpanelli. Pavia 1816, vol. 2 in 12. lir. 4 50

Sigaud de la Fond. Elémens de Physique théorique et expérimentale. Paris 1787, vol. 4 in 8 avec fig. » 36 00

Scarpa. Trattato delle principali malattie degli Occhi. Pavia 1816, vol. 2 in 8 fig. » 10 00

Tazewel, Guglielmo. Vade-mecum medicum in duas partes divisum. Lutetiae Parisiorum 1798, in 12. » 1 50

Testa, Giuseppe. Discorso inaugurale sull'insegnamento della medicina clinica nel principio del secolo XIX. Bologna 1804, in 8. » 1 50

Tissot. Avvertimenti al Popolo sopra la sua salute. Venezia 1813, vol. 2 in 8. » 4 00

—— Avis au peuple sur la Santé. Lausanne 1777, vol. 2 in 12. » 5 00

—— L'onanismo ovvero dissertazioni sopra le malattie cagionate dalle Polluzioni volontarie. Milano 1816, in 12 gr. » 1 50

—— Della salute de'letterati. Venezia 1791, in 8. » 1 50

Toggia, Francesco. Precetti intorno ad alcune morbose affezioni della milza. Torino anno XII, in 8. » 1 50

Tortosa, Giuseppe. Istituzioni di medicina forense. Vicenza 1809, vol. 2 in 4. » 8 00

Tralles. Usus opii salubris et noxius in morborum medelena solidis et certis principiis superstructus. Neapoli 1778-79, vol. 4 in 8. » 12 00

Troja, Michele. De novorum ossium in integris aut maximis ob morbos, deperditionis regeneratione experimenta. Lutetiae Parisiorum 1775, in 12 fig. » 4 00

Turra, Antonio. Lettera ed osservazioni sulla febbrifuga, facoltà dell'Jppocastano. Vicenza 1780, in 8. » 1 35

—— Vicenza 1788, in 8. » 1 50

—— Qualità ed indicazioni diverse del polso e della urina nelle malattie. Vicenza 1792, in 8. » 1 15

Thomassin. Riflessioni su i vari metodi d'estrarre i corpi stranieri dalle ferite da quelle specialmente d'armi da fuoco, ec. trad. da A. L. Colla. Parma 1800, in 8. fig. » 4 00

Trommsdorff. La Callopistria, ossia la chimica diretta al bello del mondo elegante, trad. dal dott. Gio. Pozzi. Milano 1815, in 12, *seconda edizione.* » 2 00

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICÆ.

VOLUMEN SEPTIMUM.

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICÆ.

PATHOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN SECUNDUM.

MEDIOLANI

REIMPRIMEBAT JOHANNES SILVESTRI

MDCCCXVII.

LIBER III.

DE EXANTHEMATIBUS.

CAP. I.

SUMMATIM.

§. 325.

Exanthemata vocamus maculas pustulasve in cute efflorescentes, peculiari more terminatas atque per se ita subsistentes, ut fortuita symptomata alius morbi haud constituant. Etenim haec supra jam (*Path. gen.* §. 267 — 269) recensuimus, exposita etiam ratione ortus et decursus exanthematum generali (§. 263 — 266). Supersedere igitur huic expositioni licet, id duntaxat monituris, quod cum inflammationibus adfinitatem quamdam servent, singularibus maxime eventibus conspicuam.

CAP. II.

DE VARIOLIS.

A. Benigna earum et simplex forma.

§. 326.

Variolae exhibent exanthema contagiosum, pustulosum, ad suppurationem spectans, contagio per solum pus propagato: symptomatibus, si benignus est morbus, stato quodam ac fixo ordine ita

semet excipientibus, ut sexdecim dierum spatio totus morbus terminetur: stadiis quatuor, singulis quaternos dies comprehendentibus.

Primum igitur stadium praecedit exanthema ipsum: varium id est pro varia hominis aetate et constitutione. Infantes sani, cute gaudentes molliuscula, albida, capillis fulvis aut albidis meliuscule se habere solent, quam rigidi, qui nigris gaudent capillis et lurida cute rigidaque. Febris generatim accenditur frigore aut horroribus orsa, in aestum intestinum abiens, cum siti valida, cupiditate ciborum amissa, sapore oris amaro, lingua sordida, nausea, vomitibus, alvo dura, et colicis doloribus. Vesperi exasperata febre, inquietudo, jectigatio et deliria accedunt. Peculiares vero huic morbo sunt nervorum distensiones, eclampsiae et epileptici insultus ad exanthematis usque eruptionem persistentes; odor etiam mucidus ex ore: dolores axillarum, maxime post insitionem variolarum, aut tensiones per membra: postremo sternutationes frequentes convulsivae, nonnisi cum eruptione cessantes.

§. 327. *Continuatio.*

Secundum stadium tertio aut quarto die inchoans maculas parvas molitur in facie et pectore, initio nec supra cutim elatas, nec facile a ruberrima reliqua cute distinguendas. Vigintiquatuor horarum spatio per totum corpus diffunduntur, crebriores, ubi stimulus aut plaga aut ulcus forte fuit. Dum erumpunt, dolere collum solent et oculi, urina intercipitur, alvus obstipatur. Altero die ma-

culae pustularum forma elevantur, oris rubidis, tumidis cinctarum eoque magis increscentium, quo pauciores adsunt. Perfecta eruptione, pustulisque rite elatis, febris desinit cum omnibus symptomatibus praegressis: cupiditas ciborum ipsaque hilaritas nonnunquam redeunt. Nihil fere queruntur, nisi dolores colli et oculorum satis tolerabiles, ardoremque cutis. Septimo circiter die pustularum apices albescere aut pallescere solent, ambitu adhuc rubro, calido, tumido.

§. 328. *Continuatio.*

Tertium stadium cum suppuratione orditur. Ut sexto aut septimo die pustularum elatarum apices albescunt, spatia quae intersunt, inflantur cum febre recrudescente, pulsibus acceleratis, inquietudine et aestu auctis. Tumor ille suberysipelatosus faciem manusque inprimis deformat, cum palpebrae inflatae claudantur, nares ita tumescant, ut spiritus ducere, nisi ore aperto, nequeant. Sed salubris est congestio, quae hunc tumorem caussatur; ni enim is surrexerit, salivae cursus interdum vices gerit, neque tamen parem habet dignitatem, ut suppuratio promoveatur. Pustularum pallor sensim mutatur, die octavo et nono, in flavedinem: tensio autem, ardor et rubor interstitiorum superest, ut margaritas fere discretae pustulae referant. Die decimo solent primum in facie fuscescere pustulae, pruritu aucto, ut adsiduo scalpant loca et fricent, quo quartum denique stadium maturatur.

§. 329. *Continuatio.*

Quartum stadium decimo fere die incipere solet, dum ruptae pustulae liquorem flavidum purulentum, blandum, vehiculum contagii, effundunt. Neque effuso semel pure pustula illico vacuatur, superstitibus semper duritie, rubore et tumore. Tumor ille erysipelatodes, in facie manibusque praeprimis manifestus, gradatim hactenus minuitur, ut oculi, palpebris ante tumidis clausi, iterum aperiantur; manus pedesque vero paullo diutius ob tumorem flecti nequeunt. Febris suppurationem comitans ex toto desinit: fusca superficies pustularum in crustas aut escharas abit, sub quibus pus stillare pergit. Tandem escharae solutae siccescunt, superstite colliculo ruberrimo ardente seu pruriente per aliquot dies, qui post hebdomadam unam aut alteram in cicatrices seu vestigia variolarum praegressarum abit: sudoribus postremo calidis, nubecula urinae fundum petente atque pustulae cujusdam majoris effluxu purulento continuato morbum totum judicantibus.

§. 330. *Continuatio.*

Paullo graviora urgent symptomata, dum variolae confluunt, ut singulae haud discerni possint, sed tumorem sistant aequabilem planum, monetae majoris ambitu. Solent autem nunciari anxietate majori, nervorum distensionibus, doloribus febreque gravioribus. Serius nonnunquam efflorescunt variolae, neque eo ordine, quo discretae; erysipe-

late interdum totam faciem obducente. Nec febris statim post eruptionem cessat, nec suppuratio ordinem suetum servat: pallida saltem aquosaque variolarum facie paullo diutius morante, salivae etiam cursu et alvo cita accedentibus. Febris suppurationem comitans vires magis prosternit, effluvio puris serosi nimis copioso, accedentibus etiam ulceribus late serpentibus, et novis pustulis surgentibus, cum priores jam subsiderunt. Exsiccantur magnis crustis et squamis: hinc cutis gravius adfecta morbis posthumis pluribus occasionem praebet.

B. Epidemicae varietates.

§. 331.

Anomala et variolarum facies, quam popularis constitutio inflammatoria producit, dignoscenda tum ex hac cognita, tum e symptomatibus gravioribus ex orgasmo ortis, tum inflammationibus accedentibus. Primum jam stadium febre ardentissima, continua, ingenti aestu intestino, rubore saturiori cutis ac oculorum, pulsibus validioribus, siti immani, lingua aridissima, ruberrima, urina flammea, delirio feroci et crusta phlogistica firma sanguinis e vena missi notatur. Interdum sanguinis fluxus accedunt, maxime e naribus, qui levare symptomata consuescunt. Magnum utique casum habent inflammationes pectoris aut fistulae spiritalis, vel cum ipsa febre variolosa ingruentes vel per metastasin accedentes. Impediunt enim ordinem, quo stadia sibi succedunt, eruptionem, maximeque suppurationem,

aucta gravitate symptomatum, accedentibus pectoris oppressione, doloribus pungentibus, tussi violenta clangosa, qua nonnisi albuminis aliquid ejicitur, voce stridula, strangulatione imminente et tumore utrinque ad laryngem elato, quo tandem suffocatio perficitur. Cadavera secta exhibent inflammationem gangraenosam fistulae spiritalis, pulmonum aliorumque viscerum.

§. 332. *Continuatio.*

Verno tempore vel autumnali grassantes variolae catarrhalem anomaliam patiuntur, fortuito interdum natam, dum perfrigescit aeger, decubitu ad parietes humidos. Nunciatur haec varietas tussi et gravedine, lippitudine et raucitate, sternutatione frequenti et inflatione aquosa palpebrarum, febre etiam remittente. Retardatur tamen eruptio et suppuratio, si valida fuerit haec compositio: pus fere semper aquosum est: accedunt etiam varia symptomata casum habentia, ut pectoris oppressiones, virium jactura, oedemata interdum post morbum remanentia, quae, Hufelandio et Lentinio testibus, plura diuturna mala moliuntur.

Sordes biliosae adjunguntur variolis, vel per popularem constitutionem, vel per febrem ipsam, vel etiam, quia catarrhalis morbi indoles eas attrahit. His quoque suetum ordinem stadiorum turbari, suppurationem inprimis benignam impediri compertum habemus.

§. 333. *Continuatio.*

Nervosae fiunt variolae, putridae aut malignae, si viget popularis constitutio, ubi virium jactura, perturbatio stadiorum et symptomata anomala, sibi non respondentia, accedunt.

Febris eruptionem antecedens plerumque mitis est, benignitatis colorem induens, aestu modico, pulsibus haud adeo crebris comitata. Sed aeger continuo algere, rigescere, horrere, obstupescere, sui non conscius esse, soporari solet, sensus hebescere: aut miro modo angi et partes internas omnes ardore continuo consumi. Perpetui tremores, crocidismi, labiorum motitationes, venarum jugularium palpitationes terrent pariter ac vox debilis, stridula loquelaque impedita et blaesa. Saepe cum pallore totius corporis et vultus distorsione deliria adsunt ferocia, lingua arida, gulae constrictio et sphincterum, oppressio pectoris summa. Nec idoneo tempore nec ordine sueto efflorescit exanthema: facies minus quam pectus aut membra etiam maculis obsidentur lividis, confluentibus, petechias aemulantibus; vel si pustulae surgunt, haud satis tolluntur, pure minus quam sanie, aut limpido latice, cruento etiam, implentur.

Gravissimi est momenti, symptomata praegressa post eruptionem nunquam silere, sed majore etiam atrocia ingravescere; deliria, nervorum distensiones, dolores, stuporem aestumque intestinum jungi: cutim etiam postea siccam esse, pulsum deprimi, duriorem fieri et magis irregularem, vo-

cem debiliorem, spirationes difficiliores. Odor halitus ex ore teter, halecum lixivium emulans: vomitus crebri, irriti et alvus cita exercent aegrum.

Variolae nunquam regularem formam apiscuntur. Vel enim morbillis aut ipsi erysipelati similes sunt, vel vesicas referunt oris neutiquam rubris cinctas, sed latice aquoso farctas, pallente interea cute et frigente: gula tandem aut labris constrictis aeger subito exstinguitur. Nonnunquam vibicum more, sine ulla elevatione, latescunt, mox livescunt, accedentibus sanguinis fluxibus: his vires penitus prosternuntur et sphacelo mors acceleratur. Interdum pustulae, miliarium forma, adsunt, paullulum elevatae, mox subsidentes, iterumque surgentes, foveola in apice livida aut lurida, oris pallidis aut liventibus. Nullum omnino pus concipiunt, sed virium jactura repente nec opinato aegrum interimit.

§. 334. *Continuatio.*

Tandem ad complicationes veniendum est. Quarum prima et satis memorabilis est cum morbillis: hi ita sociantur, ut suum quilibet morbus decursum celebret, haudquaquam turbato altero (*Tarcy: in Kühns phys. med. journ.* 1801. p. 714. *Russel: in Samml. für prakt. aerzte*, 21. 11). Nec desunt exempla retardatae suppurationis per hanc complicationem, cum catarrhalia symptomata, morbillis familiaria, per se hoc efficiant. Multo pejus est connubium cum petechiis aut scarlatina, quibus non stadia solum retardantur ac perturbantur, sed

variolae etiam confluentes ichorem obtinent acerrimum, alvo cita et magnopere debilitante. Scabies, herpetes et ipsa syphilis simili ratione turbant regularem variolarum decursum.

C. Prognosis.

§. 335.

In praesagiis formandis ratio primum habenda est constitutionis, qua aegri gaudent. Etenim quo juniores infantes, quo integrius corpus, eo benignior est facies morbi, licet soli adspectui haud fidendum, siquidem roboris species saepius fallit (1). Sanissimi etiam infantes inflammationibus maxime obnoxii sunt. Quodsi vero viget popularis constitutio catarrhalis aut nervosa, debiles infantes, et qui scrofulis aut rachitide laborarunt, gravius adfliguntur: quanquam et scrofulae et tinea capitis variolis benignis solvi et tolli consuescant. Quando dentiunt infantes, tuti non sunt a gravioribus variolarum adfectibus, cum evolutio corporis nimis cita perturbationem virium producat. Alioquin sana dentitio nunquam variolarum regularem decursum impedit (*Vogler: in Hufeland's journal*, 10. St. S. 27). Qui aetate processerunt, aut pubescunt, gravidae etiam et senes multo vehementius adfliguntur, quam infantes teneri.

---

(1) *Αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν.* Aph. 1. 3.

§. 336. *Continuatio.*

Denique consilium ad symptomata cujusvis stadii transferendum est. Dum primum adest stadium, eventus haud praenosci potest, cum e facie potius exanthematis et aegri valetudine post eruptionem judicium aequum formetur. Circumspectissime tamen cavendum, benignitatis larva ne nos decipiat, siquidem gravissimus esse potest morbus periculique plenus, etiamsi febris satis blanda fuerit, nervorumque distensiones fere nullae. Satius est, uberrimam variolarum copiam enunciari vehementibus nervorum distensionibus et epilepsia, dummodo haec protinus silent ut eruptio contingit. Inquietudo summa et anxietas, sopores etiam et stupor, cum pulsibus semper magis depressis, horroribus continuis, vomitibus crebris, doloribus pectoris pungentibus, vocis debilitate, cum pallore cutis et frigore, pessimae sunt notae.

Eruptio quo precocior est, eo minus coctionem praegressam signat. Solet enim exanthema, si secundo jam die apparuerit, vel miliarium mox iterum subsidentium, vel petechiarum formam induere. Neque sine periculo est tardior justo eruptio, impedita nimirum compositione cum aliis adfectibus aut virium jactura. Maximi autem momenti instar habet valetudinis post eruptionem ratio: optimum praesagium formandum est, si silent symptomata; periculum extimescendum, si augentur aut eodem vigore morantur.

Summa rei complectitur suppurationis indo-

lem. Quae dum rite procedit, utique dum inflatio cutis inter pustulas persistit, optimae est notae: anceps est quaevis retardatio ejus processus, praeprimis cum tumores inter pustulas subsidunt, orae pallescunt et ambitus corporis perfrigescit. Repente tunc solet exitium sequi, dum aliquid in viscera nobilia abscessit.

Nec negligendum est ultimum stadium, quod quamvis mortem adferre non soleat, rite peractis prioribus stadiis, praesagit tamen posthumos morbos, si sine ordine exsiccantur variolae, nonnullis denuo surgentibus, cum aliae jam crustis obtegantur; si alvus continuo dura est, cutis arida et urina intercipitur; utique si ulcera remanent copiosam saniem effundentia.

§. 337. *Continuatio.*

Morbi variolarum posthumi gravissimi sunt, maxime quod singulare illud virus, quod in variolis generatur, et eos morbos sustinet. Nascuntur enim ex impedita perfecta morbi solutione: timendi igitur, dum in ultimo stadio per cutem et alia organa copiosae excretiones reprimuntur (§. 336). Cutanei morbi sunt vulgatissimi; ulcera diuturna, ipsa caries: blennorrhoea lacrimalis et fistulae: oculorum inflammationes pervicaces, quas maculae corneae excipiunt (§. 206), aut hypopyon, suffusio etiam lentis: dein rheumatismi et oedemata membrorum, nervorum resolutiones: maxime vero pulmonum inflammationes diuturnae cum ulceribus ejus visceris et tussi violentissima.

D. De indole morbi probabilia.

§. 338.

Tropicis adnumerandum esse hunc morbum, patet tum e primis ejus vestigiis, quae saeculo sexto aerae nostrae in Abyssinia et Arabia inveniuntur; tum e Lichtensteinii nuperrimo testimonio, qui ad fluvium Arausiae (*Oranje-Rivier*) in interiore Africa variolas invenit, ex aequatoriali regione illuc delatas (*Reise ins südl. Afr.* 2. 405); tum denique e connubio cum peste, quod saeculo jam sexto, dein vero etiam decimoseptimo observatum fuit (*Gregor. Turon.* lib. 5. c. 31. 35. *Martini: ep.* p. 343). Habet etiam id commune cum aliis morbis tropicis, quod, dum populariter grassatur, viam suam pertinaciter legat, neque contagio propagetur. Olim enim in magnis urbibus semper adfuerunt sporadice variolae, populariter vero grassabantur quovis duntaxat quinquennio aut per longiores circuitus. In America meridionali 17 aut 18, in Islandia viginti annorum circuitus celebrant. Quodsi vero epidemicae sunt variolae, morbis intercurrentibus suum ingenium largiuntur, ut, Sydenhamo teste, febres quoque continuae inchoaverint doloribus similibus ceterisque variolarum symptomatibus, quibus cum et ii obnoxii essent, qui jam variolas habuerant, febris variolosa sine variolis nentiquam appellari poterat ejusmodi febris. Sic Huxhamius observavit (*Opp.* 2, 122), dum variolae grassarentur, febrem putridam, levatam

vesiculis ichore repletis, quae speciem quamdam variolarum confluentium prae se ferebant. Alioquin vero et id vulgare est, variolas participes fieri ingenii popularis aliarum febrium regnantium, ut inflammatoriae, biliosae, catarrhales et nervosae fiant, pro varia popularis morbi indole.

§. 339. *Continuatio.*

Virus contagiosum ipsum aliis humoribus, praeter pus pustularum, haud utitur: namque C. L. Hofmanni et Haygarthi testimoniis compertum habemus, nec perspirabili cutaneo, nec sanguine aut aliis humoribus secretis contagium propagari. Quomodo vero possit simul alius morbus propagari per hoc virus, exponi nequit, licet exploratum sit, herpetes, scrofulas ipsasque dysenterias per insitionem transire ex altero in alterum corpus.

Cum pustulae formentur in corpore mucoso, glandulis abundante, haud adeo absona est C. L. Hofmanni sententia, variolas sedem figere in his glandulis, cum exigua tubercula corona radiata cincta inter duas corporis mucosi laminas in hominibus hoc morbo exstinctis reperiamus (*Autenrieth.* Physiol. 3, 330.) Et in ipsis variolis suppurantibus, dum foveolam exiguam in apice gerunt, filamentum deprehendimus e cuticula recta fundum petens, quod ductulum excretorium esse (*Phys.* §. 261) persuasum habeo.

Neque tamen e destructis per suppurationem hisce glandulis singulare id phaenomenon explicandum esse duco, quod variolae rarissime bis in eo-

dem homine recurrant. Etenim, dum paucae efflorescunt variolae, praecavent tamen a secunda infectione, etiam si plurimae intactae supersint: dum vero plurimae per totam cutim diffunduntur, e destructis iis glandularum acinis sequeretur, functionem cutis omnem perverti ac turbari. Ejus vero rei indicia in hominibus, qui variolas perpessi sunt, haudquaquam animadvertimus.

§. 340. *Continuatio.*

Nolo hisce commentis diutius immorari, cum jam supra (*Path. gen.* §. 159) haec tetigerim: sed paullo uberius ipsum variolarum recursum ventilare placet. Et primum quidem dubia sunt varia de ea re testimonia, maxime Arabum, qui vulgarem eum recursum habuerunt et osorum insitionis: alia testimonia de irregulari et anomalo valent variolarum decursu, ubi vix siccescentibus pustulis prioribus aliae succederent, certe iidem infectioni tribuendae: postremo adsunt testimonia plurima de recursu, ubi variolae spuriae aut non perfectae praecesserant vel sequebantur. Conferantur prae aliis Mumssenii (*Act. soc. Havn.* 3. 33), Mülleri (*Baldingers. Magaz.* 5, 107.) et Tronchini) *Neue samml. auserles. Wahrnehm.* 1, 154) exempla.

Vera tamen praesto sunt neque neganda exempla variolarum verarum bis in eodem homine recurrentium, quorum viginti fere ex omni hominum memoria collegi. Citare loca hic placet, ubi a bonis observatoribus confirmatur is recursus: *Raim. Vieussens in hist. des malad. intern.* tom 1. p. 64 *Fried. Gul. Klärich im Hannöv. magaz.* 1766. N. 93;

J. F. Bolten im neuen Hamb. mag. 5, 296. *Servas. de Copello in Harlem. Verhandel.* tom. VIII. P. II. p. 209. 211; *Gualth. van Doeveren ib.* tom. XII. p. 192. 201. *Petr. Imman. Hartmann in Haenii rat. med.* P. IX. p. 266 et *Car. Krapf ib.* 269; *Jo. Pet. Büchner in halleri diss. pract.* vol. VI. p. 280; *G. H. Kannegiesser in act. nat. cur.* vol. VII obs. 7; *Caes. Marescotti de variol.* p. 128; *Theoph. Meza in compend. med. pract.* fasc. 1 c. 21; *Gaulard in Samml. medic. Wahrn.* 1, 160; *Aasheim in act. soc. Havn.* 3, 333; *Wittchovius in Junckers archiv wider die Pockennoth,* 5, 80; *Anonymus Petropolitanus in Hufelands journ.* 13, 3. p. 166; postremo *Harkenkeilius in Salzb. medic. zeit.* 1800. IV. 218. Reliqua omnia dubia sunt aut alio modo exponenda.

§. 341. *Continuatio.*

Pus in variolarum pustulis generatum, a Jacobo Van Geuns examinatum, blandus est latex, albido-flavescens, sapore atque odore seri: coagulum format, aqua bulliente, alcohole et acidis mineralibus mixtum, ab alcalinis minus mutatur, succos plantarum coeruleos nullo modo mutat. Hinc sero adfinis is latex, neque acidus est, neque manifesto alcalinus; venenum autem, cujus vehiculum est, nequaquam reagentibus rebus cognoscitur. Globulis iisdem abundat, qui puri alii insunt (1).

(1) Vermiculos in pure veteri a Wallio (*Samml. für*

Etiamsi proximo contactu plerumque contagium propagetur, singulares tamen observationes docent, posse etiam in remota loca agere. Etenim neganda haudquaquam est infectio embryonum, cum vel cicatricibus nasci vel paullo post obsideri eos meminerimus (*Rosenstein: om barn-sjukdomar*, 150. *Jermyn: diss. de variolis a graviditate foetui traditis*. Leid. 1792). Cum vero nusquam vasa placentae uterinae proxime cum foetu cohaereant (*Phys.* §. 531) nec humores protinus e matre in foetum abire possint, nil superest, nisi actionem veneni in distans statuere.

Loca, quae virus accipiunt, plerumque cutim complectuntur: non desunt tamen, licet paucissima exempla deglutitae escharae, quae morbo producendo par esset (*Thuessink: im mus. d. Heilk.* 3, 383). Internas etiam partes obsidere interdum variolas, extra omnis dubitationis aleam positum; explicatur e membranae mucosae progressum ad intestinorum faciem internam. Ni febris nascatur peculiaris, infectio vera haud contingit. Oritur autem id dierum 12 vel 14 post infectionem fortuitam, post artificialem die septima aut octava.

§. 342. *Continuatio.*

Pustularum latex, verum vehiculum veneni, mutationes quasdam subire potest, quibus impeditur, quominus idem plane morbus sequatur. Dum

---

prakt. aerzte, 12, 70. repertos huc pertinere non credo: depravatum enim jam erat.

dispositio jam sublata est febris nulla per infectionem oritur, sed haec mere localis est, ut locales pustulae nascantur, quae, etiamsi veras variolas iterum producere possint, haud tamen febre illa peculiari junctae sunt, neque cavent ab infectione (*Cooey: in samml. für prakt. aerzte*, 12, 64. 77. *Dawson: in arzneyk. abhandl.* 3, 285). Neque prohibet localem statuere infectionem universalis per cutem omnem eruptio, quae forte linteis et stragulis veneno contaminatis tribuenda erat (*Olivier: in neuer samml. med. Wahrn.* I. 176).

Exoletum vetustate pus producatne variolas spurias, sive nullo modo inficiat, ambigendum est. Id enim exploratum habemus, ultra sex hebdomadas virus contagiosum vim haudquaquam servare.

In bruta transire infectionem, Viborgii praeprimis experimentis nititur (*Hufelands. Journ.* 12, 1. 184), quamlibet vaccinam variolam e variolis humanis in ubera insitis oriri Woodvillius neget.

CAP. III.

DE VARIOLIS SPURIIS.

§. 343.

Variolae spuriae dicuntur exanthemata veris variolis similia, atque simul cum his, eadem regnante epidemia, grassantia, quae vero decursu ce-

leriori, recursu, benignitate majore et defectu potestatis cavendi a veris distinguuntur. Difficillimum hoc est discrimen, si solius externae similitudinis rationem habueris: namque et summus Dimsdalius (*Tracts on inoculation*, 161) et ordo medicorum philadelphicus (*Bonds. Vertheid. der Einpfropf. der blattern*, 71. 72) commutari facillime utriusque morbi faciem largiuntur.

Itaque ad stadiorum moram et rationem, ad indolem etiam pustularum consilium transferatur. Ante eruptionem vel nulla observantur symptomata, ut bene se valere homines perhibeant, vel febri laborant multo mitiore, catarrhali, ad quam accedunt somnolentia, dolores artuum, inquietudo, tussis, vomitus et animi quaedam morositas. Rariora sunt exempla (*Mumssen*, *Fritze*, *Hufeland*), quae referuntur de febre per triduum aegros occupante. Maxime vero incertum fit judicium, cum verae variolae, odorem initio specificum et alia graviora symptomata prodentes, dein in spurias mutantur (*Hufelands. Bemerk. über die nat. u. künstl. blattern*, 54). Odor autem singularis omnino deficit in variolis spuriis; axillarum quoque doloribus carent, qui adeo graves sunt in veris.

§. 344 *Continuatio.*

Ordo eruptionis alius est in veris, in spuriis variolis alius. Illae enim primitus in facie et pectore, hae vero in dorso fere et membris nascuntur: illis, quae primum et perfecte eruperunt, aliae non succedunt, ni malignae fuerint, has autem so-

lent, dum jam exsiccantur, aliae sequi. Variolae spuriae discretae aut singulae sunt: nunquam confluere, nunquam numero satis frequentes esse consuescunt. Namque Heberdenius (*Arzneyk. Abhandl.* 1. 338) ducentas numero excedere negat, nec plures quam duodecim in facie semet conspexisse memorat. Plerumque paucis horis, uno saltem die, omnis omnino eruptio absolvitur, cum verae variolae duos aut tres dies ad id negotium poscant. Quae ut brevitatem morbi jam indicant, ita orta subito saepe et paucis plerumque diebus exsiccatione totus morbus vel quinque vel octo diebus absolvitur.

Utplurimum pustulae surgentes pure expertes sunt; atque, vel nullo collecto humore, cito, primis fere diebus, cuticula rupta collabuntur (Varicellae flatuosae: *Windpocken* Germanorum): vel lymphatici humores congeruntur aut serosi, qui exhalati aut absorbti pustulae collapsum efficiunt (Varicellae aquosae: *Wasserpocken*): vel denique spissi humores et tenaces cumulantur, qui diutius persistentes nullam fere mutationem subeunt, donec lente absorbeantur (Varicellae durae: *Steinpocken*, *Chicken-pox*). Itaque verum pus variolis spuriis inesse plerique boni observatores negant, exceptis fere Elsnero et Mumssenio, qui medium quoddam genus purulentarum, inter varicellas aquosas et variolas veras, constituunt. Neque tamen possum quin cum Heberdenio et Fritzio sentiam, lympham ejusmodi in pustulis collectam, licet flavicundo colore et tenaciore compage pus

aemuletur, minime tamen cum vero pure esse commutandam, siquidem in aliis morbis lympha paratur, puri simillima, sed tum reagentibus rebus aliter mutata, tum globulis illis carnes, quos puri proprios docuimus (§. 162).

Pustulae purulento humore repletae tandem, sed multo praecocius quam in veris variolis crusta obducuntur qua delapsa macula rubra, citra ullam plerumque cicatricem, remanet.

§. 345. *Continuatio.*

Origo variolarum spuriarum e veris quidem repetenda est, sed qui fiat, ut pus vere contagiosum ita mutetur, ut in pus variolarum spuriarum transeat, haud satis patefactum est. Id saltem compertum habemus, in initio epidemiae variolas fere spurias esse, atque eumdem characterem servare. Pus etiam corruptum aut vetustate exoletum spurias potius quam veras gignere variolas, e Razonsii (*Tables nosologiques, dressées à l'hôtel de Nismes. Bâle* 1764 4), Jacobi d'Apples (*Act. helvet.* 7. 9) et Elsneri (*Ein paar worte über die inoculation*, 50) observationibus patet. A veritate denique haud alienum videtur, variolas veras posse in decursu, per frigidum regimen et excretiones virus continentes, ita mutari, ut spuriae evadant. Cum Müllerus enim puero pus inseruisset per sex menses servatum, septimo die febris accessit, decimo duae pustulae in collo, unica vero in manu dextra apparuit: illae sine suppuratione evanuerunt, haec vero decimotertio die exaruit: ipso die, quo vario-

lae eruperunt, lotii crassi et odore varioloso conspicui copia ingens profluxit. Hoc quidem lotii fluxu interruptas et mutatas fuisse variolas veras probabile est, cum plures post annos idem puer veras iterum fortuito obtineret (*Baldingers: neues mag.* 5, 107. *Hufelands. Bemerk.* 54). Hinc quoque non deroganda est Muhrbekio fides, si in aëre aut ingenio popularis constitutionis rationem quaerit, cur virus, iners ad veras gignendas, sufficiens reddatur ad spurias variolas producendas.

CAP. IV.

DE MORBILLIS.

§. 346.

Exanthema hoc, sui generis, pariter contagiosum, ac puerili aetati infestum, variolis hactenus adfine est, ut populariter cum iis grassetur, atque praecedat fere, tussi convulsiva stipatum. Interest vero inter utrumque, quod hoc neutiquam pustulas ad suppurationem spectantes, sed maculas exhibeat lenticulares, vix ac ne vix quidem super cutim elatas et secessu cuticulae per furfures et squamulas solutas. Hinc virus contagiosum volatilem magis indolem habere atque serosos fere cutis humores inficere solet; vias etiam aëriferas invadere tussimque et alia catarrhalia symptomata producere. Inseri posse hoc exanthema ope eorumdem serosorum humorum, etiamsi cruore mixtorum et fur-

furum, quae maculas obsidere solent, ex Homii aliorumque observationibus patet.

§. 347. *Continuatio.*

Ubi benignus est morbus et regularis, tria format stadia, ternis singula diebus constituta: frequenter tamen haec in progressu epidemiae ita mutantur, ut vel praecocius vel tardius decurrant.

Primum stadium, ternis diebus comprehensum, eruptionem praecedit, catarrhalibus symptomatibus stipatum. Tussi incipit magis minusque violenta, quae singulari stridore conspicua est, raucitate vocis, doloribus et oppressione pectoris, interdum vera convulsiva tussis adest: plerumque gravedo cum lippitudine, oculorum inflammatione, capitis doloribus, palpebrarum tumore, sternutatione et fluxu acris laticis e naribus. Febris accedit, his adfectibus respondens, plus minusve continua, horroribus inchoans, in aestum abiens aridum, mox humectum, cum odore perspirationis cutaneae singulari subdulci, siti valida, inquietudine, pulsibus creberrimis, depressis et irregularibus, somnolentia, morositate, praecordiorum oppletione, interdum cita alvo, quae vero nil juvare solet.

Secundum stadium tertio die inchoat. Versus id tempus ingravescere symptomata solent, jactatio, aestus, nonnunquam desipientia, temulentia saltem et leves nervorum distensiones. Interdum et sanguinis fluxus e naribus praegredi solet eruptio-

nem et levare eam, maxime in hominibus sanguine abundantibus. Tum nascuntur maculae rubicundo-lividae, lenticulares, primum in facie, ibique discretae, dein in pectore aliisque partibus, ubi magis confluunt, ac tumorem interdum erysipelatosum exhibent. Perfecta eruptione, quod nychthemero peracto contingit, symptomata silent praegressa, citra catarrhalia. Lippiunt enim continuo oculi, lucem aversantur, palpebrae tumidae sunt; tussiunt infantes et gravedine ac sternutatione conflictantur.

Tertium denique *stadium* sexto die incipiens cognoscitur maculis pallescentibus et aquosum aliquid referentibus. Etsi vesicam proprie non sistant, nodulus tamen adest sub cuticula, ichore perlucido flavescente plenus, e quo pili prodeunt. Itaque videntur bulbilli pilorum sedem morbi constituere (*Phys.* §. 268). Pallidus interea color macularum perspiratione aucta et sudoribus calidis copiosis stipatus, pulsibus molliusculis febreque decrescente, crisin praenunciat. Tumores palpebrarum subsidunt, sputa magis cocta exscreantur, pectus oppressione liberatur: cuticula denique secedit furfuribus aut farinaceo pulvere, superstite saturrimo rubore, qui cum sensu cutis acutiori junctus, post aliquot dierum spatium tandem evanescit.

§. 348. *Continuatio.*

Quodsi morbilli haut rite solvuntur, aut dum convalescentes vitia victus admittunt, posthumi

morbi extimescendi sunt, praecipue catarrhus diuturnus et pectorum morbi; nonnunquam quoque cutanei morbi, oedemata, leucophlegmatia et ulcera diuturna. Vidimus non raro infantes convalescentes, ubi perfrixit cutis, repente dolore laryngis atroci, tussi stridula et suffocatione corripi, laryngis igitur et fistulae spiritalis inflammatione exstingui. Tussis ipsa pertinax haemoptysin adferre aut sputa albuminosa consuescit.

§. 349. *Continuatio.*

Quodsi popularis constitutio nervosa est vel putrida, respondere solent symptomata; nervorum distensiones, sopores, virium jactura, quibus eruptio retardatur. Cum ipsa eruptione angores perpetui, deliria, convulsiones, animi deliquia junguntur, quo perfectam solutionem impediunt et subitaneo exanthematis regressui ansam praebent. Maculae livescunt aut evanescunt, succedentibus viscerum nobiliorum spasmis et inflammationibus. Periculum etiam instat, dum ad morbillos scarlatina accedit aut miliare exanthema aut erysipelas.

Morbillorum, quos varii dicunt *spurios*, brevior est et levior decursus: secundo jam febris die exanthemata prodeunt; post vigintiquatuor horas pallescunt: die tertio aut quarto febris abit: desquamatio tandem latis cuticulae frustulis peragitur.

CAP. V.

DE RUBEOLIS.

§. 350.

Medium quoddam inter morbillos et scarlatinam exanthema, pariter infantibus infestum ejusdemque antiquitatis ac variolae et morbilli, quod interdum pus continere videtur, *rubeolam* nominamus, *rubeolam varioloden* id Swediauerus vocat, Scotisque *Nirles* nomine venire adserit. Exploratum habemus, varietatem potius esse vel morbillorum, vel, ut Heimius, expertissimus vir, perhibet, *scarlatinae*.

Cum morbillis una populariter grassari solet hoc exanthema, interdum iidem infantes utroque exanthemate occupantur. Quodsi vero seorsim apparet, praecedunt dolores rheumatici, cum colli, gulae, uvulae et tonsillarum ardore, tumore et deglutitione difficili: odor etiam peculiaris, qualis e pergulis macellariorum spirat, ex ore sentitur. Febris adest magis minusve continua, haud magnopere valida.

Quae dum per unum aut duos dies viguit, maculae nascuntur, rarius in facie, quam in pectore aliisve membris, rubore saturrimo, monetae minoris ambitu, supra cutim haud elatae, nisi nimis aestuante forte corpore impetus humorum versus cutim augeatur. In ipsis maculis aspritudines tactu magis quam visu semet exhibent, quae granulis

similes, mox vesiculas minimas repraesentant, liquore albido farctas. Hae vero haud adsiduae sunt. Simulac macularum eruptio peracta est, desinunt symptomata graviora, dysphagia praesertim et dolores colli ac tonsillarum. Cuticula post aliquot dies secedit furfuribus et farinaceo pulvere: superstitibus, si solutio haud idonea est, oedematibus et tumoribus tonsillarum.

Quanquam haec forma vulgaris satis benigna est, non desunt tamen exempla perniciei, tum e regresso repente exanthemate, tum e maligna adjuncta constitutione epidemica.

CAP. VI.

DE SCARLATINA.

§. 351.

Scarlatina dicitur exanthema contagiosum, cum febre ipsa, primo aut altero saltem nychthemero erumpens; maculis amplis, floridis per universam cutim efflorescentibus, quae dein solvuntur, cum cuticula in furfures aut farinaceum pulverem fatiscit. Junior est scarlatina ceteris exanthematibus, cum Sennertus primus tanquam morbillorum varietatem descripserit (*Medic. pract. lib.* 4. c. 12.). Sydenhamio, Mortonio et Storchio sequentibus. E tribus autem fere lustris per Germaniam grassata est scarlatinae varietas, maioribus nostris fere ignota, iis saltem symptomatibus stipata, quae olim rarius observabantur.

Absonam cetero habeo explicationem, frequentiae et nuperioris formarum alienationis e vaccinarum introductione, quae, dum variolae exterminantur, nentiquam relinquere aliquid in corpore possunt, unde morborum novorum ortus repetendus sit.

Aeque ineptum aestimo ratiocinium Reichii qui contagii expertem morbum atque impedita cutis per calorem nimium functione ortum habet, frigore igitur curandum, cum contagiosa indoles satis manifesta copiosisque testimoniis firmata sit.

§. 352. *Continuatio.*

Complectitur morbus, ubi populariter grassatur, tria potissimum stadia, quorum primum brevissimum, bina sequentibus pluribus diebus comprehensa morbi moram ad duas fere hebdomadas extendunt.

Primum stadium horroribus incboat, cum temulentia, stupore, capitis gravitate et sensuum hebetudine junctis, sequentibus aestu utplurimum flagrantissimo, aridissimo, siti ingenti, virium jactura, maxime vero odore tum oris tum perspirabilis cutanei peculiari, qualem pergulae macellariorum, qui haleces et caseum vendunt, edunt. Insigniter angitur aeger, pectoris oppressione torquetur, nervorum interdum distensionibus, vomitu irrito, ciborum fastidio, tendinum subsultu et floccorum lectione: aut soporibus sepultus, mussitat, creberrime et vehementer spirat, capite ma-

gnopere ardente, pulsibus spasticis, creberrimis, duris. Plerumque collum dolet, gula constringitur, vox tremula fit, extrinsecus ad collum tumores surgunt; oris ambitus, lingua et tonsillae maculis albidis, mucosis velantur. Nonnunquam loquela adeo impedita est, ut per nasum loqui videatur. Interdum sanguis e naribus stillat, quod levaminis aliquid adferre solet. Quibus symptomatibus rite perpensis, non possumus non vasorum ingentem statuere irritationem, frigore externo, iisque praesidiis, quae contra orgasmum militant, debellandam.

§. 353. *Continuatio.*

Elapsis vigintiquatuor horis facies etiam magis inflari, gula magis constringi, nervorum distensiones ingravescere, nonnunquam trismus accedere aut tussis convulsiva. Tum maculae per faciem, jugulum, pectus ac per omne fere simul corpus ruberrimae, confluentes, nec tamen super cutim elatae, cum ardore pruriente erumpunt. Deglutitio interea difficilis, gulae constrictio et anginosi adfectus vel minuuntur peracta eruptione vel eodem vigore pergunt. Si pergunt aut augentur, exitium inde praecipue metuendum est. Halitus ex ore teter cum dysphagia continuo aucta, tonsillarum escharae saniem profundentes, vox rauca et debilis, loquela impedita ac balbutiens, sudores in capite, collo et membris mortem annunciant, quae cum nervorum distensionibus et animi deliquiis consequitur. Neque exanthematis indoles ef-

ficaciam aliquam habere videtur ad mortem salutemve praenunciandam. Vidimus enim aegros subito extingui, dum scarlatina optime effloruerat: perniciem nonnullis vel sphacelus tonsillarum vel sanguinis cursus ominabatur, dum maculae jam in furfures fatiscere coeperant. Itaque prognosis in hoc insidiosissimo morbo maxime fallax, praecipue truculentae encephalitis, laryngitis, enteritis, quae subito enecant infantes. Auget denique periculum morbi, quod citra ullam exanthematis eruptionem interdum primo aut altero nychthemero aegri nervorum distensionibus extinguantur; cadaveribus demum vibices aut maculas monstrantibus scarlatinae aemulas.

§. 354. *Continuatio.*

Melius cessurus est morbus, si febris decrescit postquam exanthema erupit, si sanguis e naribus stillat aut saliva fluit, caput temulentia liberatur et hebetudine, si apthae oris rubris et inflammatis cinctae surgunt, quo facto tonsillae purgantur. Tum solet etiam per tussim exscreari coctum aliquid, cutis vaporibus calidis humectari, ex urina desidere nubecula levis et albida; ex ore fluit latex spissescens blandusque. Exanthema desquamatur, pruriente cute, desidente tumore, cuticula fatiscente in pulverem farinaceum. Subinde et parotidum tumores, abscessus in extremis partibus nascuntur, quibus vel levamen adfertur, vel quibus trahitur morbus, ut tabescere ac emaciari aeger consuescat.

§. 355. *Continuatio.*

Sicut morbus initio manifesto inflammatorius est, mox ingravescens nervosus fit, ita morbi scarlatinae posthumi nonnunquam eumdem characterem inflammatorium servant. Victus quidem vitia arguenda interdum sunt, frigus maxime corpore exceptum, aut impedita exanthematis solutio. Sed etiam, citra haec vitia, regerenda interdum est culpa in ipsam popularem morbi indolem, quae adeo favet his successionibus, ut, etiamsi optima victus ratio servetur, tamen sequantur. Metuendae sunt, si convalescentes aridam habent cutem, urinam crudam et turbidam, si carnium lotarum aquae simile est lotium, si praesertim convalescens dolores artuum rheumaticos, noctes inquietas, horrores crebros ac fastidium perpetuum queritur. Tum solet duplex potissimum genus tumorum oriri.

Etenim vel acuta ac febrilis, rubicunda et ardens oritur inflatio cutis, cum pulsibus concitatis, duris; siti gravissima; doloribus membrorum lancinantibus; urina rubra et arida; angoribus et oppressionibus pectoris; spirationibus crebris; palpitationibus cordis; urina parca et satura. Erysipelatis universalis speciem prae se fert nonnunquam haec inflatio: cui accedit febris valida cum pungentibus pectoris doloribus, delirio, nervorum distensionibus: cito interdum in gangrenam abit id erysipelas, visceribus inflammatione gangraenosa destructis.

Vel diuturna consequitur labes, habitu corporis laxo, pallido et frigido; pulsibus infirmis, tardis et vacuis: cupiditate ciborum prostrata, tumore corporis et artuum adeo flaccido, ut foveam digito impressam servet. Lente progreditur haec labes, donec tandem, nutritione penitus perdita, totum corpus extenuetur.

CAP. VII.

DE PEMPHIGO.

§. 356.

Pemphigus dicitur exanthema vel febrile vel diutinum, vesicis aqua aut ichore aquoso repletis formatum, quod cuticulam relinquit plicatam et in crustas fatiscentem: diversum igitur ab urticaria seu essera (*Path. gen.* §. 267 n. 1), quacum Swediauerus conjungit.

Dum acutum est exanthema, variolis crystallinis simile est; sed differt contagii defectu et recursu frequentiori in eodem homine. Praecedit plerumque febris vel rheumatica vel biliosa, satis valida, cum colli doloribus et spasmis juncta; quae dum per biduum morata fuerit, maculae proveniunt protinus in collo, dein et in aliis corporis locis, ruberrimae, latescentes, mox abiturae in vesicas, nucum avellanarum mole, oris tensis et rubris cinctae, quae tensiones et dolores adferunt; mox latice aquoso, parum flavicundo implentur, qui vel subito iterum sorbetur, vel ad octavum

usque diem haud mutatus persistit, vel denique sanguinolentus fit. Varia corporis loca percurrunt, ut eodem loco, quo collapsae sunt, novae existant. Ni novae surrexerint, cutis plicas obtinet rugasve et crustas, superstitibus colliculis maculosis. Saepe quoque in ore, gula et partibus internis corporis provenire, compertum habemus Langhansius (*Act. helvet* 2. 260) parotidum tumores vidit adjunctos, salubria etiam inguinum et axillarum ulcera, cum pemphigus in Helvetia populariter graßaretur. Letales ejusmodi epidemias vidit non solum ipse sed Macbridius etiam in Hibernia (*System einleit.* 2, 613), et in tropicis regionibus, cum dysenteria junctam Bontius (*Medic. Indor.* 38).

Diuturnus est adfectus in hystericis et arthriticis, ubi post capitis dolores et artuum rheumaticos et spirationem difficillimam vesicae duriusculae surgunt, tuberculorum alborum similes, quae per noctem pruritum adferunt, diu persistunt, tandemque interdum in ulcera abeunt. *Phymatosis* Swediauero malum dicitur, minus bene a pemphigo separatum.

CAP. VIII.

DE ZOSTERE.

§. 357.

Pustulosum sic vocatur exanthema, quod cinguli specie abdomen, pectus aut epigastrium ambit, integris linea alba et dorsi spina. Acutus est morbus, raro ultra hebdomadas duas morans, neque periculosus, ni forte gangraena accesserit.

Febris praegreditur ardens, vomitu, vigiliis, spasmis, horroribus nervorumque distensionibus juncta, tres dies fere persistens. Tum ardor et tensionis sensus in cute epigastrium velante ingravescunt ita, ut tolerari fere nequeant. Maculae nascuntur rubrae, latescentes in molem pisorum, cohaerentes aut confluentes, insulas formantes, quibus cutis obdurescit. Mox pustulae sive phlyctaenae existunt in iis maculis, nodulos acuum mole aequantes, ichore acri, limpido vel cruento farctae. Macularum earum, pustulis consitarum congeries cingulum format vel alterutrius vel utriusque lateris, intactis semper scrobiculo cordis et dorsi spina: angoribus interea et vomitu et turgore bilis valde auctis. Celerrima contingit ichoris vicissitudo, ut, qui modo limpidus esset, jam turbidus fiat, purulentus aut sanguinolentus, pustula ipsa demum nigrescat, rupta escharam formet, quae ulcuscula per hebdomadas plures persistentia attrahit.

Caussam agnoscit plerumque internam, vel sordes gastricas vel rheumatismos: caussa tamen, cur exanthema hanc formam potius servet, ac intactas linquat partes supra dictas, penitus nos latet.

CAP. IX.

DE SCABIE.

§. 358.

Exanthema diuturnum, topicum, contagiosum e manuum potissimum aut pedum juncturis oriens, pustulasque formans et rubores valde prurientes, *scabies* vocatur. Intertrigo, quam supra (*Path. gen.* §. 267 n. 1) tetigimus, differt, quod non contagio propagetur, quod universali potius caussa nascatur, nec solis manuum juncturis infesta sit. Veteribus fere ignota adfectio fuisse videtur, cum a Galeno (*Meth. med.* 14. 17) descripta ex universali potius morbo nasceretur. Recipit autem id exanthema plura, pro aetate diversa, discrimina. Proprie dicta *scabies* et mere topica pueris pubescentibus aut adolescentibus familiaris est: in recens natis aut tenerrimis infantibus crustam potius serpiginosam, in senibus *psoriasin* facit, Swediauero dictam, *aridam*; utramque vero haud mere topicam, sed cutis functione impedita et nocturna inquietudine toti corpori noxiam eodemque contagio propagandam.

§. 359. *Continuatio.*

Itaque primum veram puerorum scabiem humidam describamus, quae pruritu et scalpurigine juncturarum inchoat; noctu, calore externo, ciborum potuumque irritantium ingestione ingravescentibus. Loca prurientia rubescunt et tumescunt, ortis simul, postquam scalpta sunt, vesiculis exiguis

albidis, miliaribus, quae oras habent rubras et tumidas. Attritu hae rumpuntur, effuso latice, qui, qua effluit, pinguedinem quamdam cuti largitur et quaquaversum similes pustulas excitat. Insecta prope a pustula nidulantur in rimulis cutis; acarorum species exulceranti simillima, quae ovula in laticem pustulae deponit: hydrargyro muriatico enecanda (*Fabricius* apud *Swediauer* nosol. 2. 216. 217).

Species externa pustularum dein mutatur, ut latex flavescat et spissescat, scalpta pustula crustula obducatur, ad quam rimulae accedentes cutis deformant loca. Vetustiores pustulae, quae pus conceperunt, haud amplius pruritum eum ardoremque producunt, ac recentiores, limpidae. Interdum vesicae grandiusculae loco pustularum nascuntur, pure flavicundo viridiusculo plenae, foveola fusca in apice, quo signo differt a pemphigo (*Autenrieth's. Versuche* 2. 243). Nec pustulae unquam cicatrices linquunt, sed maculas fusco-rubras. Frigore externo, lunae phasibus et circuitibus ex ignota caussa minuitur molestia, cum subsidentibus pustulis, quae dein iterum resurgunt. Diffunditur exanthema a digitorum juncturis ad carpum, cubitum, axillas; a pedibus ad genua, femora et inguina: trunco ipsi et faciei fere nunquam infestum. Rarissimum casum scabiei in facie a contagio ortae refert Parat (*Samml. für prakt aerzte*, 21. 429).

Odor est singularis mucidus aut nidorosus. Nonnunquam et exulcerantur loca scabiei obnoxia: pervicacia ulcera oris crassis crustosis pustulisque rodentibus oriuntur, e quibus sanies ea nidorosa, subpinguis aut mucosa promanat.

§. 360. *Continuatio.*

Differt *crusta serpiginosa* infantum recens natorum et lactantium, licet e contagio verae scabiei manifesto oriatur. Est congeries vesicularum miliarium, non satis super cutim elatarum, coloris saturioris, quae cito rumpuntur, die noctuque immanem pruritum producunt neque verum pus concipiunt, neque ullam infantibus quietam permittunt. Faciem totam occupant, ipsasque palpebras, intacto tamen bulbo; nonnunquam capitis partem capillatam, dorsum, femora et extremas partes. Cum ingravescit malum, glandulae axillarum et inguinum inflantur: abscessus existunt nucum mole, ad truncum et membra, qui rupti saniem effundunt, ac more majorum pustularum scabiei maculas lividas relinquunt. Si macrescit infans, ab atrophia tamen infantum hactenus differt, quod abdomen non obdurescat neque infletur, alvus etiam fere naturalis fit.

Senilis quoque aut adultorum saltem scabies differt, quod aridior sit, nec pus verum concipiat sed crustas formet fuscas parvasque, ac, dum facies immunis est, crura potius infestet et brachia, quam digitos. Contagio nascitur e vera et humida scabie, prurituque immani inquietudinem nocturnam et maciem corporis producit. Interdum crustas format rigidas, sub quibus altius pus propullulat. Sociatur etiam id malum in senibus decrepitis cum exanthemate valde pruriente, quod urinae secretionem impeditam sequitur et oculorum inflammationes pruriginosas producit (§. 196).

Ulcera scabiosa succedunt scabiei adultorum, maxime si diutius jam corpus exercuerit, atque si aeger opifex est, sedili indulgens, textorum exemplo aut sartorum sutorumque. Pustulae ingentes primum nascuntur in pedibus, oris dolentibus et inflammatis, sed parum ad suppurationem spectantes: supra malleolos solent maxime in ulcera abire toto pede oedematoso. Oras habent pariter crassas crustosasque, fusco lividas; pustulis cinguntur exiguis pure aquoso repletis, quae gliscunt, rumpuntur et ulcuscula repraesentant. Sic saepe totam suram a malleolis ad genua usque devastant, nulli remedio cessura, nisi, quod virus scabiosum destruere potest.

§. 361. *Continuatio.*

Maximi est momenti caterva malorum, e secundaria scabiosi miasmatis generatione in membranis mucosis intestinis nascentium. Originem debent haec mala perverso unguentorum usui aut perfrigescentibus membris, quae scabie occupantur. Frequentissima autem successio fistulam spiritalem et pulmones corripit, ubi pustulae numerosae, caseosa substantia, lympha coagulata et purulenta farctae, acinis similes, nascuntur: hae superficiem et pulmonum et hepatis et mesenterii obsident. Interna vero fistulae spiritalis membrana spissa invenitur, livida, colliculis valleculisque arrosis constituta. Nonnunquam totam pulmonum compages ulceribus exesa invenitur (*Autenrieth's. Vers.* 2. 264).

Historia vero mali haec est: mox post reper-

cussam scabiem, oppletio praecordiorum, ponderis sensus in medio sterno, spiratio difficilis, dum adscendit acclivia vel scalas, sentitur; cupiditas ciborum amittitur: tussis accedit et pedum singularis lassitudo. Dum tussis ingravescit et pectoris oppressio, vel parum sanguinis vel aquosum spumosumve aliquid, cum admixtis granulis aut nodulis purulentis, exscreatur. Singula loca pectoris dolent: febricula adjungitur cum sudoribus nocturnis, alvus dura et macies corporis. Cum tota compages pulmonum haud frequenter laborat, nec aestum eum circumscriptum volarum queruntur aegri nec angores eos, nec ruborem floridum malarum ostendunt, quibus insignes sunt aliae tabis pulmonalis species.

Puellae nubiles, si scabies repulsa est, chloroseos speciem patiuntur, spasmis hystericis, angoribus, ventriculi inflatione et aestu volatico faciei et vertiginibus junctam, quae martialibus remediis resistit, nec nisi antipsoricis debellanda est. Saluberrima praeprimis sunt ulcera scabiosa pedum recrudescentia. Singulare tamen est, ejusmodi aegros haud facile infici iterum, extrinsecus adhibito contagio.

Cetero innumera fere alia mala ineptam scabiei curationem et repressionem sequuntur: tumores genuum, hydropes articulorum: suffusiones et amauroses: vesania, melancholia et ipse furor: apoplexia et paralysis: inflammationes intestinorum et spasmi vehementissimi: praesertim epilepsia cum aurae epilepticae adscensu e pectore (*Autenrieth. l. c.* 405).

§. 362. *Continuatio.*

Complicari scabiem cum variis morbis, post Gualdenerum et nos observavimus. Cum scrofulis et arthritide satis vulgare est connubium, illud in infantibus, hoc in viris. Ex utroque ulcera prava oris duris dolentissima et dolores osteocopi solent oriri. Complicatur quoque cum rheumatica et catarrhali constitutione, unde major curationis difficultas, facilior regressus et ulcera maligna nascuntur.

§. 363. *Continuatio.*

Quod caussas attinet, acaros eorumque ovula haud sufficere arbitror ad contagium propagandum, cum pluribus argumentis eam sententiam jam exploserim (*Path. gen.* §. 190), augeri tamen pruritum doloresque facile largior. Favet vero contagii propagationi cutis maxime immunditiès, in orphanotropheis, nosodochiis, ergastulis et carceribus vulgaris. Balnea frequentia et lotio manuum aeque arcet infectionem ac equorum perspiratio, unde habitatio in stabulis cavere solet ab infectione. Neque neganda est dispositio magis universalis, quae vel atoniam viscerum vel stases abdominales complectitur, unde sartores sutoresque praeprimis obnoxios huic esse exanthemati arbitror: vel evolutione cita partium nititur, unde pubescentes pueri puellaeque facillime scabiem patiuntur. Denique memorabile est, montosa loca et vernam constitutionem maxime infectioni favere interdum etiam lunae efficaciam observatam esse (*Eph. nat. cur.* Dec. 3 *ann.* 9 obs. 205).

CAP. X.

DE HERPETIBUS.

§. 364.

Herpes sistit diuturnum exanthema, vix ac ne vix quidem contagiosum, vesiculis exiguis et rubedine cutis valde prurientibus constitutum, quod circulatim per totum corpus proserpit, odore peculiari empyreumatico, cuticula demum vel in pulverem farinaceum fatiscente vel crustas albidas aut sordidas spissescente, aut etiam ulcerata.

Rarissime topicum est malum, sed universi corporis labem sociatam vel febre praecedente vel atonia partium abdominalium prodit. Plures autem complectitur species, sibi invicem adfines, ut in se transeant et simili modo curentur.

Mitissima est species *herpetis farinosi*. Cutis cum pruritu intumescit et exasperatur. Aspritudines, per lentem consideratae, vesiculas exiguas sistunt, in uvularum, anulorum formam congestas, attritu saniem glutinosam, nidorosam, quaquaversum partes rodentem effundentes, dein vero pulvere farinaceo tectas, cute interea rubente, in rimulas fissa, ac novas iterum vesiculas obtinente. Haec vero species leviores gignit molestias, nec adeo intestinas partes infestat.

§. 365. *Continuatio.*

Secunda gravior est, κεγχρίας veteribus, *herpes miliaris*, *erysipelatosus*, *pustulosus* recentioribus dicta. Plerumque praegreditur febris rheumatica aut hectica, parce urina fluit aut penitus supprimitur. Quo facto rubedo nascitur pruriens in facie vel aliis partibus, vesiculis miliaribus cinereis aut flavicantibus consita, quae circinationem describunt, ruptae glutinosum ichorem emittunt, corii cremati odorem spirantem. Eum ichorem in crystallos salinas abire vidit Rousselius. Ex ea sanie congelascente squamulae nascuntur aut crustae sordidae, cutim insigniter deformantes. Scalpta cute delabuntur crustae, superstite rubore pruriente, continuoque existentibus vesiculis. Recrudescunt herpetes post esum acrium rerum aut potus spirituosos, dein in mulieribus, cum instat menstruus sanguinis cursus, vere etiam et aucto aëris calore. Lunae imperium, praesertim in tropicis regionibus, observatum est, ut crescente illa efflorescant, decrescente minuantur.

Quo magis diffunditur exanthema per corpus, eo plures oriuntur membranarum mucosarum adfectus. Vulgaris est sequela blennorrhoea verendarum partium in utroque sexu, quae tantum abest, ut solam herpetum repulsionem excipiat, ut potius a consortione membranarum mucosarum originem ducat: simili modo gravedo oritur molestissima et pervicax. Urina semper est turbida, uricae substantiae fere expers, et, quo subsidit, furfures

aemulatur. Alvus dura est et abdomen durum inflatumque: sic totius corporis labes patet.

§. 366. *Continuatio.*

Tertia species rarior nostris temporibus multoque periculosior est prioribus, *ἐσθιόμενος* dicta, carbunculo seu anthraci Galliae Narbonensis quodammodo similis, (§. 178). Ita oritur ut postquam corpus exaestuavit, repente dolor vehemens alicubi sentiatur. Mox pustula accedit, nucis avellanae mole, quae furunculum in dolente loco minatur. Rupta pustula saniem stillat cruentam, cum indusio adeo firmiter cohaerentem, ut separato hoc cutis laceretur. Tum phlyctaenae rodentes, haud pessimi adspectus, circulatim diffunduntur, saniem cruentam stillantes, crustis sordidis obtectae et attritu in pulverem fatiscentes. Tetro foetore et rosione vehementi terrent ejusmodi ulcera, quae nonnunquam exitium brevi attrahunt (*Hufelands: journ.* II. 2. 183).

§. 367. *Continuatio.*

Herpes exsiccatus, inepta curatione repulsus aut male perfectus plurimas atroces aut perniciosas sequelas adfert. Frequentissimae sunt stases abdominales, quae in mulieribus menstruis officiunt, in viris arthriticos adfectus producunt, aut icterum et hydropem. Spasmi etiam hysterici mulieribus, hypochondriasis viris infesta esse solent. Dein subitaneae intestinorum viscerum inflammationes, men-

tis etiam alienationes, sopores et apoplexia ex hoc fonte manant.

Salubria autem exanthemata sunt, dum universalem corporis labem in topica mala convertunt. Praevertere enim arthritidem et inflammationes diuturnas, tabem etiam visa sunt.

§. 368. *Continuatio.*

Sedes herpetis in corpore mucoso est, ubi materies perspirabilis peculiari modo depravatur, ut azoticum emineat (*Phys.* §. 271) et oleum empyreumaticum, ante absens, eliciatur. Azotico autem cum urica substantia praeprimis constituatur (*Phys.* §. 291), impeditus lotii cursus insignem habet efficaciam ad herpetes producendos. Viscerum dein abdominalium status studiose circumspiciendus est: atonia enim, stases menstruorum, arthritica diathesis, haemorrhoïdalis morbus, tumores mesenterii favent herpetibus, atque ita eos sustinent, ut, nisi haec interiora vitia tollantur, herpetes curari nequeant. Dein sordes gastricae per consensum cutim irritare valent, ut materies perspirabilis depravetur: acrium esus aut nimis salitarum carnium, piperis, potus spirituosi, aqua fluviorum, ut Sequanae et Nili, eadem incitamenta praeternaturalia exhibent. Postremo animi perturbationes, iracundia praeprimis et indignatio vehemens simili modo agere possunt. Hinc per metastasin oriri ex internis vitiis non rarum est.

Contagium gravioribus speciebus denegandum non est: etiamsi nulla infectio in deficiente diathesi statui possit.

Postremo topici stimuli cutanei, unguenta et emplastra irritantia, impositus cortex mezerei, vesicatoria et fonticuli, monilia e crinibus facta, insectorumque variorum morsus accusari debent.

LIB. IV.

DE EXCRETIONIBUS ABNORMIBUS.

SECT. I.

DE FLUXIBUS.

CAP. I.

DE SANGUINIS FLUXIBUS.

A. SUMMATIM.

§. 369.

Cum vasorum sanguiferorum ultimi ramusculi secum confluentes clausum omnino sistant systema, nullibi patulum (*Phys.* §. 164. 189. 253); si foras sanguis prodit, necesse est rumpantur vasa capillaria, in quae impetu quodam praeternaturali sanguis irruit, vel is modo organico per parietes transsudet (*Phys.* §. 254). Naturalem autem menstrui sanguinis cursum supra (*Phys.* §. 518) exposuimus e vasorum capillarium cum villis uteri communione, quae facit, sine laceratione per eos villos, laxissima tela cellulari clausos, effundatur sanguis. Itaque, quas statuerunt olim differentias hemorrhagiarum, ut Bacchius Tanagrius, qui quatuor, eruptionis, putredinis, osculationis et expressionis assumsit, tres priores Erasistratus, duas Asclepiades; eae differentiae binae potissimum sunt, ut vel trans-

sudet sanguis parietes, vel rumpat eosdem. Namque dilatatio osculorum profecto nulla est.

Super hanc caussam concipi nequit sanguinis fluxus, ni majorem statuas impetum, quo fit, ut cruor ipse irruat in vasa capillaria. Itaque congestio cuivis subest sanguinis fluxui, eaque vel activa, vere auctam arteriarum energiam, vel passiva, solam sentiendi facultatem excitatam supponens (*Path. gen.* §. 77). Quibus rebus colligitur adfinitas inflammationum, exanthematum et haemorrhagiarum; sedes enim communis est in vasis capillaribus, eorum vi hactenus aucta, ut praeter vapores et particulas sanguinis propiores sanguinem ipsum accipiant, in haemorrhagiis etiam excernant.

§. 370. *Continuatio.*

Activus sanguinis fluxus nunciatur vel orgasmi universalis (*Path. gen.* §. 75) vel congestionis activae symptomatibus (*ib.* §. 78). Homines adolescentes, optime valentes, sanguine abundantes, nullisque caussis debilitantibus obnoxii, sanguinis fluxibus activis potius quam passivis laborare solent. In nonnullis morbis febrilibus indicia esse vel coctionis vel ipsius solutionis, pluribus locis docuimus. Praeterea et per circuitus redire solent, et verno inprimis tempore salubria indicare naturae conamina, orgasmum, vernalis caloris pedissequum avertere. Pertinent huc etiam sanguinis fluxus aetatibus familiares: in infantibus impetus ejus caput maxime tendit, ut encephali formatio expe-

diatur (*Path. gen.* §. 37): hinc in pueris sanguinis fluxus e naribus ipsisque auribus frequentiores sunt et salubriores. In adolescentibus incrementum thoracis sanguinis impetum eo potissimum flectit, unde haemoptysis aetate adolescentum vulgaris est. Qui provectiores sunt, tardiori non raro sanguinis motu per portarum venam laborant, unde impetus major versus vasa hemorrhoïdalia exponendus est.

§. 371. *Continuatio.*

Activus sanguinis fluxus nunciatur symptomatibus, quae vere auctam vasorum vim indicant. Itaque febris praegrediens valida, ardens, cum pulsibus dicrotis, et molliusculis (*Path. gen.* §. 253): insomnia terrifica, cum subita corporis jactatione et inquietudine (1): capitis gravitas et tensiones cervicis (2): lumborum dolores recursantes in caput, stupor manuum, aurium sonitus, scintillae ante oculos, tenues sudatiunculae circa partem quamdam cum rubore et ardore, eo potissimum sanguinis impetum tendere signant. Ad haec horrorum calorumque vicissitudines et sanguis e vena missus, crusta phlogistica obtectus, activam haemorrhagiam praesagire solent.

---

(1) Τὰ ἀγρυπνήσαντα ἐξαίφνης ἀλυσμῷ αἱμοῤῥαγεῖ. Praedict. l. 136.

(2) Οἱ καρηβαρικοὶ ἄγρυπνοι, αἱμοῤῥαγικοι. ἄλλως τε καὶ ἢν τέ καὶ ἐν τραχήλῳ ἐντείνει. ib. 135.

Haec praesertim ad narium haemorrhagiam in febribus dijudicandum valent. Quodsi enim in febre ardente, ac constitutione corporis juvenili et vegeta, tensio praecordiorum ad cervicem propagatur, si gravitate capitis atque vel surditate vel aurium sonitu interno, vel visus hebetudine et marmarygis ante oculos, pervigiliis etiam et insomniis tumultuosis, quasi strangulentur, vexati, maculas rubras ad nares ostendunt, sanguinem salubriter e naribus erupturum esse (1). Tali sanguinis cursu solvuntur aut levantur saltem febres ardentes, deliria, nervorum ipsae distensiones, surditas et menstruorum defectus.

§. 372. *Continuatio.*

Id tamen maxime monendum est in sanguinis fluxibus activis, nec nimis parcum, nec nimis profusum esse debere, si saluti collaturus est. Etenim pauculae duntaxat guttae sanguinis vel e naribus stillantes, vel tussi ejectae, tantum abest ut solvant morbum, ut potius saepe augeant impetum sanguinis in nobiliora viscera, unde vel inflammationes vel nervorum etiam distensiones nascuntur. Deinde et id maximi est momenti, cum sanguine haud semper id efferri, quod morbum effecerat: sunt potius sanguinis fluxus indicia remissarum et laxatarum partium, unde imitari eos ars haud semper potest. Vidimus e. g. in febribus rheumaticis san-

(1) Coac 160. 168 194. 195.

guinem quandoque salubriter e naribus stillare (§. 69): siquis vero imitaturus esset id profluvium venae sectione, is profecto plus nocuerit quam opitularetur.

§. 373. *Continuatio.*

Neque negligenda sunt damna, quae e sanguinis amissione largiore fluunt. Etenim penuria oritur sanguinis, stimulus saltem partibus solidis detrahitur, unde inaequabilis nascitur imponderabilium per nervos dispensatio, inertia in his, nimia velocitas actionum in aliis: hinc et motricis facultatis et sentiendi et ipsa vegetativa vis labare et penitus demum prosterni solent (*Path. gen.* §. 54. 60. 62). Exponenda sunt ex hoc potissimum fonte, quae sanguinis nimios cursus excipere solent: languoris sensus et lassitudinis; horrores et frigus cum pallore totius corporis: sensuum hallucinatio et hebetudo: oculorum caligo: aures intus sonantes aut obsurdescentes: capitis temulentia et dolor obtusus: glaciei sensus in occipite: somnolentia, sopores et vesaniae: spasmi et nervorum distensiones, exaestuatio corporis per quemvis motum aut post pastum potumque calidiorem vel spirituosarum rerum: pulsuum frequentia ac debilitas: macies corporis cum inflatione oedematosa aut hydropibus. Quibus positis patet, quam locupletissimus sit malorum innumerorum fons sanguinis nimius fluxus.

In parte ipsa adfecta, necesse est ob laxatas partes sanguinis mixtio depravetur: partes ejus saltem propiores facilius secedunt, unde abundantia

lymphae coagulabilis serique existit (*Path. gen.* §. 87. 89) et mucosa profluvia. Ipsa etiam debilitas partis opportunitatem constituit ad faciliorem haemorrhagiarum recursum.

Quae quamlibet plerumque detrimenti plurimum gignant: ea tamen est consuetudinis vis, ut corpus possit assuescere his nimiis sanguinis cursibus. Exstant enim plura exempla vehementium haemorrhagiarum, quae per plures annos circuitibus recurrentes, sine graviore sanitatis labe tolerarentur.

§. 374. *Continuatio.*

In caussarum, quibus haemorrhagiae cientur, numero maxime collocanda est stasis sanguinis seu tardus ejus motus; namque qui per haec vasa libere fluere impeditur, alia irrumpit (*Path. gen.* §. 83). Hinc uteri haemorrhagiae et haemorrhoïdalis fluxus cum stasibus abdominalibus vulgo cohaerent.

Dein ad rationem laesam cordis magnorumque vasorum consilium est transferendum. Hoc interdum connatum vitium habituales caussatur sanguinis fluxus, in pueris e naribus, in adolescentibus e pectore contingentibus, saepe quoque cum aneurysmatibus et varicibus alternantes.

Voluminis vasorum diversa ratio efficitur etiam spasticis constrictionibus, quibus cum trunci forte vasorum adficiuntur, in ramos irruit majori impetu sanguis: unde in hystericis mulieribus praecipue hujus caussae respectus habendus est. Simili modo frigus agere, supra (*Path. gen.* §. 126) posuimus.

Frequentissima vero est caussa passivarum haemorrhagiarum debilitas partium singularum, quae facillime cedunt sanguini irruenti, dum orgasmus adest universalis. Hinc, qui pulmones nimis exercuerunt, haemoptyses; qui visceribus abdominalibus infirmis laborant, haemorrhoïdes patiuntur. Hinc ipsa haemorrhagia, dum vasa infirmat, recursui novi sanguinis fluxus favet (*Path. gen.* §. 73. *Path. spec.* §. 373).

Laceratio vasorum locorumque, quibus sanguis continetur, vulneratio, mechanica est caussa et frequentissima (*Path. gen.* §. 195).

Postremo veniendum est ad caussas, quae volumen sanguinis nimis augent, ut facillime secedant particulae et citato cursu sanguis id locorum impleat, quod ante vapores vexerat et particulas serosas (*Path. gen.* §. 92). In febribus, quae putridae dicuntur (§. 105), sueta sanguinis profluvia pariter huic caussae tribuenda sunt ac in scorbuto.

B. De haemoptysi.

§. 375.

Haemoptysis dicitur sanguinis e fistula spiritali et pulmonibus per tussim rejectio. Eum autem e pulmonibus originem trahere docent symptomata praegressa et comitantia ac indoles ipsa cruoris.

Nisi orta fuerit e violentiis externis haemorrhagia, praecedunt symptomata, laesam rationem circuitus et impetum sanguinis versus vasa pulmo-

num notantia. Oppressio pectoris, molesta spiratio et cordis palpitatio, dum per acclivia adscenditur, aut dum acria ingesta sunt et exaestuantia: horrores cum caloribus fugacibus: dorsi dolores et tensionis pulsationisve sensus in praecordiis; motus spastici in abdomine: alvus dura: pulsus duri, irregulares: lassitudinis sensu in membris, quasi vapulassent: noctes inquietae: somnia turbulenta: tussis matutina, qua exscreatur dulce aliquid aut salsum, haec symptomata diu etiam praecedere solent.

Tum forte post leve corporis exercitium, animi perturbationem aut ingestionem acrium rerum et exaestuantium sequitur undabundus motus in alterutro pectoris latere: salivae salsus sapor: sanguinis impetus vehementior cum caloris in pectore adscendentis, oppressionis et angoris sensu: titillatio in fistula spiritali ac tussiendi cupiditas: tussis vehemens, arida, dolens, quam sequitur ejectio sanguinis floridi, spumosi (1) cum strepitu et rhoncho humorum adscendentium.

§. 376. *Continuatio.*

Quae excipiunt haemoptysin, diversa sunt pro praegressa opportunitate et sanguinis rejecti copia. Quodsi nullum peculiare formationis vitium, neque ratio vasorum cordisque laesa praecesserint; si sola sanguinis copia, suppressis aliis sanguinis fluxibus consuetis, urget; si, praeter muci screatum,

---

(1) Aph. 5, 13. Coac. 433.

nulla molesta symptomata sequuntur; neque febricula adest, neque aestus post pastum, spes est, hanc haemorrhagiam sanitati haud valde nocituram esse. Compertum enim habemus, per plures annos recurrere solere, maxime in juvenibus, salva pulmonum integritate (1).

§. 377. *Continuatio.*

Quodsi vero mala thoracis formatione vel manifesta vel occulta etiam, quippe quae ratione laesa cordis vasorumque nititur, si varicibus et aneurysmatibus jam ante laboraverit; si variis pectoris adfectibus aut ipsa pulmonam tabe conflictatus erat, haud sine periculo est haemoptysis, utique si plurimum sanguinis ejicitur. Tum enim remanent molestiae variae, dolores sub sterno obtusi; oppressiones et angores in adscensu, post pastum ac vesperi: anhelat dum scalas adscendit: horis antelucanis tussicula adest cum strepitu in fistula spiritali et salsis sputis: difficulter decumbit in altetutro latere, pectore oppresso et anxio: horret et incalescit vicissim. Quo facto sequuntur ea symptomata, quae laesam pulmonum functionem indicant: ipsaque haemoptysis per circuitus redire consuescit.

---

(1) Τοῖσιν αἷμα πτύουσιν ἀπυρέτοις εἶναι συμφέρει, καὶ βήσσειν καὶ πονέειν ἐλαφρῶς καὶ τὸ πτύαλον λεπτύνεσθαι πρὸς τὰς δὶς ἑπτά. πυρέσσειν δὲ καὶ βήσσειν καὶ πονέειν συντόμως, καὶ αἷμα πρόσφατον ἀεὶ πτύειν ἀσύμφορον. Coac. 427.

§. 378. *Continuatio.*

In caussis haemoptyseos primo loco nominanda est opportunitas, quae hereditate accepta esse potest. Cognoscitur ea thorace ita configurato, ut ratio vasorum ad cor laesa esse videatur. Thorax magis planus quam bene fornicatus, angustus etiam humeri alarum forma prominuli, brachia in longitudinem singularem porrecta, collum gracile, cujus venae turgent; malarum rubor floridus, sed ita circumscriptus, ut liliorum candor rosaceum colorem ambire videatur: dentes longiusculi, candidi aut lactei; haec omnia constituunt opportunitatem hereditate acceptam. Pejoris notae est conformatio rhachitica, qua sternum et dorsi spina curvantur, costae ab utraque parte angustantur, ut necessario pulmones comprimantur, vasaque majora ita flectantur et torqueantur, ut vel aneurysmata vel varices vel sanguinis cursus efficiantur (*Path. gen.* §. 215). Quodsi nec praeternaturalis haec, nec hereditaria illa formationis depravatio manifesta est, occulta tamen quaedam rationis vasorum cordisque laesio cognoscitur e frequentibus, dum pubescerent pueri, sanguinis cursibus e naribus, e turgore venarum habituali et pectoris oppressione, dum adolescunt, frequenti. Est enim id aetatis praeprimis obnoxium huic vitio, maxime cum pulmones, innumeris e duplici fonte ortis vasis percursi impetum e corde proxime accipiunt, unde nullum fere corporis viscus adeo favet sanguinis cursibus ac pulmones.

§. 379. *Continuatio.*

Occasionem praebent violentiae externae, plagae, fractae costae, concussiones pectoris et validae irritationes pulmonum vociferando, tibiis cantando, currendo, tussiendo, vomendo et sternutando. Quinetiam contentio maxima in concubitu visa est hoc vitium excitare: dein pervigilium: animi perturbationes: abusus potuum exaestuantium, vini, coffeae et spirituosorum. Aëri etiam non levis caussa tribuenda, dum nimis frigidus est aut electricus, dum particulis irritantibus abundat, quali modo caecias praeprimis nocet pectori, quod non validum est: hinc et monticolis haemoptysis magis familiaris est. Super haec aër occlusus, vaporibus noxiis praegnans accusari merito potest: unde opifices, textores, pistores, molitores, lapicidae obnoxii sunt haemoptysi.

Praeterea ratio habenda est viscerum abdominalium. Stases enim abdominales et atonia vasorum ad portae venam pertinentium, ut alios ita et hunc sanguinis fluxum frequenter cient. Hinc suppressa menstrua, regressus fluxus haemorrhoïdalis, sedile, abusus ciborum difficulter digerendorum et male nutrientium, aerumnae continuae frequentem exhibent caussam, cui haemoptysis tribuenda est. Maximam habent vim alii pectoris morbi; nodi pulmonum et ulcera, colluvies aquosa et aneurysmata vasorum. Denique et cum cute consensus accusandus est, cum saepe animadversa sit haemoptysis exanthematibus repercussis et ulceribus praepostere exsiccatis tribuenda.

C. De haematemesi.

§. 380.

Sic vocatur ejectio sanguinis luridi vel atri per vomitum, praegressis plerumque molestiis variis et ventriculi et aliorum viscerum in epigastrio collocatorum. *Morbus niger* dicitur aut *melaena* dum gravior est. Simplex quidem sanguinis per vomitum rejectio, seu *haemorrhoea ventriculi* Swediauero dicta, fortuitas nonnunquam caussas agnoscit, deglutitas hirudines (*Galen.* loc. adf. 4, 5.) acria venena, plagas ventriculi et contusiones. Hic vero necesse est, morbum eum uberius describamus qui praegresso statu morboso vomitu cruento insignitur.

Status is morbosus comprehendit states viscerum abdominalium, hepatis, stomachique tumores et alia vitia diuturna. Plerumque diu jam laborarunt ictero, lurida saltem facie, cupiditate ciborum amissa, flatuum congerie, menstruorum et haemorrhoïdum suppressione, arthritide aut sequelis febrium intermittentium male curatarum.

§. 381. *Continuatio.*

Spasticas in abdomine constrictiones, cardialgias, oppletionem praecordiorum, nauseam, cum salivae confluxu in ore, inflationem abdominis, flatuum congeriem, ructus tetros, saporem ingratum, acidum vel amarum, cupiditatis ciborum nimiam incitationem, ut et nauseosa appetant et

nunquam satiatam sentiant. Quibus accedunt angores, palpitationes cordis, vertigines, sonitus intra aures, oculorum caligo, animi deliquia: tristitia et somni inquieti cum caloribus et sudoribus frigidis, glutinosis, lotio etiam antelucano crudo et aquoso: praeterea languidus, pallens, luridus faciei adspectus; oculorum acies imminuta, halo circa oculos lividus, palpebrae tumidae: pulsus spastici, suppressi: dolores frequentes colici.

Magnopere ingravescit anxietas cum doloribus regionis epigastricae: vomituriunt aegri et anima deficiuntur: tandem ejiciunt cruentam massam, sed feculentam, luridam aut atram (οἷον πολύπου θολός. *Hipp.* de morb. II. 486), quae adeo acris et acida est, ut dentes obtusos reddat et oris superficiem adrodat. Nec tamen amara est haec massa, nec reliquas bilis propietates habet. Sanguis profecto est, sed, oxygenis aditu in stomacho prohibito, carbonicam indolem et hydrogeneam adeptus est. Interdum etiam mucus simul foetidus eliminatur. Vomendi conatus per intervalla recurrunt, anima frequenter aegri deficiuntur, spasmis agitantur, imo animam agere interdum videntur, cum tamen in diuturno statu salubris potius sit haec ejectio quam periculosa.

§. 382. *Continuatio.*

Quamvis enim, dum iterum iterumque massam eam atram ejicit aeger, vires magnopere infringantur, vertigines adsint et caligo oculorum, quamvis oppletionem praecordiorum et rosionem

queri pergat, somno tamen denique placido mersus, ubi expergiscitur, plurimum levaminis sentit, evanidis angoribus, doloribus stomachi intestinorumque et spasticis adfectibus. Expedit igitur vomitus ille ad tollendas diuturnas aegritudines, icterum, colicos dolores ex haemorrhoïdibus subnatos et mesenterii tumores.

Neque tamen eo minus per circuitus recurrere solet adfectus, dum molestiae recrudescunt. Menstruam servat periodum in mulieribus a menstruo sanguinis cursu defectis, in viris etiam haemorrhoïdes aut arthritidem anomalam passis. Tunc diuturnam et irreparabilem fere virium jacturam attrahit, labem nutritionis et cachecticum statum. Magnum etiam casum habet, si ex ulcere forte aut pancreate carcinomatoso (*Van Doeveren*) aut ventriculi arrosione gangraenosa originem ducit.

§. 383. *Continuatio.*

Cadavera secta locorum adfectorum cognitionem aperiunt. Vasa enim ventriculi turgida, atrum eum cruorem stillantia, manifesto testimonio sunt, ex his potissimum vasis sanguinem prodire (*Portal*: cours d'anat. méd. 5. 188). Cum vero vena coronaria major et gastro-epiploica sinistra in splenicam, vena coronaria minor et gastro-epiploica dextra in venam portarum confluant, patet, quanta sit efficacia splenis et venae portarum in hac aegritudine generanda. Lienem igitur praegrandem et tumidum cum Morgagnio (*Ep.* 36. 11) et Bangio (*Diar. nosoc. Hafn.* 2. 407. 408) plerique in-

venerunt. Cumque sanguis lienalis naturaliter sit lividior ac hydrogene abundantior (*Phys.* §. 144), cum in vena portarum sanguis tardius moveatur, stases ibidem facilius nascuntur (*Path. gen.* §. 81) quibus menstruorum et haemorrhoïdum suppressio etiam magis favet. Hinc, quidquid motum diutissime tardare valet per portarum venam, ansam huic morbo praebet. Menstruorum et haemorrhoïdum suppressio, arthritis, hystericus morbus, qui diutinas spasticas constrictiones producit; graviditas ipsa, simili modo agens; hepatis aliorumque viscerum tumores; hernia ventriculi (*Act. helvet.* 3, 10); aneurysma tandem arteriae coeliacae (*Frank*: epitom. 5. 11. 204) morbum hunc generarunt.

D. De haematuria.

§. 384.

Mictus cruentus bene distinguendus est ab urina flammea, quae uricae substantiae insignem quantitatem continent (*Path. gen.* §. 113) atque ab ea, quae rubra deponit ex esu fructuum cacti, ruborum idaeorum et balsami peruviani. Quodsi verus sanguis cum urina excernitur, cum Caelio Aureliano (*Chron.* 5, 4.) distinguenda sunt loca, e quibus prodit: sunt enim vel renes, vel vesica, vel denique urethra.

§. 385. *Continuatio.*

E renibus provenire sanguinem cognoscitur primum ex intima cruoris cum lotio mixtione. E perfrigescente et quieta urina haud subsidit cruor, sed firmiter toti massae inhaeret. Praegressa sunt plerumque symptomata adfectorum renum: vel inflammationis aut suppurationis (§. 299. 302) vel dolores duntaxat, angores circa eam regionem, urinae difficilis et intercepta secretio. Obvia est ea haematuria in mulieribus a menstruo sanguinis cursu defectis, ubi vicem ejus naturalis fluxus gerit; in viris, quorum haemorrhoïdes suppressae sunt, praesertim si bibuli essent; in iis etiam, qui pondera graviora gestando aut equitando, aut, dum ingesserant acria diuretica, renes laeserunt; denique in febribus ardentibus et putridis, ubi dissolutum sanguinem signat (§. 100).

§. 386. *Continuatio.*

Vesicam esse in mictu cruento adfectam cognoscitur eo, quod, dum calida est urina, cruor quidem intime mixtus est, deponitur vero protinus ut perfrixit; dein, quod praegressa sunt et comitantur symptomata adfecti ejus visceris, dolores atroces, urinae excretio dolentissima, spasmis intercepta et muco plerumque aut membranis filisve etiam mixta. Diutius laborarunt aegri jam haemorrhoïdibus non rite fluentibus, coecis; doloribus perinaei, lumborum et hypogastrii, colicis etiam et anxietate. Tum post tormenta vesicae graviora,

quae speciem calculosorum adfectuum nonnunquam prae se ferunt, excernuntur mucosa, cruenta, quae fundum urinae petunt. Id vitium *haemorrhoïdum vesicae* nomine venit, e communione venarum hypogastricarum declarandum In venis enim vesicae turgidis varicosis non cruor solus congeritur, sed facillime etiam in partes propiores secedit, ut lympha coagulabilis muci forma excernatur. Ex eadem caussa tumores in vesicae parietibus generati aut polyposa concrementa venas vesicae comprimunt, ut sanguinis refluxus cohibitus hanc haemorrhagiam producat (*Swertner* in *Richters bibl.* 5, 551. *Frank.* Epitom. *l. c.* 264). Utero gravido similiter comprimi posse vesicae venas, Whyttius observavit (*Prakt. schriften*, 417). Ascarides etiam rarius in vesica nidulantes eandem haemorrhagiam ciere visae sunt (*Panzani* in *Weigels ital. bibl.* 1. 2. 15). Denique externae violentiae et diureticorum abusus interdum accusari debent.

§. 387. *Continuatio.*

Postremo ex urethra profluere sanguinem judicatur eo, quod etiam citra mictum sanguis ex urethra stillat, quod ejus tubi pars quadam dolet, tactaque sanguinem profundit. Contingit id vitium tum in ulceribus urethrae, tum e coitu nimio et earum rerum abusu, quae stimulant eas partes.

E. De morbo haemorrhoidali.

§. 388.

Haemorrhoïdes vocamus sanguinis fluxum eum ex ano, qui, citra alvi excretionem, per circuitus contingit, atque e statu viscerum abdominalium praeternaturali originem ducit. Sine praegressis enim signis stasium abdominalium (*Path. gen.* §. 81) varicumque in vena portarum (*ib.* §. 205) et inaequabilis per nervos abdominales virium dispensationis (*ib.* §. 57) existere is fluxus haud solet. Per circuitus quidem redit, atque, dum vegetiores sunt homines, praevertere alios morbos consuescit; sed diu tamen trahit atque sensim minutus in muci fluxum atque in tumores venarum externarum transit, aut repente suppressus malorum catervam producit.

§. 389. *Continuatio.*

Itaque protinus eam valetudinem describamus, quae nunciare fluxum haemorrhoïdalem solet. Cupiditas ciborum depravata, digestio labascens, sapor oris continuo mucidus aut stramineus, ructus acidi et ardor stomachi, qui *pyrosis* aut *soda* appellatur, remediis absorbentibus nequaquam cedens; oppletio praecordiorum et inflatio abdominis post pastum; flatus copiosi; lingua muco obducta; alvus dura; angores in abdomine cum cordis palpitatione, suspiriis, capitis temulentia et vertigine; urina mucosa: ea symptomata diuturna, quae vel sordibus

tribuuntur, vel fortuitae ventriculi infirmitati, nunquam tamen evacuantibus aut roborantibus remediis penitus debellanda. Eadem solent symptomata arthritidem notare aut hypochondriasin.

Quodsi forte apparatius coenant, aut quovis modo corpus exercent, impetus sanguinis versus singulares partes augescit. Capitis dolores et aestus, somnia tumultuosa, aures intus sonantes, scintillas ante oculos versantes, caligo etiam oculorum; gravedo continua absque manifesta caussa; spiritus difficiles, anhelantes, maxime post pastum et dum acclivia adscendantur; palpitatio cordis cum pulsibus plenis et irregularibus; maculae rubrae per faciem et corpus sparsae; lassitudo membrorum et defatigatio; oscitatio et pandiculatio; sudores debilitantes post quemvis motum aut pastum orgasmum universalem notant, perperam interdum plethorae tributum, male etiam praesidiis iuvasum, quae sanguinem deplent aut impetum ejus minuunt.

Sequuntur *molimina* dicta *haemorrhoïdalia*: tractiones et tensiones dorsi lumborumque; sensus peculiaris, quasi guttae calidae delaberentur in anum; pruritus et ardor ani, cum sudoribus rodentibus perinaei aut herpeticis exanthematibus; cupiditas coitus, qui vero vires valde infringit; prurigo glandis; urinae difficultas aut interceptio, nonnunquam et rubrum aut cruentum sedimentum; tenesmus et dolores colici. Haec quidem symptomata fluxum ipsum praecedunt, minuuntur tamen etiam aliis sanguinis cursibus, inprimis sanguine e naribus stillante aut mictu cruento.

§. 390. *Continuatio.*

Tum fluxus ipse haemorrhoïdalis ita se habet. Postquam alvus dura quaedam excreverit, superstitibus tenesmo anique tensione et ardore, stillant ex ano sanguinis aliquot guttae, aut quantum trulla capit vel cyathus. Protinus levantur symptomata praegressa, maxime flatus, angores, dolores colici; sed recurrunt per circuitus, utplurimum menstruos praeviis iisdem symptomatibus.

Nimius interdum fit, dum exaestuatum fuerit corpus aut nimis exercitatum, aut dum graviora sunt viscerum vitia, stases et tumores. Ani vasa laxantur, interna membrana prolabitur (*Path. gen.* §. 222). Totum corpus infirmatum maciei, tumoribus aquosis et tabi fit obnoxium.

Natura ipsa curatur totus is status, dum victu mutatur diuturna illa infirmitas viscerum, dum vicariae existunt excretiones sudoribus nocturnis, alvo cita, difficultate intestinorum: interdum quoque graviditate et ipsa aetate provectiore sublatum esse hunc fluxum observavimus. Obrigescentia enim vasa haud potis amplius sunt sanguinem effundere.

§. 391. *Continuatio.*

Gravissimum est et summe memorabile vitium, quod suppressum fluxum haemorrhoïdalem comprehendit. Vidimus jam, dum diutius trahitur aegritudo, ex ipsa vasorum debilitate id vitium consequi: existit etiam e spasmis vasa constringentibus

atque varia victus vitia, refrigeria corporis, animi perturbationes, acrium rerum et exaestuantium abusum, excipientibus. Represso autem fluxu protinus congeritur sanguis in venis, quae profuderant; turgidae eae varices sistunt, seu tumores, initio molliusculos et prementi digito cedentes, lividos etiam; pisorum mole aut ovorum columbinorum. Occupant autem plerumque sphincterum ambitum, vehementer dolent, alvum cohibent et desidendi cupiditatem producunt. *Haemorrhoïdes* vocantur *coecae*, telae cellulari interdum infestae, in quam effundi potest sanguis.

Si diutius morantur ii tumores, secedere solet sanguis stagnans in partes propiores, unde lympha coagulabilis muci indolem adipiscitur. Tumores pallidiores exsudant laticem glutinosum, oleagineum, indusio adhaerentem: tandem obdurescentes condylomatum speciem prae se ferunt atque alvum penitus coërcent. Solet nonnunquam per circuitus effluere is mucus, ut vices ipsius haemorrhagiae habitualis gerere possit. Ita tamen hoc accidit, ut post pastum tenesmus oriatur et vesicae dolor, tum vero, citra alvi excretionem mucus ille, lacti similis aut chylo, excernatur.

Eo muci fluxu partes adfectae hactenus laxantur, ut procidentia ani et ipsa resolutio sphincterum sequantur. Interdum rupta etiam sunt vasa, unde haemorrhagia perniciosa contingit. Inflammationes non raro accedunt, ardore molestissimo ani, alvo continuo obstructa, anxietate incredibili et febre valida. Tum inflammatio ea, sphinctere sem-

per constricto et irritantibus alvi excrementis, abitura est in sphacelum (§. 185) aut in fistulas ani, parietibus callosis et effluxu sanioso.

§. 392. *Continuatio.*

Nec rara sunt exempla aegritudinum, e suppressis haemorrhoïdibus per consensum cum aliis partibus ortarum.

Frequentissima fere sunt vitia organorum urinae se-et excretioni, generationi etiam dicatorum. Ischuria spastica, per circuitus recurrens; prurigo glandis; rosio et sudores ardentes perinaei cum herpeticis exanthematibus; mictus cruentus; maxime vero muci excretio cum urina, aut e glandulis urethrae quae blennorrhoëae pudendorum venereae satis similis, differt tamen ab ea, quod praegressa sunt symptomata haemorrhoïdum, quod alternat cum prurigine perinaei et cum ipso muci fluxu ex ano, utique quod per circuitus recurrit. Ardorem tamen urethrae inter mejendum pariter producit: inclinataque in scrotum materia, hydrops ejusdem, hydrocele et cirsocele frequenter nascuntur. Id etiam habet haec blennorrhoea commune cum syphilitica, quod ulcera attrahat urethrae, glandis, ipsiusque vaginae muliebris: differunt haec autem a syphiliticis cum callosis oris et lardaceo fundo careant, nec magnopere partes, quae juxta sunt, exedant, sed remediis vulgaribus, aqua calcis etc. curentur. Inguinum quoque glandulae intumescunt, ut bubonum venereorum suspicionem moveant, sed evanescunt, ubi restitutus est fluxus haemorrhoïdalis.

Id denique exploratum habemus, non colorem duntaxat calculosorum adfectuum induere has aegritudines, sed ex ipso morbo haemorrhoïdali mucum hactenus congeri in vesica, ut obdurescat et calculum ipsum sistat (*Path. gen.* §. 118).

§. 393. *Continuatio.*

Tandem et in remotiores partes inclinato sanguinis impetu, innumera existunt vitia, haemorrhoïdes suppressas excipientia. Supra enim molestias e stasi abdominali oriundas, haematemesis (§. 382) fluxus qui *hepaticus* dicitur; dolores colici pertinaces atque inflammatione paecipitantes, ni fluxus haemorrhoïdalis restituatur. Oriuntur catarrhi per circuitus redeuntes, nec suetis remediis debellandi; accessus arthritici; icteri; asthmata et palpitationes cordis; haemoptyses et phthiseos accessus; vertigines et capitis dolores atroces; hallucinationis, animi deliquia, melancholia et apoplexia.

§. 394. *Continuatio.*

Sedem morbi in venis haemorrhoïdariis et hypogastricis confirmant cadaverum sectiones: siquidem venam cavam adeo varicosam, ramosque hypogastricos et haemorrhoïdarios externos hactenus pansos viderunt Morgagnius, Rollinus et Sömmerringius, ut dubitari nequeat, in his potissimum vasis quaerendam esse sedem haemorrhoïdum. Tumores mesenterii, hepatis aliorumque viscerum, quos alii observarunt, venam portarum quidem ad-

fectam esse probant; communio tamen anastomotica, quam Winslowius jam ostendit inter externas et internas venas haemorrhoïdarias, communem utrique venoso systemati, et portarum et venae cavae, passionem probabilem reddit. Quodsi vero omnis sanguinis fluxus e vasis capillaribus vices arteriarum suscipientibus, potissimum explicandus est (§. 368), haec etiam proxime sanguinem fundere, dum nimis irritantur, credibile est, unde nec arteriosum nec venosum proprie sanguinis profluvium statui potest. Hinc etiam non adeo floridus est sanguis ac arteriosus, nec livido colore venosum aequat.

Naturalem esse hunc sanguinis cursum, nemo nostris temporibus facile contenderit, etiamsi olim Stahlius, et qui eum sectarentur, adseruerint, aeque necessarium virili aetati esse ac menstruum fluxum mulieribus. Quod quum erroneum sit, e praeviis probari potest symptomatibus, quae valetudinem adversam manifestant (§. 388). Neque refragatur salubritas fluxus ipsius, qui levare potest symptomata pariter ac aliae haemorrhagiae neutiquam naturales.

§. 395. *Continuatio.*

Dein opportunitate et aliis caussis, quae occasionem huic fluxui praebent, elucet praeter naturam eum contingere. Etenim, si hereditaria est opportunitas, quae negari nequit, cum arthritica dispositione congruere videtur: acquiritur etiam luxu, potuum spirituosorum et exaestuantium vi-

norumque generosorum, acrium et aromaticarum rerum, remediorum etiam calidorum et balsamicorum abusu. Eo pertinent etiam sedile, coitus nimius, animi commotiones crebrae et virilis aetas quae sanguinis congestiones versus abdominis vasa et plethoram partialem caussari solet (*Path. gen.* §. 37. 73). Pueros et adolescentes enim huic morbo obnoxios esse, ambigendum est, cum sanguinis cursus ex ano aliis caussis tribuendus sit (*Haen. Thes. pathol. p.* 82). Nec mulieres facile pati eam aegritudinem possunt, ni forte suppressus fluxus menstruus aut uteri procidentia occasionem praebuerint (*Fabre*: in *Richters bibl.* V. 295). Plethora enim partialis et sanguinis congestio, in vasa inferiora menstruo potius fluxu levatur aut tollitur. Topicae caussae rarius accusandae sunt: quanquam Hemmanno fides habenda, qui e calculis vesicarum seminalium haemorrhoïdes observavit (*Richters.* Bibl. IV. 681).

F. De metrorrhagia.

§. 396.

Cum naturaliter uterus sanguinem per menstruos circuitus in sanis mulieribus, quae partum haud gestant, dein etiam post exclusum foetum, profundat: *metrorrhagia* vocandus est sanguinis cursus, qui citra ea tempora contingit, aut adeo copiosus est, ut symptomata plura adducat. Differt autem sanguinis fluxus pro vario mulierum statu: vel gravidae sunt, vel non gravidae, vel

parturiunt aut foetum enixae sunt. Quae discrimina maximi momenti instar habent ad haemorrhagiam hanc dignoscendam.

§. 397. *Continuatio.*

Quae uterum non gestant, e variis caussis praeter naturam sanguinem e pudendis partibus profundunt. Praeter naturam autem sanguinem profundi cognoscitur tum e crebriori recursu (bis per mensem), tum e copia nimia sanguinis (libram superat); maxime vero e symptomatibus morbosis eum excipientibus. Namque nec copia nec crebrior reditus per se morbosum faciunt hunc sanguinis fluxum, cum exempla sint virginum sanguine abundantium, ceteraque sanarum, quae tum frequentius tum copiosius sanguinem menstruum profundunt, illaesa omnino sanitate.

Est vero opportunitas quaedam, educatione acquisita, praecipue accusanda. Puellae delicatiores, artibus variis librorumque lectione politiores ornatioresque, sedili adsuetae et conviviis muliebribus, quae theae infusum sorbillando celebrantur, sentiendi facultatem abnormem acquirunt, inaequabilem patiuntur virium dispensationem, atque, cum ad id aetatis pervenerunt, ubi pubere incipiunt, sanguinis circuitu irregulari, spasmis variis et viscerum abdominalium labe conflictantur. Hanc equidem caussam nimii sanguinis fluxus jam ante septemdecim annos exposui, Hohnbaumius Hildburgensis nuper uberius docuit (*Ueber eine besondere art des übermässigen monatsflusses.* Erlang. 1811).

Necesse igitur est, in habituali ea metrorrhagia ad educationis vitia et ad constitutionem puellarum consilium transferatur. Solet etiam ea causa prodi variis spasticis adfectibus, qui haemorrhagiam vel comitantur vel sequuntur. Pallor et frigus extremarum partium, pulsus durities et spastica indoles; tensio praecordiorum et vomitus irriti; angores et oppressio pectoris; palpitationes cordis; urina limpida spasmisque intercepta; horrores frequentiores et tremores; somnus inquietus et variae imaginationis turbae signant eum statum, quem hic accusandum esse duco.

Interdum solent immanes esse ab hoc vitio virgines: protinus vero ut nupserunt viro utique robustiori, maxime si crebriores partus semet excipiunt, si vel laboribus gravantur, vel potibus calidioribus et spirituosis adsuescunt, si aerumnis conflictantur et animi frequentibus commotionibus haud rarum est, in eam incidere aegritudinem, quae nimium adfert sanguinis fluxum.

§. 398. *Continuatio.*

Ad haec et alia incitamenta partium adfectarum notanda sunt. Virgines aut mulieres laxiores, arthritidi praesertim obnoxiae, quae vel manibus stuprum committunt, vel complexibus venereis nimis gaudent, vel pessariis utuntur, vel acria ingeriunt exaestuantia, quae sanguinem violentius cient, vel calore externo nimio pudendas partes fovent, sanguinis fluxibus nimiis conflictantur. Hinc macellariae mulieres, quae in pergulis apertis prunа-

rum acervo per totum diem insident, sorbitionibus calidis aquosisque indulgentes, vel nimios sanguinis cursus vel fluorem album etiam patiuntur.

Dein et uteri aut partium finitimarum vitia circumspicienda sunt. Polypos uteri (*Path. gen.* §. 108), procidentiam (*ib.* §. 223), inversionem et retroversionem uteri (*ib.* §. 224) haemorrhagiis hisce occasionem praebere, supra jam monuimus. Hinc et tumores scirrhosi (§. 311) aut steatomata (*Portal: cours d'anat. méd.* 5, 531) interdum accusari possunt.

Insuper et per consensum uterus nonnunquam incitatur, praesertim eo tempore, quo naturaliter sanguis id locorum irruit. Sordes gastricae et biliosae, verminosa colluvies, arthritis et stases abdominales in praecipuis caussis nominandae sunt, quae huic fluxui ansam largiuntur.

Variae epidemiae, inflammatoria, maxime putrida, tum etiam scarlatina popularis et febres intermittentes eo modo periculum adferunt, ut sanguinem ex uteri vasis nimia copia profundant.

Denique frequentissima caussa quaerenda est in scansili annorum lege, seu ea corporis muliebris dispositione, qua fit, ut, dum quadragesimum-quintum aut quinquagesimum attigerint annum, ordo menstruorum status cessat, atque, vel obrigescentibus vasis vel stagnante sanguine, modo impetus nascatur, modo interceptio cursus sueti. Interdum cum hemorrhoïdibus alternare aut cum fluore albo consuescunt tales haemorrhagiae: totum corpus labe adficitur, cum nutritio quoque labascat,

si sanguinis circuitus adeo turbatur. Animi corporisque quies, victus modicus, itinera et reliqua, quae serenum hilaremque animum reddere possunt, expeditissima sunt artis praesidia.

§. 399. *Continuatio.*

Partum gestantes mulieres sanguinis cursibus obnoxias esse haud adeo rarum est. Quodsi enim sanguine abundant, aut si uterus gravidus vasa iliaca comprimit, irruere potest vasa colli uterini et vaginae, atque ex iis profluere. Casum non magnum habet, dummodo dolores nulli adsunt, neque os uteri aperitur (*Roederer: opusc.* 400; *Schröder: opusc.* I. 295).

Ut autem ad tertium graviditatis mensem ventum est, cum ossibus foetus conferventibus pondus ejus augetur, uterus magis pansus, fundo praeprimis turgente et mollito collo ac orificio (*Phys.* §. 545), sanguinis profusionem ancipitem pati potest, quae plerasque abortiones praegreditur. Si uteri obliquitas aut obliqua placentae adhaesio sociatur, ex hujus imperfecta solutione periculosae derivantur haemorrhagiae: quae, quod huic caussae tribuendae sint, cognoscitur e doloribus partum praesagientibus et in uteri os aperiendum agentes. Simul sedulo examinanda sunt cuncta ex utero secedentia sanguinis coagula, ut pateat, exilis foetus, placenta, vel membranacea quaedam lacinia, ex amnio forte dirupto, aut molae pars, aut tunicae deciduae mucosum fragmentum una excutiantur. Provoluto amnio, uterus idoneus iterum ad contractionem fit

qua sanguinis fluxus compescitur. Placenta etiam et grumi sanguinis obturamenta sistunt, quibus sanguis coërceri potest. Multo pejus agitur cum gravida, si placentae media forte pars solvitur, integro ambitu: tum enim sanguis necessario jugiter affluere atque letalem postremo sanguinis colluviem ciere debet. Obtusus oritur dolor in utero, inflatio ejus et ardor: virium jactura cum pallore cutis et frigore.

Sanguinis haec profluvia et abortio juncta existunt ab animi pathematibus violentis iisque omnibus, quae corpus concutere sanguinisque impetum ciere valent, ut placentae adhaesio solvatur. Concubitus justo frequentior aut violentior; ponderum gestatio; tractio brachiorum; cursus, vomitus, sternutatio, tussis aliaque id genus in teneris mulieribus accusanda saepius sunt. Epidemicae quoque febres idem efficiunt; namque et sordes gastricas et nervosam constitutionem et putredinem etiam humorum abortionibus ansam praebere haud rarum est.

§. 400. *Continuatio.*

Dum ad ultima graviditatis tempore ventum est, nascuntur sanguinis periculosa profluvia e placentae ad inferius segmentum et ostium uteri adhaerentis separatione, dum subito ampliatur cervix et os uteri. Nisibus variis et doloribus, qui parturientibus familiares esse solent, incipit sanguinis profusio, per vices cessans atque demum magnopere ingravescens. Dilatato interea orificio tactu percipi-

tur placenta ac pone eamdem interdum amnios tunica renitens et pausa. Cessat quandoque haemorrhagia, dum densa ovi velamenta et infans ipse comprimunt placentam, ac denuo excluduntur, quamlibet exitus ille satis anceps sit. Acceleratio partus, quae arte fit, unicum praebet praesidium mortis. Neque tamen et haec ipsa citior justo foetus exclusio, ubi a violentiis aut a recto axis pelvis positu efficitur, sine culpa est. Doloribus enim nimis velociter semet excipientibus, os uteri nimis ampliatur, secundinae cum foetu excutiuntur, priusquam uterus rite contrahi possit. Nonnunquam etiam uteri fundus celerrime circa placentae partem contractus inferiorem liberam mittit, e qua continuo stillans sanguis cohiberi nequit, nisi contractione illa remissa.

§. 401. *Continuatio.*

Per partum et brevi postquam enixa est mulier foetum, rumpitur interdum uterus, quod vitium cum supra (*Path. gen.* §. 200) tractaverimus, hic repetere non licet. Id tamen monendum, et vasis peculiaris cujusdam laesionem per ulcera praegressa aut per violentam foetus extractionem metrorrhagiae parturientium letali ansam praebere (*Boër : natur. medic. obstetr.* 308).

Bene distinguenda est laxitas seu atonia uteri, quae ingentia sanguinis profluvia caussatur, nec nisi fortioribus stimulis cedit. Ut uterus digitis exploratur, ostii et parietum laxitas manifesto sentitur; obvia praesertim in mulieribus, quae diu jam fluore albo aut procidentiis conflictatae erant.

Denique grumi sanguinis aut reliquiae secundinarum hactenus irritare valent vasa uterina, ut adsiduo sanguinem profundant. Baudelocquius vidit octo aut decem diebus post partum ex hac caussa haemorrhagias nasci.

G. De morbo maculoso-haemorrhagico.

§. 402.

Morbus febris expers, maculas efficiens lividas per corpus sparsas et sanguinis profluvia e gingivis et oris ambitu, *maculoso-haemorrhagicus* Werlhofio primo, Swedianero vero *peliosis* dicitur, commutatus cum morbo lienoso et coeruleo. *Morbus coeruleus* enim sine vitio cordis existere, nequit spirationis summam adferens difficultatem (*Path. gen.* §. 201). Lienis vitia quoque aliena sunt ab hoc morbo, qui summum vasorum capillarium laxitatem et atoniam telae cellularis supponit, a debilitate quidem universali ortam, sed diversam omnino a scorbuto, qui depravationem humorum singularem producit, asthmaticos etiam adfectus, dolores artuum et oedemata. A veritate non recedit, scorbuticas aegritudines varias, quae in mediterraneis regionibus observatae fuisse dicuntur, ad hunc potius pertinere morbum.

§. 403. *Continuatio.*

Qui in hunc incidunt morbum, egeni sunt, inopia, aerumnis, victu tenui aut praegressis aliis morbis fracti. Praecurrunt symptomata debilitatis

universalis, lassitudo membrorum, somnolentia et morositas. Febris plerumque deest; frigus potius in toto corpore queruntur, pulsibus vel tardis, vel crebrioribus, sed exilibus, languidis.

Tum nascuntur maculae purpureae, disco coeruleo, ambitu rubro, monetarum parvarum mole in trunci partibus variis: minores sparguntur per brachia et manus; minimae, pulicum morsus aequantes, in facie. Hae sine pruritu existunt: post potus vero exaestuantes pruritus cum aestu oritur, maculis floridioribus. Confluunt interdum; nonnunquam ita elevantur, ut tumores purpureos sistant, qui incisi sanguinem fundunt. Simul in oris ambitu, maxime in gingivis, maculae lividae fungosae apparent, quovis tactu aut motu oris linguaeque sanguinem copiosum profundentes. Obducuntur escharis, pariter cruorem lividum foetidum stillantibus: postquam vero deciderunt, sanguinis profusio cessat, neque cicatrix superest. Nec alia adsunt, sanguinis profluvia, nec e vena missus quiddam morbosi ostendit.

Interea aegri indies magis infirmi, cupiditatem ciborum et movendi facultatem amittunt. Pallescunt et frigent, membra contremiscunt, capitis dolores, temulentia et vertigines non raro in animi deliquia abeunt.

CAP. II.

DE ALVI ALIISQUE PROFLUVIIS.

A. De dysenteria.

a. *Summatim*.

§. 404.

Dysenteria, difficultas intestinorum, appellatur morbus torminibus intestinorum et tenesmo designatus, cum retenta naturali alvi excretione et secessu humorum mucosorum, cruentorum vel alio modo praeternaturalium. Populariter plerumque in zona temperata per adultam aestatem, quae in autumnum vergit, grassatur: nonnunquam tamen sporadica est, interdum diutius trahit.

Initia morbi, dum popularis est, varia sunt. Mox enim alvo cita ita incipit, ut limites fere finiri nequeant; vel inflatio abdominis cum spiritibus crebro elisis et torminibus ventris exordium constituit. Vel vomitus praecedit, cum nausea, lingua sordida flavaque et sapore amaro, pravo, putrido: quae vomitu excutiuntur, non satis aeria sunt, sed vel ciborum reliquiae, vel pituita, vel fellis sinceri parva copia. Acidam tamen acrimoniam frequenter adesse patet tum e ructibus acidis, tum e pregraessis caussis, quae acorem contrahere valent, ut potus cerevisiae haud satis fermentatae, tum etiam e rosione intestinorum nonnunquam continua (*Rademacher: de dysenteria*, p. 151). Praecedunt vulgo horrores et tensiones e dorso orientes,

cum capitis dolore (*Zimmermann: von der rhur*, 18) et sensu compressionis in fronte: languor et defatigatio membrorum; morositas; cupiditas ciborum penitus amissa; rarius tamen viget; pulsus concitati, spastici, haud regulares.

§. 405. *Continuatio.*

Adgreditur morbus ipse vel cum febre, vel etiam sine eadem. Febrem nonnunquam deesse, ut Akensidius et Pringlius observarunt, vel lenitati morbi vel fallaciae malignae adscribendum. Plerumque tamen adeo gravis est febris consideratio, ut primariam habuerint Sydenhamius et Hillarius: ea enim curata tolli etiam intestinorum adfectus, neglecta in gangraenam et pessimos exitus verti (*Hillary: über Barbados*, 251). Vulgaris dysenteria, quae popularis est et autumnalis morbus, febrem habet sociam remittentem rheumaticam, typo tertianario, cum halitu oris pravo, spiritibus continuo per alvum elisis et torminibus. Haec quidem palmarium constituunt symptoma, rarissime absens, tenesmo solo vicem gerente (*Lentins.* Beitr. 2, 33). Tormina haec haud uno tenore vigent, sed per intervalla augescunt et minuuntur: decubitus in dextro latere et adductis pedibus levare ea solet: recurrunt fere noctu et post pastum: simulac ingesserunt quiddam, sentiunt cibos velociter per intestina delabentes. Maximi interest, tormina haec brevi praecedant excretionem, sive diutius crucient aegrum, priusquam alvum deponat. Hoc enim, in tenuibus, illud, in plenioribus intestinis

morbum figi notat. Tenesmus constantior est ipsis tormentis, superest, dum alia silent symptomata, nonnunquam ardore urinae, interceptione etiam jungitur; in infantibus sequi solet procidentia ani.

§. 406. *Continuatio.*

Quidquid alvo descendit, humores complectitur morbosos: rarissime interpositis e cibo recte coactis. Quae ubi cum flatibus praesertim dejiciuntur, mitigatam esse morbi vehementiam, indicio est. Cetero alvus esse consuescit vel mucosa vel cruenta, unde discrimen dysenteriae nonnulli repetierunt. Benignus satis est morbus, si cum muco intestinorum striae cruentae aut stercoris aliquid fusci excernitur. Inferiora intestina adfecta esse probabile est. Quodsi vero cruenta dejiciuntur, e superioribus intestinis deferuntur, sanguinemque sincerum aegro interitum minari, Sydenhamus jam perhibuit. Neque tamen eo minus frequentia sunt dysenteriae exempla, quae praecipitarent aegrum sine ulla cruenta dejectione, ubi vel mucosa e laxatis penitus intestinis, vel saniosa ex ulcusculis prodirent, vel nihil omnino ejiceretur.

Quo gravior morbus, eo magis e naturali indole recedunt, quae deponuntur. Interdum similia sunt albumini aut glutini limpido: nonnunquam sanies foetida excernitur; interdum caruncula aut strigmenta sebacea, membranularum etiam fragmenta, pustulae, ulcusculorum reliquiae: quibus si accedit ciborum omnium aversatio et sitis ardens, pessima quaeque praesagienda sunt.

§. 407. Continuatio.

Interea symptomata constantia perseverant: tormina ventris, tenesmus, febrisque vesperi exasperata. Somnus interpellatur, vires magis infringuntur; vomitus crebrior fit et magis irritus, aut acerrima ejiciens, aut spasmis vesicae, gulae aliarumque partium, singultu et palpitatione cordis jungitur; pulsus magis exiles fiunt, irregulares et spastici. Interdum sudor frigidiusculus, glutinosus per corpus funditur: miliaria exanthemata aut petechiae per corpus sparguntur, mox iterum subsidunt, neque quiddam boni adferunt. Pessimo omine aphthae surgunt per oris ambitum, vesicularum limpidarum, cinerearum, lividarum specie, oris pallidis saxisque cinctae, ad bonam suppurationem minime spectantes, sed vel brevi subsidentes vel partes finitimas exedentes.

Perniciem augurari licet, si manus algent, si pulsus frequentia cum debilitate increscit, si aeger a se exit atque vel desipit, vel soporatur, si carpit digitis stragula, si tendines subsiliunt, si facies pallet et collabitur, oculorum acies minuitur aut penitus deest, si singultus vehementior fit, nihilque omnino per alvum descendit, tenesmo tamen perseverante. Mirum est, in tanta virium prostratione tantillum tamen superesse, ut surgere e lecto et latrinam adire possint. Huic enim insidentes, desidendi cupiditate cruciati, nonnulli exstinguuntur.

§. 408. Continuatio.

Bonum exitum praesagire licet, si cum febre mitiore tormina brevi in excretionem abeunt; si, quod deponitur, mucosum est, striis flavis, cruentis aut fuscis stercoribus mixtum; si levaminis plurimum ex hac excretione consequitur; si pulsus simul molliusculi, magis elati et pleniores fiunt; cum sudoribus calidis recreantibus, urina copiosa, e qua, quod desidit, leve est et coctum: si cupiditas ciborum restituitur, vomitu cessante, sanitas consequi potest septimo die aut nono. Interdum salutem attulit, maxime si sanguine abundarent aegri, menstruus sanguinis cursus; in gravidis etiam partus (*Mursinna: von faulfiebern und ruhren*, 62. 63); in hominibus arthritidi obnoxiis accessus hujus morbi (*Stoll: rat. med.* V. 440); in aliis alvus cita biliosa. Supersunt plerumque flatus copiosi et peculiaris fructuum horaeorum aversatio, quam sequuntur molestiae, quasi venenum sumsisset convalescens (*Vogler: von der ruhr*, 13).

Saepius accidit, tenesmum remanere diuturnum post dysenteriam, cum tuberculis ad anum et haemorrhoïdibus coecis; procidentias etiam ani cum resolutione membranae interioris; alvum pertinaciter obstipatam et choleram. Si constitutio epidemica eo inclinat, abit dysenteria etiam in sensuum hallucinationes, surditatem et coecitatem aut resolutionem singulorum membrorum Saepissime oedemata et hydrops inter cutim, abscessus etiam glandularum et ulcera, intertrigo aut scabies spuria se-

quuntur. Interdum, cum inepta accedit curatio, celeriter aliquid abscedit in organa nobilia, ut anginae, pectoris inflammationes et deliria nascantur.

§. 409. *Continuatio.*

Cadaverum sectiones in vulgari dysenteria, autumno crassante, alia viscerum vitia ostendunt ac eae, quae in tropica aut aliis specibus institutae sunt. Etenim glandulae tenuium intestinorum tumidae, ceterorum arrosae aut ulceratae aut cruentae, intestina ipsa crassa, anguillarum similia, gelatina obducta et vasis innumeris percursa, ut post enteritidem fit, conspiciuntur. Nonnunquam paries internus intestinorum quasi variolis aut pustulis consitus, pustulae caseosa substantia repletae, interdum tubercula mesenterii et abscessus, nonnunquam carunculae in ulceratis intestinis crassis inveniebantur. Rarius intestina tenuia valde dilatata, aëre expansa: omentum quasi cera rubra injectum aut corruptum, colore depravato, erat. Cum mitissimus esset morbus, rectum duntaxat intestinum adfectum videbatur: id enim ulceratum erat atque erysipelate tumidum. Nonnunquam folliculus fellis vel vacuus erat, vel bilem paucam continebat, alioquin atram atque piceam. Ventriculus etiam subinde arrosus aut effuso cruore maculatus erat.

b. *Varietates et compositiones.*

α. RATIONE AETATIS ET SEXUS.

§. 410.

Infantium alii morbi cum dysenteria grassante singulari modo junguntur. Dum tussis convulsiva simul regnat, haec alvo cita et tormentis abdominis sociatur, nec propria tussis convulsivae symptomata ostendit, nisi febris prius cessaverit aut minuta fuerit. Variolae etiam et morbilli ad dysenterias accedunt, his ita nuptae, ut difficilius perficiantur. Praeter id connubium, infantes memini periclitari maxime, si dentiunt aut corpus alio modo evolvitur. A quinto anno ad decimum usque infantes frequentius succumbere dysenteriae, Hippocratis effatum est (*Praedict.* 2. 119). Ceterum propter acidam acrimoniam, cui infantes obnoxii sunt, in curanda dysenteria opio vel omnino abstinendum vel ita utendum est, ne alvus obstipetur et digestio labascat. Id denique animadversum est, infantes, dum totam noctem inquiete transigunt, per dies fere soporibus teneri.

Quodsi mulieribus dysenteria adflictis menstruus sanguinis cursus instat, interdum nulla omnino incommoda sentiuntur: alioquin vero graves contingunt ventris lumborumque dolores, parca plerumque sanguinis copia, atque supplente fere vices menstrui cursus dysenteria (*Rademacher: de dysenter.* 230). Quodsi gravidae hoc morbo corripiuntur, abortire rarum est. Nec lactantibus periculosus est,

si modo benignus fuerit; lac quidem minui ac tandem evanescere solet, neutiquam tamen in infantem transire morbum memoravimus.

β. Ratione popularis constitutionis.

§. 411.

Rheumatica dysenteriae compositio adeo vulgaris est, ut ipsam multi pervellent *rheumatismum intestinorum* nuncupare. Nos vero, memores praecepti, quod Galenus edidit (*Meth. med.* 2. 47) perinde esse, sive *Theona* sive *Diona* appellaverit quispiam aegrum, dummodo rite morbum cognoscat ac idonea adgrediatur curatione; rheumaticam habemus potius compositionem dysenteriae, quae populariter per autumnum grassatur. Haec enim sequi rheumaticos tumores artuum atque in eos abire visa est. Id habet vero peculiare, quod frigus externum aeger difficillime ferat, tensiones queratur dorsi cervicisque, deglutiendi maxime difficultatem per totum etiam morbum, dolores dentium auriumque, gravedinem et tussim. Tormina noctu praeprimis ingravescunt, cum tenesmo et excretione muci striis cruentis mixti. Mictio plerumque dolens, spasmis intercepta: ventriculi etiam sensus acutissimus ex irrito vomendi conatu et prasina bile ejecta semet prodit. Nonnunquam ardorem ventriculi intestinorumque conqueruntur, saepe citra inflammationis suspicionem. Neque tamen deest ubique haec suspicio, quippe inflatio ventris dolentissima, impotentia stomachi ac intestinorum quidquam retinere et ischuria hanc augent.

Convalescentes ex hoc morbo, catarrho pulmonum conflictantur, aurium sonitu et difficili auditu: alii doloribus pectoris pungentibus cum oppressione pectoris. Nonnulli etiam exanthemate rodente et pruriente occupabantur, quo terminabatur dysenteria, quo etiam praevertebatur, si prius ingruerat. Voglerus vidit dysenteriam diuturnam cum tali exanthemate alternantem. Frequentiores sunt hydropes in convalescentibus, dolentissimi, nec tamen saluti valde noxii. Dein etiam laevitas intestinorum, quae λειεντερία dicitur, alvus biliosa et mucosa sequi dysenteriam consuescunt. Tutius est, si convalescentes ciborum cupidissimi sunt siccescente ore et palato, dolentibus etiam intestinis, quoties alvum deposituri essent.

Qui hac compositione decedunt, intestina habent incrassata ac corii ad instar obdurescentia: ulcera fere desunt.

§. 412. *Continuatio.*

Biliosam esse dysenteriae compositionem haud rarum est, inprimis si aestiva etiamnum viget constitutio. Nascitur e febribus biliosis, in easdem transitura. Sordes gastricae atque biliosae praegrediuntur morbum, aut in ipso exordio jam adsunt; sapor oris amarus, continuum fastidium, lingua sordida, alvus biliosa: urina etiam crocea. Vulgaria haec sunt symptomata in dysenteria tropica: quibus cum accedere soleant dolores regionis epigastricae dextrae et scapulae ejusdem lateris, icterus etiam et tussis clangosa, probabile est, dysen-

teriam tropicam jecinoris adfectioni maxime esse tribuendam (§. 265). Confirmatur id cadaverum sectionibus; namque jecur vel ulceratum, vel colluvie sanguinis et saniei exesum vel tumidissimum fuit: vesicula fellis etiam turgida ac splen tumidus et marcidus (*Boag: in medic. facts and. obs.* IV. 1).

§. 413. *Continuatio.*

Inflammatoria compositio frequens est vel vere vel in junioribus, robustis sanguineque abundantibus, vel etiam, dum popularis constitutio eo inclinat. Febris multo validior, ardentior et magis continens est: tormina ventris atrociora, magis adsidua, cum anxietate incredibili, siti exstingui nescia, lingua arida et rubra, doloribus pectoris pungentibus, et sensu ventriculi adeo acuto, ut nihil ciborum ferant. Pulsus etiam creberrimi, pleni, fortes: habitus inflatus et ruber: tensio abdominis dolentissima: urina flammea et proclivitas ad sanguinis fluxus signant hanc compositionem. Desidendi cupiditas frequentissima minime proficua est: quod enim deponitur alvo, vel parum cruoris est, vel nihil omnino, unde *siccae dysenteriae* nomine venit. Perniciem minatur haec compositio, cum ad frequentissimos tenesmos summamque sentiendi facultatem abdominis et intestinorum singultus accedunt et faciei distorsiones, animi deliquia cum vomitu irrito aut porraceo; dum desipit aeger aut a se exit. Tum enim viribus prostratis gangraena et sphacelus intestinorum accelerantur.

Subinde sporadica haec est compositio, sueto-

rum sanguinis fluxuum suppressione orta. Namque quae a menstruo sanguinis cursu, a lochiis, aut viri, qui ab haemorrhoïdibus fluentibus deficiuntur, in dysenteriam hanc incidere possunt, minus perniciosam quam salubrem.

§. 414. *Continuatio.*

Gravissima est et exitiosa saepius dysenteria *nervosa* seu *maligna*. Dum populariter grassatur febris ejusmodi, species morbi varia decipere nos nequit, siquidem symptomata varia esse possunt: nec e solis nervosis symptomatibus judicanda est haec compositio, nec e querelis aegri de lassitudine, quae in quavis graviore dysenteria sentitur. Id tamen ante omnia memorandum est, summam virium jacturam, quae voce debilissima, oculorum acie amissa, pulsibus variis, exilibus tamen et valde irregularibus cognoscitur, praecipue notare hanc compositionem. Tormina ventris vel validissima sunt, vel parum sentiuntur, cum aeger a se exit: tenesmus solus interdum urget cum ventre inflato et dolentissimo: emittuntur albuminosa, aut caruneulae, aut lumbrici etiam, nonnunquam nihil omnino. Vomunt porracea, atra, sine ullo fructu aut levamine. Nervorum distensiones, singultus, ischuria spastica et dysphagia, floccorum lectio et tendinum subsultus aegrum torquent. Interdum accedunt exanthemata miliaria, petechiae et ecchymomata cruoris. Tandem sopores cum resolutionibus sphincterum adjungi solent, quibus exitium nunciatur. Sphacelum externarum partium criticum

in convalescentibus observavit Zimmermannus (*Von der ruhr*, 222). Putridam etiam depravationem ad hanc compositionem accedere posse in dysenteria castrensi, boni observatores experti sunt, Murrsinna praeprimis et Pringlius.

§. 415. *Continuatio.*

Tandem *diuturna* dysenteria peculiaris est ingenii. Nascitur ex acuta neglecta aut victu pravo tracta. Quod dum contingit, in longum saepe tempus porrigitur, sine gravioribus noxis et ipsarum mulierum gravidarum (1). Ex arthritide anomala dysenteriam existere, Stollii est observatio. Nonnunquam ad tabem, phthisin pulmonalem, hepatis ulcerationem et alias cachexias accedit, ubi vel ulceratas intestinorum tunicas vel summam eorum resolutionem, superstite sphincteris tenesmo, supponit.

c. *De caussis dysenteriae.*

§. 416.

Sentiendi facultatem aut receptivitatem intestinorum magnopere auctam esse in hac aegritudine, nemo negabit, qui symptomata secum reputaverit. Namque et tormina ventris et tenesmus,

---

(1) Καὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, καὶ αὗται περιγίνονται ἐς τοὺς τόκους τε καὶ ἐκ τῶν τόκων, καὶ τὰ ἔμβρυα διασώζουσιν, αἵματός τε καὶ ξύσματος διαχωρεόντων καὶ πολλοὺς μῆνας. Praedict. II. 122.

constantissimi comites, e quonam fonte, nisi ex aucta sentiendi facultate, momenti igitur utriusque, quo vis vitalis constituitur, ratione perturbata exponi possunt? Membranam mucosam, glandulasque, quibus abundat, peculiarem esse sedem hujus morbi, tum e secretionibus perversis, tum ex adfinitate cum rheumatismo, tum e cadaverum etiam sectionibus elucet. Naturalem autem stercorum excretionem sufflaminatam esse in hac aegritudine, necessarium est ob secretiones perversas, quae cum vasorum capillarium auctam irritabilitatem supponunt, vel cruorem ipsum effluere vel mucum e glandulis depravatum jubent. Cum secretiones gubernentur ac moderentur nervorum efficacia, gangliosorum etiam nervorum, qui provident intestinis, actionem esse perversam manifestum est: hinc organicus sensus a norma declinat, ac vel dolores atroces vel varias sensationes praeternaturales producit. Inflammatio intestinorum quamvis haud plane aliena sit ab hoc statu, differt tamen vasorum capillarium hactenus aucta receptivitate, ut, sublata eorum indifferentia, in arteriarum abeant naturam: quod sine singularibus exitus speciebus contingere nequit. Abire tamen nonnunquam dysentericum intestinorum statum in inflammationem, sociari etiam inflammatione aliorum viscerum, supra jam monui. Si velamenti, quo musculi distinguuntur et membranarum serosarum adfectionem rheumatismum esse probatum est (§. 74); alienus quidem hic est a dysenteriae natura, neque facile dici haec vel rheumatismus vel catarrhus intestino-

rum potest. Nasci tamen e rheumatismo, elucet e communione membranarum mucosarum cum serosis, inde etiam, quod membrana cutis mucosa facile particeps rheumatismi fiat, e qua igitur celeriter in intestina propagatur adfectio, propter consensum ac consortionem partium eadem compage insignium. Neque rheumatismus ad intestina abscedens semper dysenteriae nomine venit, nisi popularis indoles consentiat.

§. 417. *Continuatio.*

Exposita interiore natura hujus aegritudinis, investigandae sunt caussae remotiores, quae intestinorum eum adfectum producere valent. In his autem potissimum numerandum est contagium: de quo licet contrariae sint medicorum sententiae, exploratum tamen habemus, nervósam et malignam dysenteriam omnino contagio propagari, licet *Zimmermanno* adsentiamur, non constantem, sed fortuitam esse infectionem atque nimiae humorum corruptioni tribuendam. Hinc Degnerus merito jam observavit, plures infici iis, qui morbo hoc exstinguerentur, quam aliis, qui morbo convaluerunt. Cumque contagium aëre libero facilius depellatur, in angiportis et vicis urbium angustis obscurisque saevius grassari solet dysenteria. Hinc patet, non solo contactu, sed per ipsum aërem etiam contagium propagari, cum hic corruptione eo inclinat. Fomitibus adhaeret, stragulis, lodicibus et vestimentis: per latrinas quoque et lasana propagatur.

§. 418. *Continuatio.*

Morbus est anniversarius, aestati ad finem vergenti et autumno per Europam temperatam familiaris: et, cum intra tropicos maxime dominetur, climatis tropici quasi migrationem in zonas temperatas nonnulli recentiores accusarunt. Quod quam longe alienum sit a veritate, e sequentibus patebit. Etenim tropica primum dysenteria eo differt a nostra, quod hepar primitus in illa adfectum sit, ad nostram vero secundario modo, fortuito tantum, hepatitis et biliosa colluvies accedunt (§. 412). Dein nec in tropicis regionibus ad calidissimum anni tempus nec in nostra zona ad solam aestatem flagrantissimam adstricta est. Hunterus enim vidit in Jamaica dysenteriam grassantem, cum aër jam, noctu inprimis, perfrigesceret. Idem quoque in Europa temperatiore accedit, Hippocratis jam testimonio, qui autumnalibus morbis potius quam aestivalibus nostrum accenset. Accedit et vere, et hyeme occurrere epidemias, nonnunquam etiam grassari nullo respectu ad anni tempora habito (*Akenside: in Schlegel thes.* I. 285).

Calor minime solus aëris, sed humida etiam ejus indoles et uliginosa et depravata accusanda est tum in tropica dysenteria, tum etiam in nostrate. Namque perniciosor est dysenteria in humidis regionibus Senegambiae et oris maritimis Jamaicae, quam in montibus: exitiosior versus finem aridae tempestatis, cum pluviae continuae regnant, quam dum aestus siccus dominatur. Nec exolevit memo-

ria tetrae illius dysenteriae, quae borussicum exercitum corriperet anno 1792, cum Campaniae paludes adgressus esset autumno. Et Hufelandius observavit Rudstadii, propter humilem situm et lacus viciniam gravissimas esse dysenterias: et Abr. Vaterus nebulae foetidae olim tribuit dysenteriam letalem. Quinetiam Hippocrates, dum ver fuerit pluviosum et australe, aut etiam, dum post hyemem pluviosam et tepidam ver siccum fuerit et aquilonium, dysenterias pariter grassari observavit (*Aph.* III 11. 12): inflammatorio forte charactere posterioris, putrido aut nervoso prioris. Itaque minus calori nimio atmosphaerae quam vicissitudinibus repentinis frigidi calidique aëris et vaporibus noxiis paludumque humidaeque telluris tribuenda est constitutio anniversaria.

§. 419. *Continuatio.*

Neque sine culpa sunt vel cibi vel potus intestina irritantes et secretiones pervertentes. Fructus horaei immaturi, aut, dum corpus exaestuatum perfrigescit, nimia copia ingesti, aut ῥοάδι obnoxii, quae aphidum est congeries, melleis plantarum humoribus adlicita, dysenteriam caussantur (*Zinke: über die diesjährige ruhrepidemie.* Jen. 1801). Potus cerevisae, quae non satis fermentavit, vini e pomis aut piris parati, aquae impurae, e flumine Sequana, aut diutius servatae, haud immerito accusantur. Animi perturbationes violentae, dum viget popularis constitutio, praecipitare in hunc morbum valent. Neque demum negligen-

dus aliorum morborum transitus in hunc, dum intestina participant adfectus cutaneos aut aliorum viscerum.

B. De cholera.

§. 420.

Gravissimus est morbus et magnum recipit casum violentissima et creberrima humorum corruptorum biliosorum per os et anum excretio, quae multo magis aestati flagranti familiaris est quam dysenteria. Bilis enim corruptionem nasci e nimio calore, jam supra (*Path. gen.* §. 124) probavimus. Hinc etiam in climate tropico magnopere vulgaris est atque ex hepate inflammato pariter ortum ducit ac dysenteria tropica (§. 265). Cum agricolae et messores nostrarum terrarum eo morbo corripiuntur, non caloris solum et frigoris repentinae vicissitudines, sed potus etiam cerevisiae male paratae aut non satis fermentatae, vinorum e pomis paratorum sive acidorum, aquae frigidissimae; esus fructuum immaturorum aut qui nimis refrigerant, ut melonum, cucumerum, malorum persicorum, acrium etiam rerum et cupediarum saccharo et butyro conditarum, carnium nimis pinguium, casei et fungorum; ingestio denique purgantium remediorum aut emeticorum generare eum morbum valent.

Caussis quoque adnumerendae animi vehementes commotiones. suppressae aliae excretiones, per fonticulos, menstruum sanguinem et perspirationem

cutaneam. Arthritis postremo anomala interdum visa est hunc morbum producere.

Itaque summam virium muscularium, quibus ventriculus et intestina gaudent, incitationem, qua motus pervertitur et magnopere acceleratur, accusandam esse liquet. Hanc quoque jecur participat, unde secretio bilis nimis augetur et turbatur.

§. 421. *Continuatio.*

Praecedunt interdum morbum symptomata sordium gastricarum; fastidium, sapor amarus, plenitudinis sensus in praecordiis, cardialgia; lingua sordida; ventris inflatio dolens. Urina solet esse turbida, saponis male soluti similis; pessime foetet; quod subsidit, lateritium est atque in superficie natat cuticula versicolor.

Nonnunquam tamen repente ingruit morbus doloribus intestinorum et ventriculi atrocissimis, anxietate, ardore partium intestinarum et algore extremarum. Ad haec sensu defatigati, tracti et lacerati corporis, animi desponsio, tremor manuum, pallor faciei, pulsus debiles, exiles, creberrimi; horrores cum caloribus alternantes; spiritus vehementes creberrime ducuntur; tum vomitus continui et alvi dejectiones, quibus bilis acris, porracea, foetida ejicitur, quibusque angores, virium jactura et nervorum distensiones increscunt.

§. 422. *Continuatio.*

Remittere semet solet morbus post vigintiquatuor horas, cute madente, doloribus ventris et lumborum parum mitescentibus. Sed brevi recurrit accessus, frigore inchoans et capitis temulentia; cardialgia, inquietudine, vomitu et alvo cita magis auctis. Nonnunquam, quidquid in progressu morbi vomitur, velut creta est cum aqua molita, adeo tamen corruptum et acre, ut dentes orisque ambitus rodantur atque nigrescant, ut halitus oris incalescat et foeteat. Interea vires magis magisque prosternuntur, ardor viscerum gliscit, cum algore artuum; singultus accedit et nervorum distensiones, tendinum subsultus cum animi deliquiis: totum os et lingua nigrescunt, loquela impeditur: atque apoplexia postremo aut sphacelus finem morbo imponit.

Cum in tropicis regionibus vel hepar adfectum sit, vel aliae accedant varietates, non mirum est, faciem ita subinde mutare, ut, *mortis caninae* (*Mort de chien* : *mal de terre*) nomine, paucis horis interimat aegros: neque absona est indigenarum curatio, quam moxae ope instituunt, cum hepatis adfectiones cum surarum ulceribus germanitate quadam nectantur, stimulo igitur fortissimo, per consensum orto, possit incitatio jecinoris amoveri. Nonnunquam natura medetur huic malo, dum maturi sudores nascuntur, ac post maculas ad nares sanguis ex his ipsis stillat. Quodsi pulsus fiunt molliores et magis elati; si, quod egeri-

tur, coctam magis indolem et blandiorem adipiscitur, si erysipelas in cute accedit, non rarum est eo modo aegritudinem solvi: superstitibus tamen interdum gulae constrictione spastica, ischuria, alvi obstructione aut nervorum resolutionibus (§. 265).

D. De lienteria.

§. 423.

Mirabilis profecto est morbus, quem adgredimur, *laevitas intestinorum* dictus, quod ventriculus nihil omnino concoquere, intestina vero velocissime cibos minime mutatos emittere solent. Cujus phaenomeni caussas indagaturis obvium est, ventriculum et duodenum forte atonia, intestinorum autem quod reliquum est, convulsivis motibus, magnopere saltem aucta movendi facultate laborare. Confirmatur id judicium partim cadaverum sectionibus: praeter enim abscessus mesenterii et intestinorum ulcera, paralysis pylori et ventriculi resolutio ea, qua villosam tunicam plicasque ejus evanidas excepit, post mortem inventae sunt. Itaque pessimum exemplum inaequabilis virium distributionis hic morbus sistit.

Nec refragantur observationes de caussis remotioribus. Dysenteria abire solet in hanc aegritudinem, dum praesertim viscera abdominalia, splenis exemplo, adfecta sunt (*Aph.* VI. 43. VII. 76). Frequenter etiam accedere ad tabis varia genera consuescit, ut hydropem, scorbutum et phthisin pulmonalem (*Coac.* 466. 469).

§. 424. *Continuatio.*

Orditur bulimo aut fame insatiabili, praecordiis tensis turgidisque, sensu autem vacui ventriculi, qui abit in molestiam plenitudinis, simulac quiddam ingestum est. Sapor est mucidus et stramineus, ciborum continuum fastidium, praesertim jusculorum et ciborum lactariorum. Dolores ventriculi absunt, praesto autem sunt colici dolores et tensiones intestinorum. Celerrime post pastum ejiciuntur cibi parum aut plane non mutati, haud olidi, muco duntaxat aut biliosis humoribus mixti. Vel nulli ructus flatusve molestant, vel, si mittuntur, neutiquam olent.

Sitim interea conqueri ardentem, cupiditatem ciborum nullam, languorem ingentem et inquietas noctes. Inflatio ventris gliscit cum tensionibus intestinorum: urina ardores excitat et parca copia mittitur: supernatantibus adipis ocellis aut cuticula versicolore. Cum nullo modo, quidquid ingeritur, corpus nutrire possit; cum ulcera viscerum abdominalium adsint, contabescit aeger febre hectica cum sudoribus infirmantibus, membris intumescentibus, capillis defluentibus et exanthematibus variis subnatis.

Sanescere potest aeger, dum nullum ulcerum in intestinis est vestigium: tum ructus acidus accedens et pyrosis cum urina cocta copiosa melius incipientis digestionis praesagium formant (*Aph.* VI. 1).

D. Fluxus coeliacus.

§. 425.

Si diarrhoea diuturna lactis similia emittit, corpore macrescente, *fluxus coeliacus* vocatur, satis diversus ab haemorrhoïdibus mucosis, quae citra alvi dejectionem fluere consuerunt. Hic autem omnis omnino alvi cursus lacteus est: unde nonnulli chylum esse, quidquid secedat, arbitrati sunt. A veritate autem maxime aliena est haec sententia; quum tanta chyli copia, quanta in hoc morbo per nychthemeron ejicitur, minime in tabido corpore, infirmo saltem, parari possit neque chyli similitudo nos decipere debet, propter speciem, quam lympha coagulabilis et in aliis morbis induit (§. 292). Comparatis iis, quae cadaverum sectiones docuerunt, glandularum mesaraicarum et intestinalium potissimum morbum esse elucet: earum enim tumores post mortem inventi sunt. Mucus intestinalis in glandulis paratus, ob laxata haec organa inspissatus seu alio modo mutatus, chylo similis fit aut lacti, atque nimia copia excernitur. Itaque, quae glandulas infirmant et lymphae absorbtionem impediunt, si diutius praesertim glandulas intestinales adficiunt morbo huic occasionem praebent. Hinc morbo scrofuloso, arthritico, stasibus quoque abdominalibus familiaris est haec aegritudo: hinc quoque ex haemorrhoïdali morbo eam varii observarunt. Quodsi Thilenius scabiem retropulsam abire in fluxum coeliacum animadvertit,

glandulas etiam tunicae mucosae morbum eum communicare persuasum habemus.

§. 426. *Continuatio.*

Est autem diuturnus morbus, lente inchoans sensu ponderis in ventriculo, dolore obtuso utriusque hypochondrii, praecordiorum, umbilici et lumborum, cupiditate ciborum vel amissa vel nimis excitata. Ad haec ructus acidi, anxietas praecordiorum, inflatio ventris et tenesmus post quemvis pastum. Cum desidet, loco stercorum naturalium mucus albidus lacteus secedit: quoties aliquid ingerit, recurrit haec alvi dejectio, praevio tenesmo. Cum per plures horas nihil comedit, tempore imprimis matutino, levaminis plurimum sentit; sed regrediuntur molestiae, simulac aliquid voraverit. Nonnunquam adeo crebrescit alvus, ut fere hora quavis dimidia desidendi cupiditas cum torminibus ventris et excretione lactei humoris, quantum cochlear vulgare capessit, reiteretur, unde per nychthemeron duodecim et quod excurrit unciae ejiciuntur. Nonnunquam olet is humor, interdum secus. Saepe per aliquod dies silet, ingravescit vero post ciborum quorundam, aut vinorum austerorum, acidorumque potuum ingestionem.

Cum moratur morbus, a viribus deseritur aeger, nutritio labascit, noctes fiunt inquietae, febris accenditur hectica cum pulsu duro; sudoribus deliquescit corpus: intestina ardent, extremis partibus algentibus. Tandem tabe conficitur, neque meliorem facile exitum exspectare licet.

E. De diabete.

§. 427.

Diabetis vocatur crebra lotii excretio, quod caret urica animali substantia, quod igitur nec olet nec sapit ut naturalis urina, nec putrescit, sed fermentat ac tandem mucidum fit. Quam excretionem praeternaturalem semper tabes comitari solet.

Copia quidem enormis lotii missi a quibusdam auctoribus tanquam verissima et constans diabetis nota indicatur, ut etiam superare pondus ciborum potuumque dicatur. Nec desunt testimonia auctorum fide dignissimorum, Morgagnii et Frankii, qui quadraginta libras aut quinquaginta per nychthemeron excerni observarunt. Et Galli, Dupuytrenius et Thenardius rationem urinae diabeticae ad copiam ciborum potuumque, ut 10: 9 aut ut 56: 54 invenerunt. Neque tamen desunt exempla multo minoris copiae.

Alii antiquiores auctores potulenta haud mutata per lotium abire contenderunt, quod vero, a veritate alienum, exponi potest e serosa urinae indole, quae potus varios, cerevisiam tenuem aut vinum dilutum ac vendere fugiens aemulatur. Princeps tamen est praebent palmarium indicium diabetis, odor urinae acidulo-subdulcis, quem nonnulli cum violarum odore conferunt, sapor melleus, putredinis defectus ac fermentatio vinosa; namque Michaelis (*Hufelands.* Journ. XIV. 3. 50) post

plures menses urinam diabeticam vini claritatem servare vidit et mucida cuticula obductam.

§. 428. *Continuatio.*

Quanquam recens lotium acorem praedominantem manifestat eo, quod succos plantarum coeruleos rubro colore imbuat; perfrigescens tamen odorem spirat ammoniacalem ac succos plantarum coeruleos viridi colore tingit, superstite urica substantia, maxime proclivi ad secessum et azotico abundante; insunt praeterea salium phosphoricorum vigintitres partes in centenis lotii, uricae vero substantiae vigintiduae (*Phys.* §. 292). Ab hac mixtione urina diabetica ita differt, ut melleam seu saccharinam substantiam, extractis plantarum similem contineat. Haec substantia complectitur kali oxalicum et calcem aceticam, juxta Klaprothii analyses; albuminisque abundantem copiam, quae in infantibus voracibus, atque iis, quorum ossa nondum conferbuerunt, scatet salibus benzoicis et oxalicis.

Hinc igitur necesse est, mutatio acidorum vegetabilium in phosphoricum impediatur in diabeticis; oportet etiam, obstet aliquid mutationi albuminis et extracti saccharini vegetabilis in azotico praegnantem uricam substantiam. Cum simile quiddam in infantibus voracibus contingat, adsimilatio eo modo labefactata esse videtur, ut chylus albuminosam suam pristinam et gelatinosam indolem retineat, partem fibrosam azotico scatentem haud accipiat (*Phys.* §. 148).

Itaque haud renum solorum sed totius compagis organorum, quae adsimilationem perficiunt, adfectio est diabetes. Neque magnopere obscura est natura hujus morbi, si phosphoricorum salium in ipsis plantis ortum e mutatione oxalicorum, aceticorum et benzoicorum consideramus, quippe cum azotici accessus solus ad eum transitum exigi videatur. Quidquid igitur hujus elementi accessum prohibet, adsimilationi hactenus officere atque animalem substantiam ita reprimere potest ad vegetabilem gradum, ut diabetes inde oriatur.

§. 429. *Continuatio.*

Quodsi totam adsimilationis functionem affligi in hac aegritudine statuimus, necesse est, nec sanguis animalem suam indolem servet: pars saltem fibrosa, necessaria copia, evolvi nequit. Etiamsi Rollo sanguinem diabeticorum sanum invenisse testatur, desunt tamen chemica experimenta quibus evinci possit idonea partis fibrosae copia. Hanc autem neutiquam adesse patet ex odore subdulci sanguinis, e mixtione ejus cum chylo impedita, cum chylus seorsim in corde cadaverum observatus sit a Michaele. Nec negligendus est moschi odor, quem cadaver, ab eodem medico examinatum, spiravit. Eum enim in variis vegetabilibus, acido benzoico scatentibus, deprehendimus: memorabilis quoque laxitas musculorum et gelatinose indoles totius telae cellularis, quam ex absentia partis fibrosae explanare possumus. Quodsi igitur renes laxati et spongiosi aut ulceribus exesi reperiuntur, naturam

morbi interiorem id vitium dilucidare nequit, quippe quae altius collocata organis urinam secernentibus suum duntaxat characterem imprimit. Multo graviores sunt observationes Jo. Junckeri (*Apud* Kratzenstein *de diabete*, p. 4 de tumoribus mesenterii duris, nuces juglandum mole aequantibus; Darwini (*Samml. für prakt. aerzte*, VI. 288) de glandulis mesaraicis tumidis; Cawleyi (*ib.* XIII. 115) de calculis pancreatis in cadaveribus diabeticorum.

§. 430. *Continuatio.*

Quae de dispositione et caussis occasionalibus memorantur, ratione hujus expositionis ventilanda sunt. States abdominales, arthritidem anomalam, hereditariam ipsam dispositionem accusarunt merito Mortonius, Brisbanius et Whyttius: a dentitione difficili in infantibus observavit Mortonius: unde patet, quam arcte cohaereat evolutio partium rapidior justo cum retardato sanguinis per abdomen cursu atque tumoribus mesenterii. Alii, et Angli praesertim, e potuum diureticorum, vini meracissimi lusitanici abusu originem aegritudinis repetierunt: quae vero caussa prius eum morbum excitare nequit, quam adsimilationis officium perturbatum fuerit.

§. 431 *Continuatio.*

Morbi historia id ratiocinium confirmat. Etenim praegreditur fames canina cum pyrosi, ructibus acidis et ardore gulae: sitis extingui nescia noctu

maxime aegrum cruciat somnumque interpellat: quibus accedit crebra et dolentissima saepe mictio cum spasmis vesicae aut sensu peculiari, quasi guttae frigidae vesicam illabantur. Arida continuo est cutis et tensa. Gingivae tumescunt, saliva foetet, halitus oris mucidus est et acidulus. Nonnunquam penis glans tumida et smegmate quodam, quod saccharina est substantia e lotio deposita, obducitur. Quemadmodum in fluxu coeliaco, ita et hic lotii fluxus copiosior est post pastum et multo majorem continet melleae substantiae partem: mane vera ac dum jejunus est aeger, parcior copia magis naturalis urinae mittitur.

Febris nulla est; pulsus etiam tardiores justo. Aegritudo sibi commissa jugiter ingravescit, donec corpus contabescat, alvus accedat cita et oedemata membrorum, quibus mors acceleratur. Quae Rollous et Fourcroyus suaserunt, ammonium sulfureum et carnium esus, penitus tollere morbum nequeunt solis symptomatibus levandis idonea.

F. De fluore albo.

§. 432.

Fluxus is muci, seri aut purulenti liquoris e verendis potissimum mulierum partibus, *leucorrhoea* plerisqne auctoribus, *medorrhoea* Frankio, *blennorrhagia vaginalis* ac *uterina* Swediauero dictus, sedem habet vel in sinus muliebris exterioribus partibus, folliculis nimirum glandulosis membranae mucosae, qua vagina vestitur, vel altius ex ipso utero descendit.

Levissimus gradus et omnino naturalis species est laticis mucoso-serosi e folliculis et sinibus vaginae effluxus, dum menstrua instant aut cessant (*Phys.* §. 517), atque dum summam in complexu venereo voluptatem sentiunt mulieres (*Phys.* §. 528). Lacunae autem et cryptae mucosae vaginae omnino fontem sistunt, e quo, dum valde laxatae illae sunt, benignum possimus et mitem medorrhoeam muliebrem derivare. Ut enim propter aetatem provectam a menstruo sanguinis cursu mulier deseritur, satis vulgare est, sanguinis loco nonnisi lympham aut mucum e pudendis partibus stillare. Idem contingit in mulieribus, educatione, aerumnis, abortionibus, complexibus crebrioribus justo enervatis, aut uterum gestantibus, aut gravedine vexatis, ubi manifesto videtur muci fluxus e vagina sola repetendus esse: namque in virginibus gravidisque os uteri connivet, ac symptomata nulla fere hunc fluxum comitantur, nisi quae laxatam vaginam indicant: nec foetor, nisi nidoris quaedam species, nec acrimonia ulla in hoc fluxu animadvertuntur. Haec est *blennorrhagia vaginalis.*

§. 433. *Continuatio.*

Multo gravior est ea species, quae ex utero profluit, testantibus id vitiis manifestis uteri, polypis nimirum, tumoribus cysticis, scirrhis, ulceribus aut laxitate ea, quae variis symptomatibus cognoscitur. Menstrua sunt vel suppressa, vel etiamnum fluere pergunt: utrumque enim in medorrhoea

insonte, aliena a syphilitico contagio, contingit. Effluit initio mucus serosus, lintea et indusia conspurcans pallidis maculis: fit id noctu, dein etiam cum mane surgunt, cum alvum dejecerunt, corpus exercuerunt aut dapsilius convivatae sunt, maxime cum acria aut pinguia aut aromatica comederunt. Interdum per circuitus redire, nonnunquam vicem menstruorum gerere solet. Quodsi saepius rediit, acris fieri solet effluxus totumque corpus affligere. Acrimonia proditur et in insonti medorrhoea odore nidoroso, imo foetore, rosione crurum et labrorum pudendorum atque colore viridiusculo, quo lintea contaminantur. Quod dum contingit, majore etiam copia manare solet, ut semilibram possit per nychthemeron perdere. Ingressio necesse est impediatur aut majores molestias efficiat, dum lumborum dolores et tensiones torquent aegram.

Accedunt prurigo verendarum partium aut ardor a rosione ortus, tumor partium earum et inflammatio, unde coïtum aversantur: subinde vero medorrhoea nil impedit, quominus et delectentur complexibus venereis et concipiant. Quodsi accidit, solent tamen abortire aut partum praecocius justo eniti: cum partes omnes hoc fluxu magnopere laxentur, ita ut et uterus profundius descendere, provolvi et osculum propius a vaginae introitu tangi soleat. Urinae fluxus vario modo turbatur: vel enim relaxationem participat ut diutius mingere et lentius cogantur, vel dum prurigo et inflammatio vaginae contingit, urethra simili vitio

corripitur eoque modo urina intercipitur. Haec quoque, admisto medorrhoïco latice; turbatur ut jumentariae similis fiat: aut floccos habet vel fila admixta, vel, quod subsidit, spissum est ac mucosum.

§. 434. *Continuatio.*

Haec omnia partium adfectarum passiones complectuntur. Pro diversitate caussarum locales hi adfectus vel soli manent, vel accedunt symptomata partium aliarum consensu nexarum aut totius corporis labem sequentia Pleraeque mulieres, etiamsi cupiditas ciborum integra est, male tamen digerunt oppletionem pectoris sentiunt post pastum, nec, quae flatus gignunt, facile tolerant: alvo dura exercentur, ni frequentius corpus exerceant. Habitum vidi saepius integerrimum, quamvis obesae fiant et abdomen turgescat: in his frequenter exanthemata oriuntur, utique herpetes in facie, crustis tetris obtecti qui nullis saepe artis praesidiis debellantur, nisi iis, quae totam corporis constitutionem mutare valent. Plerumque tamen habitus depravatur, dum medorrhoea trahit aegram. Oculi humidi et quasi vitrei, cavi, halone plumbeo cincti, palpebrae tumidae, pallor faciei cum virescentibus angulis narium et oris. His accedere vidi animi singularem abiectionem, ut melancholiae etiam insultus subnascantur: lassitudo, desidiae amor, somnolentia, somnus tamen inquietus somniisque turbulentis interpellatus: cordis etiam palpitatio, anhelitus et oedemata artuum; chlorosis et tabes; en symptomata plera-

que, quae, dum inveterascit malum, illud comitari solent.

§. 435. Continuatio.

Nexus ejus vitii cum aliarum partium adfectionibus eo praeprimis patet, quod glandulae membranaeque mucosae plerumque patiantur. Ex catarrho enim, sudore, rheumatismo, tussi pituitosa suppressis; e scabie, herpetibus aliisque exanthematibus repercussis leucorrhoea orta in eadem vitia abit ac cum iis alternat. Hinc etiam e supresso fluore albo opthalmiae glandulosae, catarrhi pulmonum, exanthemata varia et scrofulosi adfectus observati sunt. E metastasi lactis oriri non rarum est. Sed praeprimis ad scrofulosam dispositionem consilium transferendum est, cum satis vulgare sit, mulieres, quae praecocius justo pubuerunt, sanguinis dein cursibus obnoxias in fluorem eum incidere, quo non liberantur antequam consenuerint. Cohaeret arthritica dispositio, scrofulis saepius tribuenda, qua alternatim interdum conflictantur leucorrhoeae obnoxiae mulieres: quaque menstruus fluxus vel supprimitur vel superest etiam cum ipsa medorrhoea.

§. 436. Continuatio.

Cautissime tamen distinguendae sunt eae caussae a graviori uteri vitio, corruptione ulcerosa aut carcinomatosa, quam fluorem album caussari supra (§. 311) monuimus. Distinguenda etiam infectio syphilitica, quod arduum est negotium, haud sal-

tem adeo facile, ac a quibusdam habetur. Namque falluntur qui credunt, si menstrua cum fluore albo pergant, si noctu ille animadvertatur, si sanus fuerit habitus, si latex effluens acris fuerit, indicia esse syphiliticae indolis. Equidem haec omnia in insonti leucorrhoea observari: nec aliud video auxilium, quo discrimen id statuatur, quam confessio mulieris, ardor urethrae in mingendo et rosio partium verendarum ea, quae ulcera venerea efficit.

SECT. II.

RETENTIONES.

CAP. I.

MENOSTASIA.

§. 437.

Memorabilis et gravissima aegritudo aut potius malorum innumerorum caterva est, qua corripiuntur feminae, quibus sanguis per menstrua non respondet. Ingenium autem hujus morbi exponendum esse videtur tum e sanguinis retenti abundantia in vasis uterinis, atque e turgore et impetu ejusdem versus alia organa, quibuscum uterus consensu nectitur (*Path. gen.* §. 73. 77. 82); tum etiam ex halitibus et vaporibus illius sanguinis peregrino modo nervos adficientibus (*Phys.* §. 517). Quanquam enim venenatam sanguinis menstrui indolem e Laur. Jouberti inde temporibus negamus,

cogunt tamen nos tum odor ejus singularis tum varia symptomata menstrui sanguinis suppressionem excipientia, efficaciam halituum eorum in nervorum potentia mutanda statuere.

§. 438. *Continuatio.*

Sequelae igitur menstrui fluxus suppressi comprehendunt tum genitalia partesque vicinas, tum alias consensu nexas reliquumque corpus. Locales adfectus nascuntur ex accumulato in vasis uterinis sanguine: cum enim non venae solum, sed etiam arteriae uteri magnopere laxari possint, quantus sit eorum vasorum subinde turgor, liquet. Quoniam praeter uteri venas et lumborum ossisque sacri plexus venosi et annulares venae medullae spinalis intra vertebras lumbales sitae in hypogastricas venas sanguinem revehant; exponuntur inde ponderis sensus in pube, dolores obtusi lumborum ossisque sacri et ingressio difficilis. Cum venae vesicae et haemorrhoïdales internae in easdem hypogastricas effundantur, mictus dolens difficilisque, dolor ani obtusus, alvus dura, turgor vasorum haemorrhoïdalium et sanguinis per haec cursus sequi solent. Antiquus Hippocraticae scholae auctor (*Hipp.* de morb. mul. I. 591) varios et rariores quidem uteri partiumque adjacentium morbos ex hoc fonte repetit, quae a stasibus sanguinis et secessu particularum nascuntur: carunculae enim post diuturnam menostasiam interdum prodeunt, velut e foetus corruptione et grumi cruoris foetidi. Oriri etiam dicit in ilibus (*πρὸς τὴν λαπάρην*)

erysipelata, in ulcus abitura et sanguinem menstruum fundentia. Qui originem nescierint, secuisse eos tumores magno mulierum periculo. Vulgatissima autem sequela localis est fluor albus, quem jam tractavimus.

§. 439. Continuatio.

Quae e consensu nascuntur, tum ex aucta uteri receptivitate per menstruam periodum atque vividiore in alia organa reactione (*Phys.* §. 519), tum ex vaporum, quos is sanguis exhalat, efficacia, tum denique ex aucta totius systematis nervosi vi exponenda sunt. Stases enim abdominales, inaequabilis per nervos gangliosos imponderabilium distributio, congestiones denique versus organa nobilia rationem eorum symptomatum manifestant. Ubi ventriculus adfligitur, fastidium ciborum, desideria singularia et pica, cardialgia (1), ructus pravi et vomitus, qualia in gravidis, oriuntur; ubi viscera reliqua abdominalia, alvus dura, flatus, angores et ventris inflatio; ubi pectus, oppressio ejus, dolores, palpitatio cordis spirandique difficultas; ubi caput et organa sensuum superiorum, dolores capitis, temulentia, vertigines, aures intus sonantes, scintillae et maculae ante oculos, somnus turbatus et somnia turbulenta, continua lassitudo et somnolentia, oculorum denique inflammationes inde nascuntur. Febrem denique hecticam, iis-

---

(1) Ἱμείρεται ἠδελφισμένως ὡς ἐν γαστρὶ ἔχουσα καὶ καρδιώσσει. Hipp. *morb. mul.* I. 691.

dem diebus exasperatam, quibus menstruus sanguinis cursus instaret, Hippocraticus auctor animadvertit.

§. 440. *Continuatio.*

Naturae adminiculo saepius alia loca sanguinem effundunt, vicario cursu. Fertur e naribus, vasis haemorrhoïdalibus; ex ulceribus, menstruis dictis (§. 179); e vasis ventriculi seu vomitu cruento (380); e vasis pulmonum (§. 379). Rarius per lacrimas et oculos (*Dodon. observ. rar. exempl.* c. 15. *Helwig.* obs. 140. *Kehler: de fluxu mensium ex oculo.* Harderov. 1733); per os et gingivas (*Ruland. curat. empir.* 307); per aures (*Harder. apiar. obs.* 83), per mammas (*Laurent. hist. anat.* VII. qu. 11. *Marcell. Donat.* IV. 19); per umbilicum (*Rhod.* cent. III. *obs.* 49); per pedes denique aut digitos (*Bartholin. hist. anat. cur.* l. 13); postremo per sudores totum corpus inundantes (*Eph. nat. cur.* Dec. *II.* *ann.* 6. *app.* p. 54.) menstruum sanguinem effundi observatum est. Nec tamen integritas corporis his vicariis sanguinis fluxibus servatur, cum totius corporis labes supersit. Haec vero indicatur stasibus sanguinis in vena portarum, malorumque caterva inde ortorum; arthritis inde et icterus, hydropes et morbi cutanei nascuntur. Inflammationes denique nobilium viscerum originem inde trahere gastritidis exemplo supra (§. 276) docuimus. Ita enim nervosi adfectus et mentis errores ex eodem fonte manant.

§. 441. *Continuatio.*

Jam quae caussae arguendae sint, si sanguis per menstrua haud respondet, indicandum est. Protinus vero ab initio investigare expedit loca ipsa; occlusum sit partium verendarum ostium *Path. gen.* §. 102) an polypi (*ib.* §. 108), aut pravus uteri positus (*ib.* §. 224.) sarcomata denique, scirrhus (§. 311) et aquosa colluvies.

Quae vitia si non adsint, spasmorum ratio habenda est, qui adeo constringunt vasa, ut sanguinem sueto more profundere nequeant. Nascuntur ii spasmi ex animi perturbationibus vehementibus, perfrigerio corporis, stimulis gastricis et abdominalibus, vermibus, et quod Sieboldius observavit (*Chirurg. tageb.* 56), ex ipsa dentium carie.

Denique ad tardum sanguinis motum per abdominis vasa, ad stases ejus in vena portarum eamque labem consilium transferendum est, quae cum iis vitiis jungitur. Aerumnae, victus pravus, sedile; dispositio arthritica et scrofulosa saepius accusandae sunt in menostasia producenda.

CAP. II.

ISCHURIA.

§. 442.

Retentio urinae duplex potissimum genus constituit: vel enim secretum jam lotium in vesica retinetur, vel secretio omnis in renibus impeditur. Utrumque vitium pariter symptoma aliorum morborum, ac primaria est aegritudo.

Caussa autem est retentio urinae gravissimorum malorum, quae e consensu renum cum aliis partibus atque particularum, quae lotium constistuunt, in sanguine abundantia et in aliis visceribus aut partibus secretione explicanda sunt. In vetulis et senibus decrepitis si lotium parcius justo fluit, nascuntur oculorum glandulosae inflammationes (§. 198.), sudores lotium olentes et ulcera pertinacia, e quibus foetidus nonnunquam ichor urinosus excernitur. Si repente in acutis morbis urina supprimitur, sequuntur totius corporis validissima incitatio, febris ardens, sitis flagrans, pulsus duri et magnopere concitati, nervorum distensiones et tremores, vicaria quoque nonnunquam in aliis organis secretio.

§. 443. *Continuatio.*

Agnoscit autem id vitium vel locales urethrae, vesicae urinariae, ureterum renumque ipsorum adfectus, quos indagare protinus nostri est officii. Urethrae inflammatio et spastica constrictio, ca-

runculae etiam ulceribus syphiliticis superstites, stenochoria denique, ex incrassatis tunicis (*Path. gen.* §. 109), quae vitia in ulterioribus pertractanda sunt, merito accusantur.

Vesica caussas varias ischuriae complectitur. Generatim vero in eo conceptaculo urinae quaerendam esse sedem mali, patet e tumore pubis, qui et digito in anum demisso occurrit. Is tumor, quo diutius persistit, eo amplius, panditur, ut totum nonnunquam abdomen hydrope pati videatur. Compresso eo tumore urinam reddendi cupiditas existit, ipsumque nonnunquam stillicidium. Tumida vesica et anum et vaginam comprimit, unde hernia vaginalis (§. 226) ac alvi obstructio pertinacissima; dolores quoque perinaei et pubis: nausea insuper et vomitus, insomnia et febris. Tandem vesica vel rumpitur (*Path. gen.* §. 220), vel tunica mucosa per muscularium fibrarum interstitia provolvitur, unde appendices botuliformes vesicae existunt, in quibus lotium collectum nunquam potest libere mitti. Differunt autem a congenitis, quae omnibus vesicae tunicis vestiuntur (*Walter: von den krankh. der Harnbl.* 33).

§. 444. *Continuatio.*

Caussae ischuriae vesicalis quaerendae sunt tum in ipsa vesicae fabrica, tum in partibus adjacentibus. Senes enim et qui apoplexiam subierunt, aut vino lustrisque confecti, resolutione vesicae laborant aut inspissatione ea parietum, quibus urinae fluxus intercipitur. Solet id vitium continuo me-

jendi conatu junctum esse, nec satis retinere nec strenue extundere urinam potest sphincter, cum reliquae fibrae musculares haud opitulentur. Doloris absentia aut obtusa indoles indicio est, hanc potissimum caussam ischuriae subesse. Vesicae inflammatio, ulceratio, durities, varices etiam venarum suo loco ut caussae retentae urinae indicatae fuerunt (§. 304. 306). Frequenter solus spasmus accusandus est, qui, maxime e blennorrhoea ortus, diutius vesicam constringere et urinae fluxum intercipere potest. Rarius contingunt ascarides larvaeque insectorum in muco vesicae nidulantes, quae, Desaultio teste (*Wahrnehm*, IV. 92), dolentissimam urinae retentionem efficere possunt.

Externis caussis, quibus vesica urinaria comprimitur aut ita adficitur, ut reddere humorem naturalem nequeat, adnumeranda est potissimum prostatae durities, quae, plerumque blennorrhoeae syphiliticae pedissequa, a scrofulis tamen, ab exanthematibus repercussis et a senio ipso nascitur. Provecta enim aetate, praesertim epulonum et qui lustris vitam consumserunt, cum prostata etiam colli vesicae parietes spissescunt, ut recte et libere lotium excuti nequeat. Gradatim tamen ortum id vitium gliscit per plures saepe annos, ut urina, exordio duntaxat stillans, dein quidem radium, sed tenuissimum, filiformem et obliquum formet. Mejendi simul cupiditate vexantur, neque tamen urina unquam penitus effluit, remanente semper exigua copia. Ponderis sensum queruntur aegri in perinaeo, alvum etiam duram: catheter

intromissus obicem invenit ad introitum vesicae, ipsique digito in anum demisso idem obex occurrit, quem prostata tumida et dura exhibet, quoque stercorum columna latere antico excavatur. Neque desunt exempla abscessuum prostatae aut turgidorum vasorum ex haemorrhoïdibus suppressis ortorum (*Morgagni:* cp. 41. n. 11), nec calculorum ejusdem corporis ischuriam pariter caussantium (*Desaults, Wahrnehm.* 1. 33). Plica quoque membranae internae, qua collum vesicae vestitur, *capitis gallinaginis* nomine insignita, quae impedit quominus urina regurgitet in ductus seminales, tumida vasisque haemorrhoïdum suppressione inflatis turgescens, Morgagnio teste (*Qu.* 30 n. 13), ischuriam producere potest.

His quoque caussis extrinsecus comprimentibus accensendus est gravidus uterus (*Phys.* §. 546), polypi in eo generati (*Path. gen.* §. 108), procidentia et perversus ejus situs (*ib.* 223. 224), tumor peritonaei e metastasi lactea (§. 290), inflammatio denique uteri et ulcera (§. 309. 310).

§. 445. *Continuatio.*

Ureterum nonnunquam ratio habenda est, licet ischuria ab eorum ductuum vitio oborta difficulter cognoscenda sit et cum variis aliorum viscerum vicinorum aegritudinibus commutari possit. Neque omnino cessat urinae fluxus, dum alter duntaxat ureter patitur, per alterum quippe liberum effluere adhuc potest humor secretus: solet tamen per consensum etiam alter adfici, altero spasmis

contracto. Cum nec vesica urinaria tumet, nec renum passiones praesto sunt, urina tamen retinetur, doloribus in imo ventre obortis, ureteres potissimum laborare cognoscitur.

Vulgatissima autem caussa quaerenda in colo intestino stercoribus farcto, quo ureteres comprimuntur, in inflammationibus intestinorum et flatibus ea distendentibus (§. 277). Pari modo psoarum musculorum uterique inflammatio et ulceratio ureteres adficere potest (§. 297. 309). Quinetiam in ultimo graviditatis tempore probabile est, utero maxime panso ureteres eodem morbo adfici. Spasmus continuus, in hystericis mulieribus satis vulgaris, adeo constringere potest ureteres, ut reddere humorem naturalem e renibus acceptum nequeant. Idem efficit calculus in ureteres descendens, valideque eos coarctans.

§. 446. *Continuatio.*

Renum localis adfectio, ischuriam efficiens cognoscitur doloribus loca ea occupantibus, tumoris defectu in vesica urinaria atque lotii ipsius mixtione turbata. Etenim, dum inflammationem renum tractaremus (§. 299), proposita est nota constans ejus adfectus, urinae interceptio mixtioque turbata. Simili modo calculi renales agunt, qui dum in ischuria accusandi sunt, praecedere solet urina mucosa, floccosa, cum horroribus, spasmis, vomituritionibus missa, quae symptomata motu corporis et usu acrium diureticorum augentur. Ex haemorrhoïdum fluxu, per ponderum gestatio-

nem aliasque caussas externas suppresso varices vasorum renalium nascuntur, simili modo urinam intercipientes.

§. 447. *Continuatio.*

Denique ischuria est symptoma morborum spasticorum eorumque, qui per consensum renes viasque reliquas urinae adficiunt. Nihil frequentius est spastica urinae retentione in diuturnis morbis nervosis, hystericis adfectibus, epilepsia ac arthritide anomala: in febrium etiam nervosarum vigore frequentissimam diximus (§. 91). Et Hippocratis est effatum, cum rigore, capitis dolore et nervorum distensionibus pessimum portendere eventum, ni aliquid ad aures abscesserit (*Coac.* 5. 25. *Praedict.* 1. 120).

Maxime vero haec ischuria e consensu cum ambitu corporis et exanthematibus aut sudoribus repressis declaranda est. In infantibus meminimus, propter majorem sentiendi facultatem, protinus ut corpus perfrigescit, subito saepius existere ischuriam, sublatam restituto cutis officio. A rheumatismis male solutis eamdem oriri diximus (§. 67). Hinc quoque satis vulgaris est sequela emplastrorum e cantharidibus paratorum.

Frequenter urina intercipitur iis omnibus, quae nervorum originem vel progressum infestant, ex capitis laesionibus et meningum inflammationibus (§. 187), ex ossium coccygis parathremate (*Path. gen.* §. 215), e fractis ossibus pelvis (*Path. gen.* §. 208). et luxato femore (*ib.* §. 219).

Dein consensus cum ventriculo et intestinis ratio haberi oportet. Namque inflammationem eorum viscerum constanter ischuria junctum esse, supra (§. 271. 277) monuimus. Peritonaei etiam inflammatio et metastasis lactea accusandae interdum sunt (§. 286. 290). Denique in hominibus teneris et sentiendi facultate vigentibus observata est ischuria e sordibus gastricis et acrium esu (*Stoll.* Rat. med. II. 143).

LIBER V.

NERVORUM ADFECTUS.

Sect. I.

Dolores.

CAP. I.

SUMMATIM.

§. 448.

Cum jam in superioribus (*Path. gen.* §. 270—272) rationem dolorum generalem proposuerimus hic solummodo monendum ducimus, nos eos duntaxat dolores tractaturos esse, qui vere passiones primarias constituunt, abstinendum igitur esse ab omnibus iis, qui sola symptomata aliorum morborum exhibent. Qui quidem morbi, etiamsi partium adfectarum interior mutatio diversa sit, eo tamen consentiunt, quod symptomatum syndrome dolorem complectatur et ab eo pendeat (*Introit.* §. 2). Quod si negligitur, arthritis quidem posset vel inflammatoriis morbis cum Swediauero vel melius etiam nervosis adfectibus, stasibus abdominalibus et labi totius corporis adscribi adeoque peculiarem morborum classem constituere. Colici dolores, pro caussarum diversitate, variis tribuerentur morbis: sed, qui eadem symptomatum syndrome congruunt, sub eodem etiam morbi genere necesse est militent.

Finitimae sunt hae aegritudines nervosis adfectibus, quod organici sensus alienationem, ut essentiam, agnoscunt: diversae tamen eo, quod unico modo is sensus a norma aberret, quod nimirum nimis auctus aut alienatus contactus fugam efficiat. Transeunt autem facillime et dolores hi primarii in nervosos proprie dictos adfectus, hique in illos. Cum denique secretiones et ipsa nutritio nervorum efficacia gubernentur, labes nutritionis et cachexiae frequenter eos dolores diuturnos excipiunt (*Path. gen.* §. 271).

CAP. II.

DE ARTHRITIDE.

A. Simplex morbus.

§. 449.

Arthritis est morbus totius constitutionis, doloribus articulorum fixis et pertinacibus perfectus. A rheumatismo quomodo differat, jam supra (§. 65) monuimus. Alii artuum dolores diuturni vel ossium morbus, vel syphilidem, scorbutum reliquasque cachexias contagiosas, tanquam caussas, supponunt, nec evanescunt, nisi adhibitis praesidiis, quae miasma peculiare domant. Id autem deesse omnino in arthritide, infra docebitur.

§. 450. *Continuatio.*

Gravissima est morbi universalis, qui praegreditur, consideratio. Eum interdum adeo obscurum meminimus, ut sub sensus neutiquam fere caderet, plerumque tamen sequentibus notis cognoscitur. Diutius jam, et sine manifesta caussa malam sensit homo digestionem, cupiditatem ciborum amissam, molestias varias ex esu acidorum eorumque ciborum, e quibus flatus eliciuntur. Oppletionem ventriculi continuam, ponderis sensum in stomacho, inflationem ventris, alvum duram, dolores dorsi lumborumque, calores nocturnos fugaces; sitim, dum jejunus est; dolores capitis et temulentiam; muci abundantiam in lingua, ore, excrementis et urina conqueritur: nonnunquam etiam febrem, pituitosae similem (§. 83).

Ad haec somnus interpellatus, haud recreans, somnolentia, desidiae amor, lassitudo, pandiculatio; animi ipsius abjectio, anxietas, graviorum morborum metus, hallucinationes sensuum per circuitus recurrentes. Mulieribus per menstrua sanguis non respondet: in viris molimina praesto sunt haemorrhoïdalia, aucta imprimis post pastum aut post potum meracioris vini. Interdum palpitationes cordis, tremores artuum pulsuumque spastica indoles, catarrhi etiam et tussis frequens ac irrita sociantur, mox iterum evanida.

Cum habitus nequaquam depravetur, neque constans sit febris, cum nonnunquam plenius fiat corpus, torosius, musculorumque robur augescere

videatur; nequaquam cum febris lentae nervosae initiis commutanda est (§. 78). Ad hypochondriasin autem ac ad praevium haemorrhoïdum statum omnino propius accedit, ut utrique familiarem esse digestionis labem, stases abdominales et inaequabilem per nervos abdominales vis distributionem, facile efficias. Neque necesse est, vera et perfecta arthritis sequatur, cum saepius hunc statum eae solummodo molestiae excipiant, quae ex impedita arthritidis formatione existunt.

§. 451. *Continuatio.*

Quodsi autem perficitur arthritis, proxime praecedit insultum εὐεξία mirabilis ac hilaritas, cupiditas ciborum aucta, digestio melior, somnus quietus, e quibus nihil minus quam brevi imminentem morbi atrocem insultum augureris. Interea palpitationes cordis frequentes, aestus faciei, ardor partium extremarum cum pulsibus concitatis et irregularibus, cum lingua muco obducta, urina turbida ac mucosa, quae diutius acorem servat, statum, ne morbosum, valetudinarium saltem, indicant.

Jam solet subito saepe extremarum partium articulum invadere morbus; quod plerumque ita contingit, ut bene libenterque coenatus largiusque potus somno semet committat quieteque obdormiscat. Concubia vero nocte repente expergiscitur dolore atrocissimo, ardente hallucis aut alius digiti pedum: ad quem accedit inquietudo summa: jectigatio, febris valida cum aestu per totum corpus,

flagrante, pulsibus magnopere concitatis plenisque, rubore et siccitate totius ambitus, hallucinantibus sensibus superioribus, cum vertigine, eoque sentiendi facultatis augmento, ut ne levissimum quidem sonitum, neque exiguam temperiei vicissitudinem ferat. Alvus dura esse solet, urina nullum continere acorem Bertholletto dicitur. Qui dolor dum per duodecim aut vigintiquatuor horas viguerit, semet remittere solet tumore inflammatorio loci dolentis, venisque, quae juxta sunt, turgentibus.

Quod dum accidit, sudore calido madere locus adfectus et totum corpus, lingua etiam humectari, sordibusque purgari, pulsus molliusculi fieri et regulares consuescunt, alvus etiam cita et mucosa esse. Ex urina, quod subsidit, mucus est aut pituita, calcis phosphoricae insignem copiam continens, cujus ne vestigium quidem in lotio per insultus emisso aderat, unde et hoc per plures menses in vase clauso servatum vix computrescere dicitur (*Link: analys. urin.* 55). Tussis quoque praecedere aut insequi solet, sputis copiosis, mucosis, quibus levaminis plurimum adfertur.

§. 452. *Continuatio.*

Primus et regularis accessus quamvis inflammationi similis est, propter circuitus quos celebrat, melius tamen cum febribus intermittentibus comparatur, unde, Hugonis Smithii et Georgii Fordycii consilio cortex cinchonae in intercapedine adhibitus expeditissimum sistit remedium. Etiamsi et

somnus et cupiditas ciborum, perspiratio cutanea et sensuum officia redintegrantur, superesse tamen in locis adfectis solent debilitatis sensus, torpor et tumor mollis, fluctuans, post quodlibet perfrigerium dolens.

Laevum latus frequentius et gravius dextro adfici, observatio docuit: pedes etiam magis adfligi quam manus. *Podagra* vocatur in pedibus, *chiragra* in manibus perfecta arthritis. Quo saepius recurrunt insultus, eo plures solent corripere artus: si plures primo jam insultu occupantur, consuescit is trahere aegrum per plures hebdomadas.

Posteriores accessus vel quotannis verno tempore, vel bis per annum, vere ac autumno, vel per menstruos circuitus redire solent. Interdum tamen haud regularis est reditus; miro modo sociatur morbus cum haemorrhoïdibus, calculorum adfectibus cum tartaro ad dentes apposito, aut urinae sedimento mucoso, arenoso. Tumores articulorum, dum vicariae nullae adfectiones contingunt, indies duriores fiunt, ut tandem osseam aut lapideam prae se ferant compagem, per annos, imo per totam vitam morantem. Nonnunquam tamen haec insignis durities non impedit repentinam solutionem, quae vel per urinae copiam mucosae, per calculos subortos, per haemorrhoïdum fluxum, per metastases denique arthritidis accidit. Solent tumores ii diuturni cartilaginea strata articulorum destruere: manticula etiam et cavea articuli impletur latice lacteo, flocculento, quo et bursae mu-

cosae panduntur et mobilitas articulorum praevertitur. Hinc tandem, latice eo quasi lapidescente, ancylosis articulorum nascitur, oriuntur etiam exostoses porosae fungosaeque. Differunt tophi arthritici a calculis vulgaribus defectu fabricae lamellosae, facillima solutione in synovia, cum qua laticem cremori lactis similem formant, et porosa indole. Watsonius, Vauquelinus et Wollastonius, qui chemice examinarunt ea concrementa, calcem phosphoricam et natrum uricum invenerunt. Ii autem sales ex humoribus depositi calculos etiam sistunt (*Path. gen.* §. 117).

§. 453. *Continuatio.*

Curatur morbus naturae ope, dum vel haemorrhoïdes fluunt vel muci copia, calce phosphorica scatentis, cum urina profunditur, vel exanthemata surgunt varii generis, quae sudoribus copiosis juncta solvere possunt articularem morbum. Victus denique mutatione interdum ad sanitatem perduci potest. Quodsi secius accidit, si recursus accessuum crebriores vires debilitant, nutritio labascere incipit, febris accedit vel pituitosa vel hectica, quibus corpus extenuantur et consumitur.

B. ARTHRITIS ATONICA, VAGA, ANOMALA.

§. 454.

Atonica dicitur *arthritis*, si perfecti accessus nulli oriuntur, sed praevius status morbosus perseverat (§. 450). *Vagari* dicitur arthritis, modo

hanc modo illam partem infestans, atque vel dolores excitans vel alio modo functiones laedens: *anomalae* autem nomine venit, si alienae nascuntur passiones in variis organis. Namque *vaga* semper dolores, *anomala* etiam alienissimas adfectiones producit. Arthritis vaga regulari proxima est ratione salutis aut detrimenti, quae inde exspectari possunt: *anomala* vero et *atonica* vel praecipitant aegrum vel in discrimen adducunt: maxime, si subito ex arthritidis perfectione repente suppressa nascuntur.

Arthritis atonica praeprimis ventriculo nervorumque centris infesta est. Super reiteratis iis symptomatibus quae perfectae arthritidis accessum praegredirentur, cardialgia sequitur cum pulsibus exilibus et animi deliquiis, quae subito saepe apoplexia aut sopor perniciosus excipit. Gulae proceres, qui in conviviorum gurgitibus vitam consumunt, dum vel praevia arthritidis mala vel arthritidis perfectae etiam accessum passi fuerunt, opimantur interdum, saluti sibi esse aromatica, sorbitiones spirituosas et fortiora stomachi incitamenta. His vero, et remediis acriter irritantibus, ut pulvere Portlandiae, saepe ita opprimitur vis, ut pernicies acceleretur.

§. 455. *Continuatio.*

Vagatur arthritis per externum corporis ambitum, si neglectis etiam ossium articulis, dolores pertinacissimos capitis, dentium et lumborum caussatur. Capitis dolores nonnunquam dimidiam par-

tem capitis exacte occupant, unde *hemicraniae* nomen venit. Is adfectus maxime diuturnus homines torquet, qui vel a perfectione arthritidis deserti sunt, vel qui sola praevia symptomata passi sunt: nauseam nimirum, angores, oppressionem pectoris, flatus, vomitus et ructus acidos. Interdum fames canina praecessit. Horroribus infestantur vagis, lassitudine, defatigatione membrorum, pulsibus exilibus, spasticisque et sudoribus male olentibus. Dolor ipse acerbissimus vertiginem importat, oculorum caliginem, surditatem et faciei dimidiae acutissimum sensum. Quibus accedunt animi desponsio et imbecillitas, spasmi etiam musculorum faciei, gulae constrictio, ani et vesicae. Post breviorem longioremve moram silet dolor, lacrimarum proflavio orto aut salivae cursu, sudoribus quoque calidis foetentibus aut vomitu levante. Recurrit malum per circuitus; superstitibus tamen faciei resolutionibus et oedematibus, quibus vultus dimidia pars deformatur.

Dentium dolores etiamsi e nervis potissimum originem petant, a tartari tamen ad radices dentium depositione aut arrosione cariosa exasperantur, unde saepe vacillant et elabuntur.

Ischias frequentissima est forma vagantis arthritidis. Dolor atrocissimus, sine peculiari tumore partis adfectae, ischiadici nervi cursum sequitur ad malleolum usque, pedem facit fere immobilem, atque, dum diutius moratus saepiusque regressus est, ancylosin potest adferre aut lentam articuli luxationem, quae cum lymphae colluvie in

velamento nervi aut materiei mucosae abundantia in manticula juncta est (*Cotunni: de ischiade nervosa* in *Sandifort. thesaur.* tom. 2).

§. 456. *Continuatio.*

Anomala fit arthritis, dum ob aetatem minus congruam regularis ejus morbi paroxysmus perfici nequit; aut dum ortus is frigore externo, victus vitiis aut imbecillitate virium subito interpellatur, quo facto varia existunt symptomata, a regulari arthritide aliena et ipsis articulorum doloribus soluta.

Et primum quidem, cum hereditarius sit morbus, infantes parentum arthriticorum achoribus infestari, catarrho habituali et tussi pertinaci consuescunt. Etenim ante virilem aetatem, atque antequam mulieres partum ediderint, regularis arthritis perfici nequit.

Dein senio confecti, atque qui creberrimos arthritidis insultus perpessi apparatius coenare, sorbitionibus meracis et exaestuantibus indulgere consuerunt, tandem potestatem ammittunt, regularem perficiendi arthritidem. Hi igitur, et qui in ipso paroxysmo frigus externum admittunt, ut dolorem sedent, frigidâ membra arthritica lavant, aut qui animi perturbationibus vehementibus obnoxii sunt, anomala corripiuntur arthritide, quae personam aliorum morborum induit, dignoscenda potissimum eo, quod morbus articularis ante eos habuit, nulloque modo fugari possunt eae aegritudines, nisi foras expulsa arthritide.

§. 457. Continuatio.

Pertinent huc primum febres lentae pituitosae, per circuitus arthritidi vulgares recurrentes; urina mucosa sudoribusque, e quibus sales phosphorici secedunt, solutae. Huc etiam febres intermittentes, quibus arthritici obnoxii sunt, sine ulla paludosi effluvii efficacia; quaeque diutius trahere solent aegrum.

Dein inflammationes partium omnium. Ophthalmiam et lippitudinem pertinacem, periodos arthritidis servantem Musgravius (*De arthritide anom.* p. 45); suffusionem ipsam lentis crystallinae Kortumius (*Hufelands.* Journ. XV. 4. 102) observavit. Catarrhi pertinaces, anginae, pulmonum inflammationes et tabes ipsa saepius occurrunt. Sputum est in his initio tenue, dein tenax albidum; quod dum copiose ejicitur paroxysmos regulares praevertit; dum intercipitur, strangulationem e pulmonibus infarctis minatur. Vel asthma oritur siccum aut humidum, per circuitus eosdem revertens, paroxysmis arthritidis regularibus solutum, atque, ni hoc fiat, trahens aegrum et in tabem conjiciens.

Nonnunquam profluvia varia vices arthritidis gerunt, utique haemorrhoïdes, ex eodem fonte manantes salubresque ubi ad arthritidem accedunt. In mulieribus satis vulgare est, menstrui sanguinis cursum nimium et leucorrhoeam habitualem ex arthritide oriri, quae praesidia artis fere omnia eludunt, nec curantur nisi corporis constitutione omni-

no mutata. Herpetes etiam rodentes et ulcera easdem mulieres torquère solent, solis paroxysmis arthritidis regularibus debellanda. Diarrhoeas ac dysenterias ex arthritica constitutione vulgares esse persuasum habemus: interdum saluti conducunt alioquin, si diutinae sunt, aegrum praecipitant (*Musgrave l. c.* p. 53.)

Denique nervosi adfectus varii frequentissimi sunt in imbecillibus, qui perficere arthritidem nequeunt. Namque et ipse morbus sedem figens in ganglioso nervorum systemate, hoc praeprimis infestat vires debilitando et perturbando: unde hallucinationes sensuum, vertigines pertinaces, syncope, animi desponsio, melancholica, paralyses, convulsiones, ipsaque apoplexia haud raro vel ex impedita hujus morbi perfectione, vel ex imbecillitate, diuturnam ejus moram excipiente consequuntur. Nihil demum frequentius est hysterica partium solidarum agilitate et mobilitate, quae ad arthriticam dispositionem in mulieribus accedere atque invictam fere ejus pervicaciam producere solet.

C. Epilogismus.

§. 458.

Ratiocinia nostra de arthritidis indole necesse est proficiscantur ab opportunitate, seu dispositione, quae, totum corpus complectens, in viscerum tamen abdominalium imbecillitate et inaequabili nervosae vis per ea dispositione sedem habet. He-

reditaria dispositio ad hunc morbum exploratissima est, neque aliter exponi potest quam e partium solidarum vel atonia vel teneritate. quae irregularem virium dispensationem caussatur (*Path. gen.* §. 42. 57). Acquiritur ea opportunitas vitae genere luxurioso, quod epulis, sedili, complexibus venereis, vino, aerumnis etiam consumitur: maxime si labores corpus firmantes cum ignavia hebetante commutantur. Virilis aetas, a trigesimo inde ad sexagesimum annum, praeprimis proclivis est ad hunc morbum, ipseque sexus sequior, dum ad id aetatis pervenit, ubi a menstruo sanguinis cursu deficitur.

Caussae occasionales haud valde manifestae sunt; vigente enim opportunitate, levissima quaeque victus vitia potis sunt in hanc conjicere aegritudinem (*Path. gen.* §. 26). Id tamen frequenter animadversum est, rheumaticos insultus crebriores occasionem huic morbo praebere.

§. 459. *Continuatio.*

De indole autem arthritidis atque interna natura ita ratiocinamur. Inaequabilis vis nervosae dispensatio et debilitas dicta officinae digestionis cum diutius porrigitur, vicariam molitur congestionem atque secretionibus auctis insignitam efficaciam in velamentis serosis, quae manticulam articulorum et bursas mucosas vestiunt. Que sympathica et secretionibus efficax congestio e consensus generali lege (*Phys.* §. 74) optime exponitur. Nec absunt ab effectibus stagnationum aliae con-

gestiones (*Path. gen.* §. 83). Nec veram atoniam cum Cullenio nuncupaverim eum statum internum viscerum abdominalium, cum ea activas congestiones procreare nequeat: nec unquam miasmatis cujusdam arthritici cum Musgravio aliisque rationem habuerim, quippe cui refragatur et hereditaria opportunitas et alia omnia hujus morbi phaenomena. Quae secernuntur aucta in articulis congestione; tantum abest ut peregrina sint, ut potius sales inquilinos phosphoricos complectantur: hos autem remanere in corpore ante insultum, neque per solitas vias eliminari, effectus est inaequabilis vis nervosae, secretionibus praefectae dispensationis. Ex hac profecto caussa adfinitas arthritidis cum haemorrhoïdibus febribus intermittentibus, hypochondriasi aliisque morbis nervosis elucet. Ab infantili aetate et sequiori sexu aliena est arthritis, propterea quod in iis, si quae adsunt stases abdominales, alia agitant et moliuntur nervosa symptomata: in mulieribus autem sanguinis cursu menstruo praevertitur adfectus arthriticus.

Medendi methodus optima hoc ratiocinio stabilitur: siquidem superflua esse debent remedia omnia vel miasmati cuidam commentitio opposita, vel symptomatibus levandis idonea. Unica spes ponenda est in ea methodo, quae corpus firmare, aequabilem virium distributionem restituere atque excretiones salutares promovere valet.

CAP. III.

DE PROSOPALGIA.

§. 460.

De dolore praecepturus sum, qui singulari modo faciem infestare solet, atque vel arthriticam caussam vel virus venereum, si Masio fides habenda est, agnoscit.

Equidem, qui saepius ea tormenta diuturna observavi, nonnisi in hominibus vidi, antea arthritide cruciatis, aut qui ad id aetatis pervenerant, ubi perfici arthritis nequiret, sive qui haemorrhoïdibus conflictati erant, in mulieribus demum a sanguine menstruo defectis aut leucorrhoea tortis et herpetum foeditate. Non inficior, remedia, quae in arthritide celebrantur, nullius saepe usus in hac aegritudine esse: inde tamen effici nequit, nihil habere commercii cum arthritica dispositione, quippe in qua plerumque frustra adhibentur praesidia artis, ex officinis petita. Nervos autem faciei eodem modo occupari hoc morbo arbitror, ac ischiadicum in malo, quod nomen istud gerit.

§. 461. *Continuatio.*

Accessus format haec aegritudo vel periodicos vel irregulares, excitos perfrigerio, animi perturbationibus, victus vitiis, et levioribus subinde caussis; eo pertinent praesertim contrectatio molliuscula locorum quorumdam vel faciei vel alio-

rum etiam quae nervorum habent plexus superficiem legentes: fortis vero compressio neutiquam dolorem excitat. Nonnunquam is sine ullo praevio symptomate ingruit; interdum tensionem aeger ante percipit in palato, titillationem et μυρμηκισμὸν in fronte et superciliis, contremiscente musculo orbiculari palpebrarum. Manducando, ridendo, labra movendo cruciatus vel redit vel augescit.

Incipit autem dolor, vel qua nervus infra orbitalis prodit, in omnes ejus ramos diffusus, vel e plexu anserino nervi facialis vel etiam e ganglio spheno-palatino. Est vehementissimus, quasi lancinans et dilacerans faciei partes, electrico modo per omnes nervorum frondes discurrens, cunctos musculorum motus arbitrarios impediens, ut nec moveri labra aut lingua, nec sumi, manducari aut deglutiri cibi possint. Interdum musculi convelluntur aut contremiscunt, quo quadantenus levatur tormentum. Facies inflata esse solet et magnopere rubere, turgere venae jugulares, pulsare arteriae temporales et maxillares: in fronte et radice nasi vibices aut striae cruentae apparere. Pulsus exiles, spastici, tardi sunt, spirationes rarae, spasmis interceptae: lippiunt oculi et saliva profluit. Tandem, si horae per quadrantem aut longiorem etiam moram torserit aegrum, silet, fragore quodam peculiari, quasi rotae machinae subito decurrerent, intra aures sonante.

§. 462. *Continuatio.*

Ab exordio inde solet alterutrum faciei latus laborare, sed regressus crebrior utrumque adfligit. Convulsi faciei musculi retinent eam agilitatem, ut continuo fere vibrent et palpitent. Oedemate quoque facies tumescere solet, quo levaminis nonnihil adfertur. Visus etiam est lacrimarum et salivae cursus diutissime porrigi, ut inde imbecillitas et nutritionis labes exciatur. Mentem in progressu morbi pati necessarium est, cum cruciatus perpetuo eam angant atque dejiciant.

Vere et autumno ingravescere solet morbus et exasperari. Alvus indies durior fit, urina parcius mittitur et impeditius, extremae partes frigescunt, facies inflatur, rubet et musculi distorquentur: tandem corpus extenuatur et tabescit. Quodsi regulares articularis morbi accessus forte contingunt, sive dysenteriarum species, solvi potest morbus aut saltem levari.

Occultum cancrum nequimus in hoc morbo detegere: adfinitas potius cum ischiade manifesta sufficere videtur ad declarandam naturam et hujus adfectus.

CAP. IV.

DE STERNODYNIA SYNCOPALI.

§. 463.

Diuturnum hunc adfectum cum Sluisio optime sic nominari arbitramur, cum nec *anginae pectoris* nomen ab Heberdenio et plerisque auctoribus, nec *arthritidis diaphragmaticae*, a Buttero, nec *asthmatis dolorifici*, a Darwino, nec *syncopes anginosae*, a Parryo, nec *pnigophobiae*, a Swediauero, nec *stenocardiae* denique nomen, a Brera impositum satis congruere cum natura aegritudinis videatur. Arthritidi quidem cognatum habeo adfectum, atque anomaliae ejus morbi plerumque tribuendum, neque tamen eumdem semper statum internum morbosum esse autumo, cum cadaverum sectiones varia ostenderint partium internarum vitia. Communem tamen habet symptomatum syndromen, e qua hypotyposin morbi sequentem formandam esse puto. *Sternodynia syncopalis* est dolor per sternum et scapulas saeviens atrocissimus, strangulationem minitans et in animi defectionem transiens ac sine stato ordine recurrens.

§. 464. *Continuatio.*

Qui huic succumbunt morbo, mediae aetatis sunt viri, qui ante vel rheumaticis doloribus aut ipsi morbo articulari obnoxii fuerunt, vel laborarunt prodromis arthritidis (§. 450) vel arthritide

atonicae (§. 454). Plerumque proxime ante insultum specie valetudinis secundae decipiuntur, cum habitus floreat, digestio vigeat, motus agiles sint, et corpus bene nutriatur ac obesitate quadam praeditum sit.

Insultus post pastum, post animi perturbationes, vociferationes, in adscensu per acclivia aut ingressu contra ventum ingruunt. Protinus autem dolore strangulante pectoris et faucium corripiuntur, quo spiratio dolens fit, sed haud plane impeditur. Ponderis sensum queruntur sterno incumbentis aut dolorem pungentem, in laeva sterni parte aut sub papilla sinistra pectus transigentem atque in scapulas humerosque pertingentem, tensionum tormentis per brachia sociatis, quasi dilaniarentur, funibus constringerentur, aut electrico torrente percurrerentur: iis doloribus et ipsi digiti adfliguntur, obstupentibus inde brachiis. Tormentorum vehementia coguntur mensa aut alia re semet fulcire, ne collabantur, neque loqui prae dolore possunt. Singulare levamen percipiunt, si manus supra caput elatas suspendunt transtro aut pariete: alii sedentes sellae dorso nituntur, ut levaminis aliquid percipiant. Nihilominus spiritus per dolores tantum abest, ut cohibeantur ut altius etiam et longius ducantur: tussis fere nunquam adest.

§. 465 *Continuatio.*

Primi quidem insultus brevi transeunt, quiete mitigati aut sublati. Sed inveterascit morbus, saepius recurrens sine manifesta caussa. Vicissitudines

tamen temperiei, frigus aut aestus modum excedens, digestio et nox imminens ciere insultus consuescunt. Quo saepius recurrit, eo graviores fiunt accessus. Aegros vidi humi procumbentes, doloribus et suffocationis metu adeo tortos, ut cogerent adstantes, pugnis pectus ferire, ut ad se redeant: alios memini eo angore vexari, perinde ac si crimen infandum commisissent; alios a se exire, anima defici et sensibus et motus facultate, pulsibus imbecillibus, vix percipiendis, sudoribus frigidis per corpus diffusis, capite antrorsum pendulo, pallente toto ambitu. Alii nauseare, alii vomiturire, alii demum flatibus torqueri, qui ut exentiuntur, accessum tollunt. Supersunt tremores et lassitudo corporis, variaeque molestiae, que hypochondriacis adfectibus vulgo tribuuntur: graviores tamen indies insultus, donec accedat, qui vitae finem imponit.

Nonnunquam versus finem morbi insultus debiliores fiunt et rariores: interdum tussis accedit et spirationis ea difficultas, ut nonnisi semierecti spiritus ducere possint. Alii continuo dormitare, alii laevum latus inprimis convelli ac palpitare versus finem queruntur. Nonnulli hactenus infirmantur, ut nec e lecto surgere nec tantillum semet movere possint, nisi punctiones violentissimas sub laeva papilla ac per brachia recurrentes ingravescere voluerint. Dum vero quiete cubant, omnia sese remittunt.

Itaque ab asthmate oppido differt spiratione liberiore et anhelitus tussisque plerumque defectu; a polypis cordis, doloribus lancinantibus, qui de-

sunt in illo vitio (*Path. gen.* §. 107) atque in enormitate cordis, alioquin huic aegritudini simili, palpitationes tamen enormes exciente, quae absunt a sternodynia.

§. 466. *Continuatio.*

Cadaverum sectiones haud eumdem, sed varium revelant viscerum in pectore collocatorum statum. Osteogeneses praeternaturales in valvulis vasorum magnorum, in tunicis aortae et arteriae pulmonalis plerique observarunt (*Path. gen.* §. 109). Citra tamen id tralatitium vitium cordis ipsius substantia laborabat, ut vel pinguedine abundanti obvolutum (*Wall: in arzneyk: abhandl.* III. 13 *Black: mem. of the med. soc. of Lond.* VI. 45); vel ulceribus extenuatum aut enorme (*Jahn* : in *Hufel. journ.* XXIII. 3. 81. *Johnstone* : in *Abhandl. der med. gesellsch. in London*, I. 160) ; vel flaccidum ac marcidum appareret. Neque tamen ita junguntur ea vitia cum hac aegritudine, quin alia longe symptomata osteogenesis praeternaturalis vasorum ingentium saepe moliatur. Nec desunt exempla deficientis omnino cujusvis vitii aut abnormitatis in cordes, postquam praegressa esset vera sternodynia. Namque auspicato saepius curatio cessit, cujus exempla Smythius (*Medic. comm. con Edinb.* V. 102), Goodwinius (*Phys med. journ.* 1802. II. 85. 87), Kriegelsteinius (*Hufel.* Journ. XIX 4. 131) et Wichmannus (*Ideen zur diagn.* II. 150) referunt. Ea vero neutiquam osteogeneses resolvere potest. Accedunt Morgagni (*Ep.* XXV. n. 6),

Percivalii (*Medic. comment. Edinb.* III. 192). Testae (*Von den krankh. des herz.* 334) aliorumque observationes de oppido naturali cordis indole, hepatis tamen tumoribus aliisve vitiis post mortem inventis. Multo minus cum Buttero (*On the disease, commonly called angina pectoris.* Lond. 1791) in diaphragmate, neque cum Brera (*Della stenocardia* nelle *Mem. della società ital.* tom. XV) in coarctato corde sedes morbi quaerenda est.

Passionem enim habemus, eadem symptomatum congerie conspicuam, haud tamen ab eodem vitio interno ortam, etiamsi, organa spiritibus ducendis et sanguini circumagendo dicata primario patiantur.

CAP. V.

DE CARDIALGIA.

§. 467.

Dolorem vehementem et continuum ventriculi, cum ardoris et acoris acerrimi sensu ac salivae colluvie junctum, qui facile in animi deliquia abit, eo nomine insignimus. Ructus si acidi accedant, vomitusque laticis ejusmodi levantes, *pyrosis* vocatur. Nonnunquam dolor adeo ingravescit, ut anhelitus et spirituum difficultas nascantur, aeger cogatur antrorsum flecti et pronus sedere, pallescat et algescat, nervorum distensiones accedant, et urina limpida sit aut intercipiatur, gula constringatur, musculi contremiscant et convellantur, cor pal-

pitet et vehementer angatur aeger, donec anima deficiatur Solvitur interdum accessus sanguinis fluxu e naribus aut vomitu cruento, aphthis etiam ac aliis exanthematibus.

§. 468. *Continuatio.*

Nascitur id malum vel ex acribus ventriculum adficientibus, cibis indigestis, acoribus fortibus, vinis hornis, fructibus horaeis austeris, adipis ingestione nimia, remediis drasticis purgantibus: vel, si diuturnum est, ventriculi duritiem (§. 275) excipit ac cartilaginis scutiformis intrusionem: vel per consensum nascitur e graviditate, ex arthritide male perfecta aut atonica (§. 454), e perspiratione suppressa ac exanthematibus repercussis, denique et universali inaequabilitate virium, quae hystericas mulieres et hypochondriacos vexare solet.

CAP. VI.

DE DOLORIBUS COLICIS.

§. 469.

Colici dicuntur *dolores*, qui colon intestinum maxime occupant, licet et alia intestina, imo pleraque abdominis viscera iis adfligantur.

Vulgarem autem aegritudinem praecedunt appetitus defectus, oppletio praecordiorum, fastidium, vomituritio et flatuum accumulatio, alvus dura, urina turbida mictusque ardens. Dolor umbilicum praeprimis occupare, per flexa coli loca sursum,

deorsum, quaquaversum discurrere, pungens esse aut lancinans solet. Venter nonnunquam inflatur, subinde umbilicus contrahi aut adduci, obdurescere etiam varia loca abdominis consuescunt. Pulsus duri, concitati, irregulares; spiritus difficulter trahuntur, alvo vel nihil infra transmittitur vel quod dejicitur, spumosum est. Nonnunquam, utique in pueris, testes ad annulum abdominalem spastice attrahuntur: musculi convelluntur, palpitant: facies inflatur et rubescit Ructus aegerrime emittuntur: cor vehementer movetur: angitur aeger tormentis, vertigine, oculorum caligine, frigore extremarum partium, horroribus, sudoribus frigidiusculis et urinae suppressione.

Periculo addunt singultus, tussis convulsiva, gulae constrictio, rigor penis, cremasterum tensio ipsaque pollutio. Ad haec ventris tensio dolentissima, nervorum distensiones, animi deliquia, pulsus oppido exilis, quibus si accedit stercoris nullius per inferiora dejectio, fastidia adsidua illud sursum cogere consuescunt, unde morbus *passionis iliacae* (χορδαψὸς et εἰλεὸς *Diocli Carystio*) nomen acquirit. Quod dum contingit, intus suscepta, volvulo correpta aut inflammata solent esse intestina sibique commissus morbus in exitium abire (*Path. gen.* §. 222).

§. 470. *Continuatio.*

Singulares hujus aegritudinis varietates enumerare licet.

a. *Colica pictaviensis, tropica.*

Et prima quidem est endemica in dictione pictaviensi, damnoniensi, matritensi et in insulis Caraibicis. Haec *colicae pictaviensis* tralatitio nomine insignita (*Dry-belly-ach Anglorum*) vini e pomis pyrisque parati aut saccharo plumbi mangonizati, musae etiam paradisiacae fructuum usui, sed multo probabilius vicissitudinibus temperiei celeribus ac perfrigescenti post aestum corpori in locis montosis aut oris maritimis tropicarum regionum, quae post diurnum insignem calorem ventis nocturnis frigidis perflantur, tribuenda est. Namque exploratum habemus, hanc colicam tum symptomatum caterva oppido differre ab ea, quae a plumbi oxydis et salibus cietur, tum etiam citra ullam veneni illius metallici suspicionem populariter grassari, atque cum febribus remittentibus tropicarum regionum adfinitatem quamdam prodere. Id jam a Paullo Aegineta (*lib.* III. c. 18. 43) animadversum confirmatur maxime ab Hillario, Larreio. Droëto et aliis. Huc et pertinet Blanii observatio, frequentius obnoxios esse colicae tropicae, qui linteis vestibus utantur. quam qui laneis Mulieres in coloniis tropicis minus succumbere huic morbo quam viros, experientia docuit.

§. 471. *Continuatio.*

Ingruunt autem dolores vel repente, vel praeviis digestionis laesae symptomatibus: obtusi sunt in dextro hypochondrio aut circa umbilicum, pon-

deris sensum adferunt, fastidium, ructus pravos, cardialgiam, anxietatem et vomitum humorum acriter acidorum. Alvus dura esse solet, appetitus nullus, lingua sordida et somnus inquietus. Haec quidem symptomata per aliquot dies ita morantur, ut per breves intercapedines sese remittant: dein vero immaniter tormenta augescunt cum vomituritione et rejectione bilis spissae amarissimae. Vomitum semper praegrediuntur dolores acerbissimi circa umbilicum, versus stomachum et pectus adscendentes. Vehementer angitur aeger, volutatur, gemit, queriturque tensiones atque horrores artuum, sudoribus nonnunquam terminatos. Pulsus interea naturalis esse solet; facies flavescens, lurida; abdomen per magnos cruciatus adducitur versus dorsi spinam. Urina parca redditur, flava est aut lateritia. Alvus eo durior esse consuescit, quo pertinacior vomitus: vires prosternuntur, animus abjicitur; membra demum voluntati non obtemperant, prae doloribus vehementibus immobiles fiunt. Musculi convelluntur, sensus hallucinantur, animo linquuntur attoniti exanimesque, donec apoplectica morte extinguantur. Quanquam febris initio absit saepe tamen accedit ad ultimum morbi stadium, si popularis morbi ingenium id poscit. Tum solet si febris rheumatica est, tumor dolens rheumaticus externas partes obsidere, cessante colico dolore: vel, ni hoc fieri possit, dolenter tumescit abdomen et ardet, torrida fit cutis, urina intercipitur, aeger postremo enteritide mori videtur.

Bono augurio sunt dolores descendentes ver-

sus inguina (1), cum pulsibus acceleratis, urina largius fluente, alvo liquida, scybala atra cum aliis humoribus ferente, silentibus tormentis, quo facto somnus restituitur, et vires redintegrantur. Visum quoque est miliare exanthema corpus obsidere aut erysipelas in pedibus apparere, quod salutem adlaturum erat. Convalescentes recidivis obnoxii sunt, quae nunciantur atrophia musculorum, praesertim pollicis; pedum queruntur languorem, rigorem et fere immobilitatem.

§. 472. *Continuatio.*

In tropicis Europaeorum coloniis frequens id malum intemperantiae potissimum, frigori a corpore exaestuato excepto et febrium grassantium ingenio tribuitur. Dolor est obtusus ac fixus abdomen contrahens, tensionibus ab ilibus et hypochondriis versus id punctum progredientibus, quae levantur, molliter abdomine compresso. Sorbitionum meracarum singularis cupiditas, frigoris sensus in cardia, testium attractio spastica ad annulum abdominalem, alvus hactenus dura, ut et halitus oris stercora oleat, pulsus naturales sed durissimi, urina lateraria, vultus torvus et animi abjectio; ea symptomata huic morbo sunt peculiaria. Primi nonnunquam accesus alvi dejectionibus viridibus acerrimis solvuntur: maxime vero, dum

(1) *Ὁκόταν ἔῃ κάτωθεν τοῦ ὀμφαλοῦ τὸ στρέφον, βραδὺς καὶ μαλθακὸς ὁ στροφός.* Hipp. de humor. 47.

tormenta mitescunt, dolores obtusi scapularum brachia immobilia faciunt demumque resolvunt atque emaciant. Quamvis neque tumor ullus neque dolor in extremis partibus sentiatur, revertuntur tamen etiam post annos ventris tormina, protinus ut manus in calidam aquam mersae aut oleis aetheriis fotae sensum recuperant. Vox simul cum musculis extremorum vim suam atque potestatem amittit, rauca fit et debilis, spirationes lentae et imbecillae redduntur: aeger tandem statuae similis procumbit. Apoplexia adjuncta mortem consciscit: epileptici insultus dicuntur mitigare gravitatem aegritudinis (*Mounson Smith* in *Haller.* diss. pract. VII. 680. sq. *Hillary: über Barbados*, 221. *Nissaeus: de nonnullis in Colonia surinamensi morbis.* Harderov. 1791). Cum rheumatismis, arthritide et febribus popularibus alternare videtur.

In Japonia similis morbus, potui ex oryza parato tributus, testium tumores in fistulas abeuntes, in mulieribus vero tubercula labrorum pudendorum et ani molitur (*Kämpfer: amoen. exot.* 582).

§. 473. *Continuatio.*

b. *Colica saturnina.*

Adfinis est priori morbus, a solis tamen plumbi oxydis repetendus. Namque vel vasorum plumbo ferruminatorum (*Path. gen.* §. 145) vel medicamentorum ex eodem metallo paratorum usui (*ib.* §. 154), vel vaporibus metallicis tribuendus, infestus est metallorum fossoribus et opificibus, qui

plumbo utuntur, pictoribus, typothetis etc. Differt autem a colica pictaviensi, tum febre socia, tum dolorum continuitate, tum denique abdominis non contractione, sed inflatione.

Orditur doloribus circa umbilicum et in dorsi spina fixis, cum angore et ardore incredibili viscerum, frigore extremorum, ardore tamen plantarum, et nervorum distensionibus: ad quae sitis valida et siccitas oris, lingua torrida et fusca, vertigines, oculorum caligines, surditas, balbuties, pupulae immobilitas, pulsus spastici, celeres; singultus, tensiones testium ac verendarum partium et deliria accedere solent. Musculi simul manuum pedumve contremiscunt, palpitant, convelluntur, ut choream sancti Viti referant: subito vero immobiles resolvuntur. Aeger mentis abjectione, virium jactura, vitae taedio, stupore sensuum torquetur, donec soporibus vel apoplexia exstinguatur, vel lenta tabe decedat. Unica salus ab alvo liquescente speranda.

Cadavera secta gangraenam ostendunt intestinorum, aut coalitum, vel scirrhos eorum, pancreatis et lienis: vesicam felleam bile atra, picea, venam portarum atro sanguine farctam, glandulas mesenterii et alias lymphaticas tumidas et duras, in cordis denique atriis polypos firmos et cellulosos.

§. 474. *Continuatio.*

c. *Colica a sordibus, flatibus, vermibus.*

Vulgatissima primum est aegritudo ex alvo diutius obstructa et stercoribus acervatis, inprimis infantibus recens natis infesta, e meconio collecto: soluta alvi dejectionibus et vomitu, interdum et ictero. Si flatus simul coerciti intestina incitant, palpitationes cordis vehementes, oppressio pectoris et dolores fugaces membrorum adjunguntur: solvitur morbus remediis, quae spiritus elidunt aut cohibent, roboratis intestinis. A vermibus nati differunt pro specie vermium diversa: taenia enim motus undabundos circa umbilicum, sensum abdominis acutissimum, praecordia tensa ac quovis tactu dolentia producere solet (*Path. gen.* §. 185). Lumbrici vero cient dolores per totum abdomen discurrentes, terebrantes, cum tumoribus duris singulorum locorum, cum nervorum distensionibus, pulsibus spasticis exilibus, cum pupulae dilatatione, siti validissima, dum jejunus est aeger; cum bulimo et sapore mucido oris atque stramineo. Dolores subito saepe cessant, sine caussa manifesta recurrentes. Nervi semper hac specie vehementer adfliguntur, ut deliria, animi deliquia et epileptici insultus accedant. Forari tamen lumbricis intestina, in superioribus refutatum est (*Path. gen.* §. 185).

§. 475. Continuatio.

d. *Colica inflammatoria haemorrhoïdalis.*

Congestum in intestina sanguinem, qui per menstrua aut haemorrhoïdes non respondet, colicos dolores excire posse, observatio fere quotidiana docet. Magnum habet plerumque casum, cum repente haemorrhoïdum fluxus suppressus est, cum sanguine homo abundant, cum febris adjungitur valida, ardentibus visceribus, rubente et turgente toto corporis ambitu, urina flammeum colorem induente. Tum dolores mire augescunt, pulsus fit celerrimus et magnopere plenus, periculoque additur metu inflammationis, quae satis frequenter adjungitur.

§. 476. Continuatio.

e. *Colica a vitiis organicis aut stimulis peregrinis.*

Frequentior ceteris species est, quae a calculis nascitur biliariis, supra (*Path. gen.* §. 111) jam distincta: rariores, quae a scirrho, ulceribus et coalitu intestinorum (§. 279. 280), a nucleis prunorum aut cerasorum voratis (*Holbroke*: in *Leske's ausz. aus den philos. transact.* I. 124): ab osseis intestinorum insulis (*Sponitzer*: in *Schmuckers schriften* I 325), a ruptis forte vasis intestinorum, post lapsum (*Scot*: in *Medic. comm*: *con Edinb.* V. 465); quae a retroverso utero (*Path. gen.* §. 224) nascuntur: vulgatiores denique e psoae inflammatione (§. 297) et renum (§. 299) ex hernia stran-

gulata et calculis renalibus obortae In his autem rite dignoscendis operam praeprimis navare oportet.

CAP. VII.

DE DOLORIBUS, QUOS CALCULI RENALES ET VESICAE CIENT.

§. 477.

Cum calculorum ortum exponeremus (*Path. gen.* §. 117, 118), adfinitatem jam indicavimus, quae *lithiasin* renalem vesicalemque et haemorrhoïdalem morbum atque arthritidem intercedit. Proditur ea praeprimis adfectibus iis, qui praecurrere solent lithiasis adfectus: namque vel ipse morbus articularis, vel haemorrhoïdes, vel hypocondriaca aegritudo, vel omnia ea mala, quae arthritidem atonicam comitantur, antecedere solent, ut stases abdominales et inaequabilis vis nerveae dispensatio per viscera abdominalia pateat. Super haec vel haemorrhoïdes vesicae, vel interceptus lotii cursus et mucosa urina, turbida ac foetens cum dolore obtuso et ponderis sensu in vesicae renumque regione aegrum diutius vexare solent, priusquam calculi generatio manifesta sit.

§. 478. *Continuatio*.

Calculus in pelvi renali formatus nunciatur doloribus modo lacerantibus aut pungentibus, modo obtusis juxta spinam dorsi a duodecima costa

ad cristam usque ossis ilium. Cum non continui sint dolores, sed augeantur motu corporis et decubitu in latere adfecto, discrimen patet inter hunc adfectum et inflammationem renum (§. 299); licet psoitidi et ulcerationi renum plura sunt communia cum hoc adfectu symptomata (§. 297. 302). Pes enim lateris adfecti obstupescere solet ac sensu privari: testis ejus lateris spastice ad annulum attractus: urina vel plane supprimitur, vel cruenta est aut mucosa filisque innatantibus aut arenulis mixta. Neque tamen, ubicunque arenulae in lotio apparent, haec aegritudo praesto est, cum in febribus nervosis crystalli luridae, arenulas simulantes, matulae parietes obsideant (§. 82): cumque in stasibus abdominalibus non raro e muco formati grumi arenulas referre soleant. Dolor per uretres vesicam adoriri, aut colicos dolores mentiri aut in alterutro seu utroque hypocondrio sedem figere consuescit. Ad haec angores per totum corpus, horrores, pectoris oppressio, gulae constrictio, tremores et convulsiones musculorum; quae symptomata quovis motu ingravescunt, dum quietus est aeger, penitus fere silent. In psoarum vero musculorum inflammatione ac ulceratione nec urinae cursus tam vehementer impeditur, nec ea remissio et exasperatio dolorum per quietem motumque observatur: nec in ulceribus renum id contingit. Quantopere vero interdum fallunt haec ulcera, e variis liquet observationibus, ubi calculo secto nil nisi renes ulceribus exosi invenirentur (*Mursinna:* in *Arnemans's mag.* I. 239).

Desunt interdum nonnulla dictorum symptomatum, unde latere potest calculus renalis, donec in ureteres et vesicam descenderit. Subinde alios morbos, hepatis nimirum adfectus aut pulmonum seu ventriculi simulat, unde diagnosis magnopere obscuratur. Tolli aut mitigari possunt eae molestiae a calculo renali ortae, dum haemorrhoïdes suppressae restituuntur, aut dum morbus forte articularis perficitur, dum fluor albus in mulieribus promanat, aut dum febris accedit, stases abdominales solvens, quae calculo generando occasionem praebebant. Muci etiam copiosum per urinam profluvium cavere a recursu symptomatum graviorum potest. Namque habet calculus eam cum arthriticis tophis germanitatem, ut subito saepe solvi possit, et lapidea durities (*Path. gen.* §. 117. 118).

§. 479. *Continuatio.*

Calculus ille, non solutus, sed sibi commissus, augmenta capit, pelvim renalem implet, obturat ductus excretorios, vehementer irritat atque inflammationes renum ciet et suppurationem. Quodsi vasa absorbentia sollecitantur, papillarum substantia solvi et destrui potest: calculus membrana firma vestitur, vel hydatides gignuntur. Interea altero rene secretio lotii perficitur. Nonnunquam calculus ita in infundibula pelvis porrigitur, ut ramosus fiat (*Sandifort: mus. anat. acad. LB.*, tab. 114. f. 10). Vel omnis omnino renum substantia terream aut steatomatosam et pinguem indolem adipiscitur.

Rarissime calculus in renibus sedem figens, ulcera ea ciet, quae foras, secus spinam dorsi, eum protrudunt (*Tulp.* obs. *IV.* 28). Multo frequentius compellitur in ureteres, quibus constrictis dolores acerbissimos, colicorum aemulos (§. 304) excit nervorumque distensiones et urinae interceptionem.

§. 480. *Continuatio.*

Calculus vesicam obsidens sequentia profert symptomata. Dolores atrocissimi pectinis et perinaei, validissimis sphincteris constrictionibus, tenesmis et glandis pruritu juncti, per motus corporis nascuntur et augescunt. Urinam mittere nequeunt aegri, nisi positu quodam singulari: maxime, si genubus nituntur, aut dum cubant vel proni sedent. Lotii torrens rarius recta fluit; plerumque filo tenuiori versus latera, aut guttatim stillat: vehementissima tormenta cientur novissimis urinae guttis exprimendis. Urina ipsa vel aquosa est, vel mucosa, arenulas deponens, vel turbida, jumentariae similis, foetida, nonnunquam succos plantarum viridi colore tingens. Ubi motus praecessit, sanguis quoque fluere cousuescit inter maximos cruciatus qui et nervorum distensiones per totum corpus cient. Solent aegri, praecipue pueri, scalpere colem aut extendere; citra voluntatem etiam ac cum molestia frequenter arrigunt.

In his cunctis notis tamen est, quod fallat. At fidem calculi faciunt digitus in anum demissus et ad vesicam datus, qui tamen et scirrhum vesi-

eae pro calculo habere potest, maxime si hic, quod interdum fit, membrana obvolutus, vel appendicibus vesicae clausus, immobilis sedet. Catheter in vesicam per urinae iter adactus calculum certo prodit, si in eum incidens sonitum edit: namque citra hanc notam, calculus tunica inclusus a scirrho neutiquam dignoscitur. Neque sine difficultate est calculus muco intra vesicam collecto obductus qui sonitum edere nequit. Praeter hanc per catheterem explorationem reliqua signa multo magis fallacia sunt, ut cum vesicae inflammatione et ulceribus commutari possint (*Path. gen.* §. 304).

§. 481. *Continuatio.*

Mutationes varias calculus in vesica haerens subit. Quodsi enim ab exordio salebrosam haberet superficiem aut radiatam fabricam, e nucleo prodeuntem, planior fit progressu et laevior. Dum haberet asperam superficiem, multo magis irritare vasa pelvis, inflammationes ciere, ulcerationes et mictum cruentum valet. Dum vero muco obducitur et laevior fit, gravioribus cruciatibus exciendis haud amplius par, strata plura accipit, ac in eam molem crescit, ut totam vesicae caveam impleat, ut urina nulla accipiatur, ureteres vero et pelvis renalis vehementer extendantur. Spissescunt tunc vesicae parietes, obdurescunt, ac in spongiosam abeunt massam, aut resolvuntur, unde continuum urinae stillicidium nascitur. Forma calculi mutatur vel a contracto vesicae collo vel a prostata tumida

vel dum lotium ex ureteribus depluens foveolas in eo cavat, vel dum undequaque e superficie sales absorbtos solvit, quo facto superficies calculi porosa fit et spongiosa.

§. 482. *Continuatio.*

Natura non raro calculus e vesica extunditur, praecipue in mulieribus, quarum urethra amplior est (*Meekren: observ. med. chir.* c. 56): et in pueris etiam, ubi digitis nonnunquam, sine ullo ferramento, excuitur (*Gökel: gallicin.* 100, *Helwig: observ. phys. med.* 70, *Asch* in *Lesche's Ausz aus den philos. transact.* 1. 199). Naturae ope solvitur calculus, dum urinae mucosae, turbidae copia fluit, aut cum tartarus ubertim ad dentium radices deponitur, tophi etiam arthritici in articulis existunt, ejusdem fabricae ac calculi, eodemque modo solvendi, aut cum calculis alternantes (§. 455).

Sect. II.

Eclyses.

§. 483.

Eclyses dicimus morbos, qui suppressam aut abolitam cerebralium nervorum efficaciam complectuntur, superstite organica vita, quae gangliis nervisque gangliosis obtemperat. Eorum morborum informatio nititur vitae vegetativae seu organicae a sensifera discrimine, quod generatim jam (*Phys.*

§. 83. 101. 102) stabilivimus. Quamvis enim gangliorum potestas per nervos communicantes cerebro subdita sit, munere tamen illam gubernandi semet interdum abdicat encephalus, unde vita sola organica pariter superest ac in foetus primordiis et in inferioribus animalium ordinibus. Gravissima eorum omnium morborum nota est, conscientiae obscuratio aut perfecta amissio, sensuum etiam superiorum caligo et motuum arbitrariorum suppressio. Eae enim functiones ab encephali efficacia pendent. Supersunt in his morbis circuitus humorum, spiritus ducendi officium, secretiones denique, quae quidem munera gangliorum sunt. Interdum etiam et haec adeo obscure contingunt, ut percipi fere nequeant, unde asphyxiae ingenium et difficillimum a morte vera discrimen elucet.

CAP. I.

APOPLEXIA.

§. 484.

Apoplexiam dicimus aegritudinem, quae perfectam complecitur sensuum omnium et motuum arbitrariorum suppressionem, superstite vita organica. Somni profundissimi et soporis gradum duntaxat summum hic morbus constituit, cum in quolibet somno sensus motusque sileant, superstite circuito humorum, secretionibus iisque motibus intestinis, qui a vita organica pendent. Quidquid igitur cerebri efficaciam cohibet, ut ejus gangliorum

que mutuum commercium tollatur, apoplexiam moliri potest. Necesse autem est, prius generalem exhibeamus morbi historiam quam ad species ejus et varietates perveniamus.

§. 485. *Continuatio.*

Cum apoplexia e violentis caussis externis, capitis plaga, mephite aut animi perturbationibus nascitur, prodroma nulla praesto esse possunt. Ubi vero e valetudine adversa oritur, praegredi solent symptomata, quae perturbatam et impeditam encephali efficaciam comprehendunt. Vertigines, oculorum caligines, aut scintillae seu fulgurum flammae subito ob oculos versantes; aures intus sonantes; dolores capitis et temulentia; gravedines pertinaces cum sternutatione et pruritu frontis; somnus tumultuosus, somnia, quibus frequenter expavescit aeger, incubus; lassitudinis et stuporis sensus in membris, aut *μυρμηκισμὸς* et artuum dolores rheumatici; linguae motus impeditus, loquela impedita et blaesa; labrorum tremor, interdum trismus et gulae constrictio spastica; inflatio faciei ruborque hactenus satur, ut vascula minima cerae rubrae injectae videantur; palpebrarum oedemata et resolutio, quae citam elevationem superioris palpebrae impedit. Ad haec algor partium externarum et pulsus tardus, durus et irregularis tum sanguinis impetum versus superiora tum impeditam encephali efficaciam notant.

§. 486. *Continuatio.*

Ipse insultus subito inchoat dolore capitis pertinaci, angore insolito, *μυρμηκισμῷ* frontis, tensione cervicis, loquela impedita et linguae motu suspenso. Vidimus homines, manus ad caput movere instinctos, repente attonitos corruere; alios, dum contremisceret aut subito torqueretur caput, dum labra convellerentur, aut oculi rotarentur, illico corripi. Interdum cor vehementer palpitat, pulsus suspenduntur, salivae guttulae aliquot ex ore fluunt.

Postquam corruit aeger, omnium sensuum inet externorum motuumque cunctorum, arbitrio obedientium, orbus est. Habitus est vel inflatus, rubicundus; palpebrae tumescunt; oculorum quod album est, cruorem effusum vel vascula capillaria sanguine turgida habet; oculi prominent, obtutu defixo, truci, fracti nonnunquam aut quasi vitrei apparent; pupula immobilis est Nonnunquam vero pallet facies et collapsa est, clausis et extenuatis palpebris. Membra semper algent: spirationes lentae sunt et rarae, aut impeditae stertoribus vel singultibus: non raro spuma os apertum cingit. Pulsus plerumque tardi, rari, duri et fortes, aut intermittentes sunt. Interdum sudores frigidiusculi per caput et collum sparguntur, urina etiam citra voluntatem redditur, alvus solvitur.

§. 487. Continuatio.

Moratur accessus vel per brevissimum tempus, ut pauca horae scripula enecent aegrum, vel in longius tempus porrigitur, ut per nychthemera aliquot persistat. Periculo additur, si febris ad insultum accedit, pulsibus concitatis et aestu intestino aucto; febrium enim intermittentium apoplecticarum periculum supra (§. 26 γ) indicavimus (1). Quae de salubritate febris ad apoplexiam accedentis praedicantur (*Coac.* 479. *Aph.* VI. 51) ad opportunitatis seu dispositionis sublationem, ope febris adjunctae, referenda sunt (§. 7). Hinc quoque letalis est quaevis apoplexia, ad febrim acutam accedens (§. 81. 89. 92. 102. 132. 136).

Quo frequentius recurrit insultus, eo magis praecipitat aegrum. Stertores in spiritu ducendo periculum augere, ex antiqua Hippocratis (*Aph.* VI. 51) observatione exploratum habemus, licet non desint exempla sanatae ejus apoplexia, quae stertoribus juncta esset (*Morgagni.* Ep. II. *n.* 13). Sudores frigidi in facie et collo perniciosi sunt. Addunt etiam periculo nervorum distensiones in ipso insultu, vomitus irriti, nervorum distensiones, urinae alvique fluxus citra aegri voluntatem: „ vultus denique adductio, ita ut longior nota videatur imago " (*Cael. Aurel.* Acut. III. 5).

---

(1) *Τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένως ἐπιπυρετήναντα χρόνῳ, ὀλέθρια.* Coac. *praen.* 460.

Utiles vero sunt haemorrhoïdes, si forte e suppressis morbus existeret (*Coac.* 478), aut menstrua iterum fluentia; urina etiam copiosa, e qua, quod subsidit, leve est et salinum; nonnunquam sanguis e naribus profusus cum sudoribus calidis levantibus; vomitus denique aut alvus fusa, si e sordibus orta esset aegritudo.

Abit apoplexia frequentissime in paralyses faciei, linguae, artuum singulorum aut vesicae. Supersunt etiam deliria, memoriae lapsus et animi desponsio diuturna, quae cerebri efficaciam haud penitus restitutam notant.

§. 488. *Continuatio*.

Cadaverum sectiones subinde nullum morbi praegressi vestigium ostendunt, siquidem e sola nervorum adfectione existit morbi species, quae nulla organica vitia habet adjuncta. Interdum, encephalo nihil morbosi continente, viscera pectoris vel abdominis vitia quaedam patefecerunt, e quibus apoplexiam ortam esse probabile erat.

Quod primum cranii ossa attinet, ea nonnunquam a semet invicem discedisse memoratum est, quod violentissimo sanguinis impetu in sinus et vasa cerebri contigisse, persuasum habemus (*Morgagni*. Ep. III. *n.* 8). Super haec frequenter accidit, ut cranii ossa serra scinduntur, sanguinem copiosum profluere. Ossium ipsorum interna facies foveolas habet vel turgidis vasis vel corpusculis illis lympha incrassata constitutis, quae perperam *glandulae* dicuntur *Pacchionii*, respondentes. Haec

enim corpuscula valde turgida cum lymphae coagulis et polypis sinuum venosorum cohaerent. Meninges vel sanguine turgescunt, vel seri colluviem habent interfluentem, vel osseas insulas, utique in processu falciformi.

Cerebri ipsius massa plerumque mollior est, et fere pultacea: nonnunquam abscessus, steatomata et scirrhi in eo organo inventi sunt (§. 192. 193). Frequenter autem ventriculi cerebri vel cruoris copiam vel seri abundantiam continent, turgidis simul vasis plexus choroïdei: subinde id ita contingit, ut sero in ventriculos effuso, sanguis abundet in meningibus, sero autem has colluente, cruor in ventriculis stagnet. Nec desunt exempla vasorum encephali aëre turgentium (*Morgagni.* Ep. V. *n.* 20).

§. 489. *Continuatio.*

Quae extra caput inventa sunt, cordis praecipuae vitia comprehendunt, quibus sanguinis arteriosi efficacia in cerebro tollitur hujusque functiones supprimuntur. Enormitas cordis, osteogenesis valvularum cordis praeternaturalis, polypi et aneurysmata aortae, motum cordis et arteriarum haud plane tollunt, licet impediant et irregularem faciant, cerebri actioni cum obicem opponunt, ut stimulum habitualem demant, quem sanguis arteriosus praebet (*Phys.* §. 101. 104), aut impetum sanguinis nimium molitur, quo cerebrum inundatur. Hinc invenimus eorum, qui ex aneurysmate cordis et aortae in apoplexiam inciderant,

encephalum totum sanguine inundatum (*Testa: von krankh. des herzens*, 155). Nonnunquam mala ea conformatio congenita aut hereditate accepta ea tandem aetate apoplexiam ciet, qua venae magis turgent et arterias antecellunt (*Phys.* §. 100. 175). Vidit Morgagnius in apoplectico arteriam vertebralem sinistram protinus ex arcu aortae; neque, ut vulgo, e subclavia sinistra natam (*Morg.* Ep. III. *n.* 20).

Denique et vitia abdominis motum cordis irregularem reddunt, unde sanguinis impetus versus encephalum vel plane impeditur vel nimius redditur. Hinc hepar enorme tumidumque, splenem marcidum et atrum, cor flaccidum sanguinisque orbum invenerunt, qui principis Holsatiae Caroli Augusti, heredis regni Sueciae, corpus secuerunt (*Rossi: über die krankeit und den tod des Kronprinzen von Scweden.* 1812). Hepar magnum, maculis flavescentibus variegatum, totumque intestinum ileum sphacelo correptum Bangius in feminae apoplexia enecatae cadavere observavit (*Diar. novo soc. Hafn.* II. 36).

§. 490. *Continuatio.*

Jam vero in eas species apoplexiae inquiramus, quae a differentibus caussis ortae diversam exigunt et saepe contrariam curandi rationem.

a. *Apoplexia nervosa.*

Et prima quidem est, quae, a nullo organico vitio, a nullo humorum impetu nata, vel debili-

tatem supponit, haemorrhagiis superstitem, aut morborum acutorum diuturnorumve pedissequam, vel nervosos adfectus alios, convulsiones inprimis, quibus efficacia encephali prosternitur. Meminimus apoplexiae cum febribus intermittentibus sociatae (§: 26. γ) aliarumque, quae scenam febrium acutarum claudere solent (§. 81. 89. 92 sq.). Et hae et aliae, quae in tabe et aliis cachexiis exitium adferunt, huic potius, quam aliis speciebus adnumerandae sunt, cum summa virium jactura, pallore et frigore totius corporis, pulsibus tardis et exilibus, oculorum caligine aliisque signis nuncientur, quae encephali vim pessumdatam indicant, cumque vasorum inanitas post mortem inventa sit.

Huc et apoplexiae, quae populariter grassantur, vel electricitatis atmosphaericae elementorumque aliorum rationi turbatae, vel magnis popularium morborum circuitibus tribuendae (*Lepecq. De la cloture Aln. zu beobachten*, 412). Tempestate pluviosa vulgarem esse apoplexiam Hippocrates jam monuit (*Aph.* III. 16), alii confirmarunt.

Nec rarae sunt apoplexiae, ex animi perturbationibus violentis (*Path. gen.* §. 165), ex hysterico et hypochondriaco morbo, e spasmis per stases abdominales, calculos biliarios et urinarios citis, ortae: quae nervorum distensionibus, corporis tremoribus, gulae constrictione, urinae interceptione spastica, pupulae coarctatione, angoribus et palpitationibus praecordiorum, doloribus artuum rheumaticis, pulsibus spasticis et irregularibus praesagiuntur.

§. 491. *Continuatio.*

b. *Apoplexia e congestionibus.*

Qui senio confecti aut capitis plagis adflicti in apoplexiam incidunt, aut qui e mala conformatione vel propter victus vitia sanguinis abundantia laborant, qui collo brevi obeso, capiteque largo gaudent; sedili indulgentes, epulis et sorbitionibus meracis, huic potissimum apoplexiae speciei obnoxii sunt, quae impetum sanguinis nimium, stagnantem motum et secessum faciliorem in partes propiores, tanquam caussas, agnoscit. Differentiam, quam olim inter serosam et sanguineam apoplexiam statuerunt, nullius esse momenti, cadaverum saltem sectionibus haudquaquam confirmari, supra (§. 488) monuimus.

Praevia autem sunt symptomata impetum nimium humorum versus superiora indicantia. Rubor saturrimus faciei malarumque is, ut vascula capillaria cera rubra injecta videantur; turgor venarum, frequens guttarum cruentarum e naribus destillatio, aestus capitis cum algore membrorum; hallucinationes sensuum, scintillae flammaeque post pastum, vesperi aut noctu visae; aures intus sonantes, lassitudo membrorum et defatigatio, somnolentia, vertigines crebriores, loquela impedita, spirationes per somnum stertorosae, tardae; pulsus tardi, fortes plenique; ea omnia praecedere solent accessus.

Dum hi invadunt, inflatio faciei adest vel rubicunda vel oedematosa, palpebris maxime tumidis,

tunicae adnatae vasa turgida; pulsus tardi, impediti; rigor totius corporis; spiritus cum stertoribus ducuntur spumaque os obtegitur. Fallitur medicus, cum e solo faciei rubore aut pallore curationis differentiam repetit, atque vel sanguinem e vena mittit, vel omissa venae sectione vesicatoria adhibet.

§. 492. *Continuatio.*

c. *Apoplexia e consensu.*

Memorabilem encephali cum cute, abdominis visceribus aliisque organis consensum, jam supra (§. 489. 490) probavimus. Hinc ortus apoplexiae e sordibus gastricis (*Mohrenheims Wiener. Beytr.* II. 231), ex ulceribus praepopere siccatis (*Frank: epit.* IV. 59), e vermibus (*Remer:* in *Horns arch.* II. 1050), ex arthritide anomala (*Conradi:* in *Hufelands journ.* VI. 468), e catarrho diuturno (*Frank: epit.* V. 139) et hepatis aliorumque viscerum abdominalium vitiis exponendus est.

CAP. II.

DE PARALYSI.

§. 493.

Paralysin vocamus adfectum partis cujusdam, quae sentiendi movendique facultatem penitus amissam, superstitibus tamen et motu sanguinis et calore animali et secretionibus, complectitur. Variat tamen is adfectus gradu: interdum enim cum sublata omni movendi facultate integra tamen est

sentiendi facultas, imo quandoque augetur, dolente membro, quod resolutum est. Id ex antithesi utriusque momenti generatim (*Path. gen.* §. 54. 262) explicuimus. Cum summum vero attingit gradum, non motus solus aut sensus deficit, sed nutritio ipsa, calor animalis et sanguinis circuitus desinunt: quod vitium minus *paralyseos* quam *mortis partialis* appellatione dignum est (*Phys.* §. 101 sq.). Quodsi in vulgari et proprie dicta paralysi superest vegetatio, integram esse gangliorum functionem, cum deperdita nervorum cerebralium potestate, persuasum habemus. Neque tamen satis e subtilioribus anatomicis disquisitionibus liquet, quomodo eae functionum suppressiones seorsim existere possint, cum nervi gangliosi in plerisque partibus, si discesseris ab oculo aureque, in quibus separati sunt, cum nervis cerebralibus confluant (*Phys.* §. 404). Necesse tamen est, et in organis separatio quaedam, ni anatomica, dynamica saltem obvia sit, qua fit, ut persistere possit nutritio et vegetatio, suppressis sensu motuque arbitrario.

Habent autem apoplexia et paralysis id commune, quod in utraque aegritudine sentiendi movendique facultas amittatur, integra vegetatione; discrimen vero morbi universalis et partialis intercedit, unde et paralysis apoplexiam excipere non raro solet (*Path. gen.* §. 29. 30).

§. 494. *Continuatio.*

Paralysis partium intestinarum, cognitu difficillima, proditur solummodo functione penitus ces-

sante post caussas admissas, quae nervorum efficaciam sufflaminare valent. Nervorum resolutio in externis partibus nunciatur doloribus et spasmis violentis, quae interdum et in membro opposito continuant. Tremores insuper, μυρμηκισμὸς, stuporis sensus aut aquae frigidae parti adfectae instillatae, vel secundum nervorum cursum depluentis antecedunt.

Diuturnus et pertinacissimus est morbus, si caussis vires exhaurientibus tribuitur, si apoplexiam in senibus excipit, si pars calorem amittit et naturale volumen, pallescit etiam et inflatur. Multo minus periculi aut pertinaciae inest, dum a suppressa per sanguinis impetum vi nervosa, aut ex humoribus in nervos abscedentibus nascitur: his enim aliorsum derivatis, sanguinisque impetu mitigato per naturalem ejus cursum aut per venae sectionem restitui potest vis nervea sufflaminata. Exanthematibus quoque et ulceribus, si quae forte repercussa aut perperam siccata eum morbum cierunt, revocatis redintegratur sensus motusque. Dum nutritio adhuc viget, dum calet membrum et naturalem servat colorem, spes est fore, ut convalescat.

§. 495. *Continuatio.*

In caussis paralysium investigandis, primum ratio habetor encephali spinalisque medullae. Eorum enim organorum laesiones ita agere solent in membra, ut oppositi lateris artus vel convellantur vel resolvantur, quod e chiasmo nervorum in in-

terioribus encephali et medullae spinalis penetralibus supra probavi (*Phys.* §. 354. 378). Vulgaria sunt exempla laesi per plagas capitis cerebri aut concussi (§. 188), abscessuum etiam (§. 192) et obdurescentium cerebri partium (§. 193), quae vitia paralyses membrorum comitatur. Ita etiam medulla spinalis caussam paralysium continet, dum pararthremate vertebrarum (*Path. gen.* §. 215), tumoribus ligamenti denticulati, carie vertebrarum, serosa colluvie inter meninges, aut stagnante sanguine in sinibus venosis, ex menstruis suppressis aut haemorrhoïdibus non respondentibus, comprimitur. Vulgatissima haec caussa restitutis iis sanguinis cursibus tollitur.

Dein ad consensum nervorum consilium transferendum est. Quodsi enim in colica pictaviensi et saturnina (§. 472. 473) in tumoribus pulmonum purulentis aut obdurescentibus (§. 245. 247), e metastasibus lacteis (§. 290) et dysenteria (§. 408), e febribus postremo biliosis et verminosis (§. 136) nervorum resolutiones nascuntur, fieri id e consensu nervorum, quae membra adeunt, cum viscerum nervis, manifestum est.

Denique nervorum ipsorum localis laesio, discissio aut actio venenorum vegetabilium, quae hydrogene carbonico pollentia, proxime sentiendi facultatem adimunt (*Path. gen.* §. 152), perpendenda est, si caussas paralysium rite rimari volueris.

De amaurosi.

§. 496.

Coecitas a paralysi retinae membranae aut ipsius nervi optici, citra impedimentum in partibus oculi anterioribus orta *amaurosis* appellatur. Sublata ea potestas videndi perturbatam supponit aut amissam nervi principalis et auxiliaris rationem, e cujus integritate sensuum superiorum vigorem explicuimus (*Phys.* §. 90. 404. 434). Hinc praecisio nervi frontalis aut superciliorum palpebrarumque plaga coecitatem adfert (*Morgagni.* Ep. XIII. n. 5). Hinc polypus in antro Highmori (*Sandifort: mus. anat.* II. t. 30), parotis tumida (*Piderit. Annalen des Lazar. in Cassel*, St. II. 10), achores suppressi aut herpetes faciei)*Klein: interpr. clin.* 194) ita ciere amaurosin videntur, ut efficaciam nervi auxiliaris supprimant, adeoque rationem perturbent, quae eum et opticum intercedit.

Retinae ipsius, nervique optici et originis ejusdem vitia accusanda sunt in pertinacissima amaurosi, quae artis omnes eludit conatus. Retinam membranam duram, imo osseam Hallerus. Morgagnius et Portalius viderunt. Nervi optici maciem, compagem depravatam, aquosam colluviem, compressionem per tumores aut exostoses: partium denique encephali, e quibus oritur nervus, aut ubi uterque jungitur, illuviem cruentam, serosam, saniosam plures observarunt.

Ad haec sanguinis caput irruentis impetus interdum accusandus est, quippe cum eo supprimi

facultas possit (*Path. gen.* §. 48). Capitis plagae et concussiones, apoplexia praegressa, caloris externi nimii noxa, curatio cataractae, quae ferramentis fit; catarrhi suppressio; ebrietas crebra; frequens et vehemens sternutatio, tussis et vomitus, aliique id genus nisus, qui sanguinem compellunt in vasa retinae. Huc etiam haemorrhoïdum fluxus et narium haemorrhagia suppressa, quibus sanguis congestus versus superiora fertur.

§. 497. *Continuatio.*

Alia caussarum series versatur in stimulis remotas, sed consensu nexas partes adficientibus, quibus, ni opticus, auxiliaris saltem nervus simul adfligitur, cum paris trigemini, a cujus primo ramo ganglion ophthalmicum formatur, insignis est cum plerisque aliis nervis consortio. Maxime autem ad plexus splanchnicum et mesaraicum consilium transferri oportet, propter nervi sphenopalatini in intercostalem transitum. Itaque stases abdominales, arthritis, vermes, tumores scrofulosi glandularum mesaraicarum saepius accurandi sunt. E colica pictonum aut saturnina ob eamdem rationem amaurosin oriri certum est. Vidimus etiam mulierem, quoties uterum gestaret, ultimo mense oppido coecam fieri nec prius liberari eo vitio quam partum enixa esset. Satis vulgaria sunt exempla amauroseos e retrogressis exanthematibus, herpete, scabie ulceribusque exsiccatis; variolarum etiam, morbillorum et rheumatismi metastasibus.

Denique stimuli nonnulli protinus debilitare et

infringere valent sentiendi facultatem, ut vel mutuum commercium nervi principalis auxiliarisque turbetur, vel ipse opticus infirmetur. Belladonnae efficacia nota est: similem noxam opii ipsiusque theae observavit Richteri nepos (*Diss. de amaurosi*, p. 30). Pertinet huc etiam aër mephiticus cloacarum, azotico praegnans. Nimia denique oculorum intentio, lucis solaris diutinus aspectus, praesertim post tenebras longiores, facillime in hunc adfectum praecipitant. Convulsiones quoque gravidarum et nimiae per febrem virium incitationes idem moliuntur.

§. 498. *Continuatio.*

Bipartito distribuenda mihi videntur amauroseos exordia, nisi repente orta his penitus careat. Nascitur enim vel e nyctalopia (*Path. gen.* §. 278) vel ex amblyopia (§. 280). Quodsi illud accidit, nimia sentiendi facultas cum adsidua lippitudine, doloribus perpetuis terebrantibus in orbita et tensionibus superciliorum ac frontis, cum pupulae constrictione juncta proditur aversatione lucis solaris, tenebrarum aut crepusculi saltem desiderio, scintillis aut flammis frequenter per noctem orsis, coloribus rerum mutatis, sive vacillante earum motu, nonnunquam etiam strabismo. His omnibus per aliquod tempus praegressis repente saepius amaurosis ingruit.

Interdum vero, amblyopia praevia, gradatim visus obnubilatur. Cernuntur cunctae res, quasi nebula circumfluantur aut velo tenuissimo tegan-

tur, unde media pars clarior fere est, ambitus rerum semper obscurior. Maculae atrae, variae sed constantis formae, fixaeque sedis ob oculos versantur. Meliuscule videt, cum apparatius pranserit et meracum biberit; aut dum oculus feritur vel fricatur.

§. 499. *Continuatio.*

Ipsa amaurosis dum adest, cognoscitur perfecta coecitate, cum pupulae immobilitate seu tardo saltem motu, dum subito tenebrae cum luce mutantur. Quae quidem immobilitas etiamsi et in suffusionis quadam specie obvia est (§. 215), differt tamen haec opacitate lentis, quam pone pupulam animadvertimus; hic vero pupula naturalem servat colorem, ni forte rarius obdurescens retina albido transpareat colore. Neque vitra convexa, quae opitulari in suffusione diximus (§. 215), nullum hic adferunt auxilium. Strabones sunt nonnulli amaurosi conflictati, neque tamen id perpetuum est, neque gravedo, lippitudo et dolores orbitae adsiduo hanc aegritudinem comitantur. In nonnullis bulbus oculi obdurescit et tumet, maxime, si ante myopes fuerant.

CAP. III.

DE SYNCOPE.

§. 500.

Syncopen generatim dicimus eclyseos speciem, qua sensus motusque non solum arbitrarii, sed plerique etiam organici suspenduntur et per aliquod tempus minime percipiuntur. Varios tamen gradus id malum agnoscit: *lipothymia* nimirum seu *animi deliquium* appellatur subitaneus brevisque virium defectus sensuumque abolitio, superstite tamen organica vita: finitima ideo apoplexiae adfectio. *Asphyxia* vero summus vocatur gradus, qui non vitam sensiferam solam, sed omnem etiam organicam hactenus suspendit, ut nulla a morte pateat differentia, ni hujus effectuum ratio habeatur. Cum mors nonnunquam sensim consequatur, vitae organicae vestigio quodam superstite (*Phys.* §. 103); limites certi nulli inter asphyxiam et mortem ipsam ponendi sunt. Atque ita judicandum de partu post mortem feminae perfecto, quod asphyxia laboraverint mulieres, cum vim contractilem uteri vitae organicae partem, viguisse necesse sit, si edendus est partus. Consulto legi, seduloque examinavi plurima ejus modi exempla, inveni autem, feminas, quae mortuae existimarentur, postquam subito extinctae essent, solitudini traditas, nemine invigilante, partum edidisse; unde suspicio mihi nata est, recte me judicare de asphyxia potius earum quam vera morte (*Cf. Sachtleben* in *Starks* ar-

chiv, 17. 561. *Börner* in *Loders journ.* 1. 519 *Neumann* in *Hufelands journ.* XXIII. 3. 166).

§. 501. *Continuatio.*

Qui animo linquitur, subito sentit musculos feriari arbitrarios, caput temulentia, vertigine tangi, aures intus sonitare, oculos caligare, aut quaecunque viderit, nebula circumflui: mox contremiscere, angi, pallescere et frigidos sudores profundere e fronte ac collo. Oculi amittunt splendorem, halone livido circumdantur, musculi flaccescunt. Protinus sui conscius non est, nec externas res a semet ipso discernit. Pulsus vacillant, tardi sunt et debiles; similis spiratio.

Cum vero asphyxia corripitur aeger, cum conscientia et sensuum superiorum usus perditur et omnis motus, tum arbitrarius tum organicus, secretiones etiam et excretiones cunctae cessant. Irritabilitatem tamen et sentiendi facultatem haud penitus exstinctas esse liquet tum ex efficacia stimulorum fortiorum, maxime Galvanicorum, tum e secessu humorum non consequente. Diutius morari potest haec suspensio, maxime si solos pulsus cessantes complectitur: namque credibile est, sanguinem per arterias modo venoso posse circumagi citra membranarum eam agitationem, quam *pulsuum* nomine noscimus. Schenkius Siegensis refert, juvenem post dolores cruris cum ardore et siccitate faucium angoribus correptum et sudoribus frigidis in eam incidisse asphyxiam, ut cordis motus parum tremulus vix percipi posset. Per circuitus redierunt ac-

cessus, antispasticis remediis cedentes (*Hufelands. Journ.* XXVII. 1. 68). In parturiente muliere Morgagnius vidit sesquihoram ante mortem perfectam asphyxiam, licet sanguis e pudendis partibus flueret (*Ep.* XLVIII. *n.* 44). Septem dies ante mortem pulsus omnino cessasse refert Vallisnerius (*Opusc.* III. 278): tres dies ante mortem e dysenteria ortam, Hallerus (*Opusc. path.* obs 25. *p.* 305). Similem habet observationem. Ramazzinius (*Constit. epid. a* 1692. *n.* 23) ubi vires tamen musculares integrae essent. Mirabile dictu exemplum Berryatus memorat, hominis a partu inde pulsibus defecti, nec ullum cordis arteriarumve motum monstrantis, etiamsi animus perturbaretur (*Hist. de l'acad. de Paris*, an. 1748, *p.* 87).

Solent, qui ex animi deliquio aut asphyxia ad se redeunt, flatus emittere, cordis motum habere parum tremulum, pupulae etiam ostendere palpitationem. Quae si accidunt, vomere aeger aut foetida alvo mittere consuescit; membra convelluntur, oscitationes et pandiculationes consequitur, calor corporis restituitur: postremo redit conscientia et sensuum superiorum usus.

§. 502. *Continuatio.*

Ut varias hujus aegritudinis species pro variis caussis distinguamus, recens natorum asphyxia primum consideranda est. Tribuitur autem vel funiculo umbilicali collum, circa quod volutus est, constringenti, aut duplicato per os uteri provolu-

to; aut compresso vel torto, priusquam foetus in lucem editus est. Haec potius apoplexia dicenda est, sanguinis missione e funicolo umbilicali tollenda. Satis vulgaris est caussa in partu accelerato vel violento, in praecisione funiculi, antequam vinciretur, in ipsa infirmitate infantis et praematuro partu quaerenda. Tum pallor et livor corporis, laxitas cutis et frigidiuscula indoles judicium nostrum firmant. Nonnunquam et pristinae formationis vestigia in communione utriusque atrii cordis supersunt, ut venosus sanguis simul cum arterioso in aortam irruat; neque pulmonum functio rite peragatur (*Path. gen.* §. 201), unde tandem morbus existit coeruleus.

§. 503. *Continuatio.*

Animi deliquia et asphyxiae, quibus adulti conflictantur, vel manifestis caussis tribuendae atque transiturae sunt: vel habituales, citra externas caussas existunt et vitium quoddam organorum centralium supponunt, ubi frequenter recurrere atque tandem exitium adferre consuescunt.

Manifestae caussae versantur in iis omnibus rebus, quae infirmare vim vitalem aut opprimere valent. Bipartito igitur dispascendae sunt. Quoties in febribus aliisque morbis, post sanguinis humorumque nimium cursum, cum reliquis infirmitatis notis animo linquitur aeger, exhaustas vires supponit. Quodsi vero subito, cum turgentibus humoribus et congesto sanguine, per spasmos etiam et perturbationes mentis animi deliquium ingruit, op-

pressionem potius quam veram debilitatem accusandam esse persuasum habemus.

§. 504. *Continuatio.*

Memorabilem cognoscimus asphyxiae caussam, fulguris ictum. Is minorem aut majorem molitur hujus aegritudinis gradum, ut propiora vel remotiora ab homine loca fulmen percutit. Saepius stupor duntaxat inde, aut spasmi, gulae palpebrarumque constrictiones dolentissimae cum animi deliquiis nascuntur Quodsi vero ipsum hominem ferit fulguris vis, externas legere potius partes, quam ossa aut viscera consuescit. Cutis velut ambusta est, vesiculis plena: cum loca quaedam confossa, contusa aut depressa apparent, lapsui potius concidentis hominis tribuenda sunt, quam fulguris ipsius vi (*Reimarus: vom blitze*, 220). Asphyxiae simillimus tamen is status, sine omni conscientia sensuumque usu, cum rubore faciei inflatae, cum flacciditate et resolutione musculorum, cum sanguinis fluxibus ex ore, naribus auribusque contingit. Oculorum obtusus fixus; quod albet, cruentum est; lacrimis inundantur. Pulsus deficiunt, vel intermittunt, atque vix percipiuntur: spirationes tardae, rarae, interceptae. Quae cum ita se habent, diutius morari potest asphyxia, citra mortem, unde non detrahenda est fides Benivenii observationi, post octo demum dies ad se rediisse, qui fulminis vi ictus conciderit. Supersunt tamen convalescentibus tremores, nervorum resolutiones et oedemata.

Enecatorum cadavera secantibus obvius est laesionum internarum, ossium conquassatorum, carnis laceratae defectus. Vulgare est, sanguinem in encephalo effusum, vasa turgida et varicosa invenire, pulmones sanguine atro farctos, atrium cordis dextrum magnopere pansum. Hinc conjectura consequimur, fulmine percussos enecari repentina aëris detractatione, electrico etiam torrente violenter irruente, ut subito sufflaminetur vis cordis pulmonumque.

§. 505. *Continuatio.*

Alia manifesta caussa asphyxiae complectitur aërem mephiticum, spirari nescium. Varius is esse potest, nec eodem modo noxius. Aëris enim species, acidum carbonicum continet, si modo septimam partem aëris, oxygenis dimidiam partem complectentis, constituit, in cellis vinariis et locis ubi cerevisia fermentat, obvia pulmones ita offendit, ut irritabilitatem supprimat, spirationi obsit et oxygenis attractionem impediat (*Phys*. §. 214). Mephitis alia animalia effluvia complectens, azotico, hydrogene et phosphoro etiam composita (*Path. gen.* §. 130), in cloacis coemeteriisque occurrit: differt autem, quam latrinae efflant, pro stercorum vetustate. Recentia enim, lotio praesertim mixta, ammoniacum continent, unde mephitis mordax dolorem frontis acutum, sternutationem, oculorum inflammationem, et lippitudinem ciet: animi deliquia solent convulsionibus sociata esse et vomitu irrito. Quodsi vero jamdiu computruerint

stercora, praeter azoticum fere purum nihil eliciunt, quod nullum fere foetorem producit, nullum peculiarem dolorem, sed subito homines prosternit, postquam atra vomuerint, foetidissimos spiritus per alvum emiserint; inflato, tanquam aëre, abdomine.

§. 506. *Continuatio.*

Aqua submersi et strangulati homines eodem fere modo enecantur. Asphyxia, qua laborant, exponenda est ex impedita spiratione, unde sanguis, a pulmonibus arctus, venosam servat indolem, atria cordis pandit, cordis musculos laxat et encephali functiones repente supprimit. Hanc existimamus veriorem hujus asphyxiae expositionem, quam dum ad aquam in pulmones irruentem aut ad alias caussas consilium transferimus.

§. 507. *Continuatio.*

Qui sine manifesta caussa, frequenter nec opinato animo linquuntur, cordis et vasorum turbata ratione laborant: ex improviso eos demum mori, Hippocratis est effatum (*Aph.* II. 41). Enormitas cordis, vel aortae aneurysmata, inflammationes etiam lentae eorum organorum, quae osseas gignunt insulas (§. 257. 259) aut polypi accusandi sunt, si qui olim sanguinis fluxibus crebrioribus, varicibus etiam et catarrhis pervicacibus conflictati erant, saepius subito concidunt, amissa sentiendi movendique facultate, conscientia perdita, convulsis denique musculis. Quibus si accedunt frequen-

tes cordis palpitationes, suspicionem eorum cordis vitiorum movent (*Testa: von krankheiten des herzens*, 147).

CAP. VI.

DE CATALEPSI.

§. 508.

Catalepsin nominamus eclysin eam, qua conscientia, sensus et motus arbitrarii suspenduntur, superstitibus motibus organicis et cerea flexilitate membrorum. *Ecstasis* quidem satis finitimum sistis adfectum, eo tamen differentem, quod sensus interni vigeant in insultu, ejusque postea conscius sit aeger, quidquid sibi imaginatione effinxerat. Nec rigor, qui animi adfectus vehementes comitatur, huc trahendus est, quippe qui ab animi perturbationibus manifestis ortus brevi transit, nec ceream membris impertit flexilitatem.

Solet autem haec aegritudo repente utplurimum hominem invadere, praecurrentibus interdum vertigine, doloribus cervicis, cardialgia, nausea, tremoribus et lassitudine corporis. Subito conscientiam amittit, sensuum et membrorum arbitrarium usum. Eumdem positum servat per insultum, quem ante habuerat: quamvis etiam situm retinet, in quem corpus et membra flectere volueris. Quandoque quidem membra convelluntur, sed hoc nequaquam perpetuum est.

Id vero constantissimum est morbi indicium,

sensum omnem partium perdi, nec stimulos ullos cutim sentire, nec pupulam luce contrahi, nec quidquam cogitari: pulsus vero, motus cordis et spirationem fere naturales esse. Nunquam reminiscitur, qui insultum superavit, eorum, quae acta sunt per insultum: solet autem continuare motus sermonemque, quos coeperat. Supersunt vertigo, lassitudinis sensus, insomnia et tristitia. Abeunt quandoque in melancholiam, hystericos et hypochondriacos adfectus aut epilepsiam.

§. 509. *Continuatio.*

Qui obnoxii sunt huic morbo, vel pueri sunt, qui dum pubescunt aut adolescunt, nimis celerem patiuntur partium evolutionem, unde inaequabilis oritur vis nerveae dispensatio (*Path. gen.* §. 37): vel juvenes sunt aut puellae, manibus stuprum committentes. Vermes etiam interdum accusandi sunt aut stases abdominales, e menstruis suppressis aut haemorrhoïdibus ortae, aut febribus intermittentibus superstites Sordes gastricas accusavit Behrendsius (*Baldingers: neues mag.* IX. 201), qui tantum torporem ventriculi in hac aegritudine observavit, ut largissimae doses tartari stibiati irritae essent. Nonnunquam Tissotus vidit in sordium gastricarum turgore catalepsin nasci, vomitu solutam.

Manifesta haec eclysis id habet singulare, quod artuum cerea flexilitas ad suppressionem sensuum motuumque arbitrariorum accedat: mira certe musculorum interna mutatione, quam exponere non ausim.

Sect. III.

Morbi Spastici.

CAP. I.

DE ASTHMATE.

§. 510.

Cum summatim jam (*Path. gen.* §. 259. 261) spasmorum ortum et differentias perstrinxerimus, protinus ad singula eorum genera morborum veniendum est, qui spasmis nituntur aut nervorum distensionibus. Quorum primum est *asthma*, diuturnus nimirum musculorum spirationi inservientium spasmus, per vices recurrens, atque spiritus ducendi officium impediens. Distinguimus autem spirituum difficultatem eam, quae pulmonum labem comitatur, eamque, quae febribus acutis familiaris est, a diuturna spasmisque solis tribuenda. Haec quidem proprie huc pertinet, diversa in infantibus ab ea, quae adultos corripit.

a. *Asthma Millari.*

§. 511.

Cum anginae polyposae historiam traderemus, spastici adfectus etiam memorati sunt, qui accedere ad eam inflammationem solent (§. 227. 228). Quae quidem spastica forma seorsim nonnunquam occurrit, vel sparsim, ut Wichmannus perhibet,

vel epidemice etiam, dum angina polyposa simul populariter grassaretur (*Michaelis* in *Hufelands journ.* 1808. *Jun.*; *Wolf über die luftröhren-bräune der kinder*, Altona, 1808). Adfinitas igitur quaedam utriusque morbi non neganda est, licet tanta non sit, quantam Autenriethius et Heckerus faciunt.

Primum enim repente nec opinato invadere morbus solet infantes, qui ante vel optime valerent vel levissimum duntaxat catarrhum quererentur. Id nunquam in angina polyposa contingit, quae per plures dies ingravescere solet, priusquam notas constantes adipiscitur. Noctu plerumque uterque morbus accessiones facit (§. 225). In hoc tamen nullus dolor est, nulla febris, tussis nulla, nec degluttiendi difficultas; sed subitam strangulationem expavet, quasi a metallicis vaporibus coarctetur pectus: ut expergiscitur, ejulatu terrifico, voce clangosa obscuraque in angores summos incidit: continuo anhelat, nec tamen aëris capax est pectus: pulsus etiam desinere, excretiones omnes supprimi, nervorum distensiones terrere: facies inflari, turgere venae et livescere. Cum erecti sedent aegri, parumper levari solent: urinam mittunt limpidam et aquosam, cum flammea sit in angina polyposa. Ructibus dein, postquam adfectus per quadrantem horae unum aut alterum moratus fuerit, aut sternutationibus ad intercapedinem perducitur.

§. 512. Continuatio.

Perfectas has intercapedines format haec aegritudo, qua optimum statuitur discrimen ab angina polyposa, quippe quae leves duntaxat remissiones facit (§. 225). In iis intermissionum temporibus languere solet infans, moerere atque singularem eam pati sensus organici sollicitationem, ut magnetismo fere animali adfectos infantes Wolfius viderit (*Hufelands: journ.* XVIII. 1. 45); alii deliria, nervorum distensiones et carphologiam observaverint. Cupiditas ciborum in intermissionibus deest, vomitus interdum irriti, urinae interceptio, gulae contrictio accedunt. Quae spasmum sedant, remedia, opem adferre solent.

Recurrit accessus post duodecim vel octodecim horas iisdem symptomatibus, sed gravioribus. Strangulationis metus major: pulsus penitus deficit, conscientia amittitur; vox miro modo convertitur, quasi crociat corvus; sudor frigidus circa faciem collumque provenit; facies pallet, oculi cavantur splendoremque amittunt, donec subito infans exstinguatur. Post mortem nihil reperitur vel inflammatum vel praeternaturale in viis aëriferis (*Wichmanns.* Ideen, 1. 121).

Perniciosus hic morbus rarius debellatur praesidiis iis, quae spasmos mitigare valent, noxiis omnibus, quae, sanguine misso aut motu ejus deminuto inflammationem amovere possunt. Manifesta caussa fere nulla: tenerae solummodo constitutionis infantum atque dispositionis ad nervorum adfectus ratio est habenda.

b. Asthma adultorum.

§. 513.

Qui spastica hac spirandi difficultate, per circuitus recurrente, corripiuntur, nervosis utplurimum adfectibus obnoxii sunt. Accessus autem solent easdem periodos servare, quas in lunae phasibus observamus: exasperatur praeterea morbus aëris vicissitudinibus, calore nimio, humore aëris, vel vestium madore, ebrietate, animi perturbationibus, corporis exercitatione nimia, vociferatione, cantu, cursu aliisque id genus incitamentis, quae vel proxime bronchia et pulmones vel totum corpus adficiunt.

Noctu maxime solet insultus accidere, praeviis doloribus cervicis, animi desponsione, nausea, ventris inflatione, alvi obstructione, oppletione praecordiorum, urina limpida et sensuum hallucinationibus. Postquam quiete obdormit aeger, subito expergiscitur angoribus pectoris et constrictionis sensu immani, quo spiritus omnino intercipiuntur. Anhelat aeger continuo, atque ut aëris plus hauriat, scapulas intendere solet et brachia. Cor palpitat vehementer: pulsus intermittunt, durescunt et deprimuntur: venae faciei turgent, oculi prominent, os fere semper hiat, ut eo majorem aëris, praesertim externi, copiam aspirare possit. Nullus interim dolor aegrum torquet: nec ultra horae quadrantem unum aut alterum morari solet insultus: transit enim pulsibus mollitis et ad regularitatem perduc-

tis, spiratione liberiore, urina cocta et sputis facilius ejectis.

§. 514. *Continuatio.*

Intercapedines sine ulla fere molestia sunt, ni jam inveterascat morbus. Ingravescunt enim symptomata circuitibus sequentibus. Angores angescunt cum oppressione pectoris: algent membra: anima deficiuntur; pulsus vix percipi potest; humeri quovis conatu aspirandi aërem tolluntur: inflatur abdomen quasi spiritibus: gula constringitur: vomitus existunt irriti aut porracei: ne verbum quidem edere potest aeger, neque tussi sputa emittere Post subito cessantem accessum sputa tandem contingunt mucosa, purulenta, cruore mixta, aut mucus per nares emungitur.

Quo crebriores fiunt accessus, eo magis abire in aliam formam solet. Stridores enim in spirituum ductione aut stertores, tussis humida, sputa saniosa aut cruenta, dolores fixi in pectoris quadam parte, febris etiam accédens, quae ante nulla esset, indoles morbi magis continua quam intermittens aut periodica transitum in tabém pulmonum signant. Cum autem nondum inveteravit morbus, hactenus formam mutat, ut cum aliis nervosis adfectibus, hypochondriacis praesertim et hystericis alternet.

CAP. II.

DE TUSSI CONVULSIVA.

§. 515.

Tussim dicimus *convulsivam* aut *ferinam*, si, nervorum distensionibus juncta, vocem ita mutat, ut cum asinorum rudore componi possit. Est morbus infantum, utplurimum popularis, asthmati Millari ipsique fere anginae polyposae quadantenus similis, a quibus tamen oppido differt tum inflammationis defectu, tum quod in asthmate Millari nec tussis ulla nec sputa praesto sunt.

Ita autem incedit morbus, ut protinus ab exordio catarrhum aemuletur per hebdomadam unam aut alteram morantem. Cum capitis doloribus, temulentia, gravedine, lippitudine sternutant frequenter infantes, raucitate vocis laborant, tussiunt, crebro sed impedite; languent, inquiete dormiunt et appetitum amittunt. Febre tenentur multi: vulgaria autem adversus catarrhum praesidia nihil opitulantur, sed tussis indies vehementior fit.

§. 516. *Continuatio.*

Ipsius morbi praesentia notatur nervorum distensionibus et voce illa singulari quasi asinorum rudentium. Plerumque instinctu quodam singulari praesagitur accessus: vel μυρμηκισμὸν frontis, vel ponderis sensum et oppressionis in fistula spiritali, vel horrores cervicisque dolores, vel demum ango-

rem mirabilem habent, quo, ut manibus pedibusque corpus suffulciant, coguntur. Tum subito anhelare et ruditu illo singulari aërem aspirare: respirare autem convulsis et obrigescentibus musculis fere omnibus, algentibus pedibus manibusque, oculi prominentibus, lippientibus, facie livescente, venis turgentibus, pulsibus intermittentibus vel tremulis. Nonnunquam sanguis e naribus excutitur: interdum sudores frigidi prorumpunt: alvus et urina, inscio aegro, mittuntur. Tussi demum ejicitur mucus tenacissimus, in fila ductilis, ori firmiter adhaerens. Tandem vel vomere eumdem mucum, vel vehementer sternutare solent. Per scripulum horae primarium continuare solet accessus, frequenter repetitis nervorum distensionibus et tussiendi conatibus, donec major muci copia ubertim ejecta fuerit. Tum silere angores, nervorum distensiones, liberius aspirare aërem solent: rubor saturrimus et faciei et venarum turgores decrescunt: pulsus quietior fit et magis regularis. Quo facto per aliquod tempus plorare infans solet: mox vero ad ludos et crepundia reverti, cibos avere ac animos recipere solent.

§. 517. *Continuatio.*

Recurrit autem accessus post quodvis victus vitium, ubi iracundia aeger exarsit, aut plus justo ciborum ingessit, aut frigus corpore excepit: nonnunquam tamen sine omni manifesta occasione, ut periodica duntaxat indoles aegritudinis accusari possit. Vidimus enim tertianarium typum servari. Dum intercapedines adsunt, facillime indignari,

excandescere, adsiduo languere et pallescere consuescit. Nonnulli etiam vehementer appetere cibos, inquiete dormire, stertere, dum aërem aspirant, urinam limpidam mittere, alvum habere vel citam vel duram.

Per hebdomadas ac menses moratur morbus, sine graviore sanitatis noxa. Solet tamen, quo crebrius ccurrit, eo magis prosternere vires, pervertere functiones ventriculi et pulmonum, et impetum sanguinis versus encephalum cogere: maxime si infantes gibberosi sunt aut aliis morbis jam debilitati. E gravissimis corporis nisibus sequuntur non raro sanguinis fluxus, praesertim haemoptysis, aut inflammationes pectoris, in tabem pulmonum transeuntes; cordis quoque enormitas, aortae aneurysmata, herniae abdominales, procidentiae, pararthremata ipsarum vertebrarum lumbalium et strumae ex eadem caussa nasci possunt. Nonnunquam et encephali perturbatio, memoriae lapsus, epilepsia et fatuitas sequi visa sunt morbum hunc nervis eorumque origini infestum. Malus exitus praeprimis extimescendus, si cum aliis morbis complicatur, cum scarlatina, morbillis aut dysenteria, aut si infantes invadit, qui, dum dentiunt, celerem patiuntur corporis evolutionem.

Consanescunt infantes, ante sani et robusti, quibus sanguis e naribus currit, aut dum accedunt exanthemata pustulosa ad labra, dum miliaria apparent cum sudoribus calidis, urina cocta et pulsibus mollioribus, regularibus.

§. 518. *Continuatio.*

Populariter grassatur hic morbus, verno inprimis tempore aut autumnali, cum morbillis et catarrhalibus aliis adfectibus. Scilicet Hufelandius observavit, rheumaticas molestias, maxime cardialgiam adultos corripere, cum infantes tussi convulsiva conflictarentur. Si qui tinea capitis, scabie aut variolis haberentur, cautum esse ab hoc morbo observatur. Contagio propagari creditur nec, refragatur aliorum morborum popularium indoles contagiosa, elicita, ubi maxime viget epidemica constitutio (*Path. gen.* §. 39). His etiam respondet observatio, semel tantummodo iidem morbo obnoxios esse infantes.

Si indoles morbi nervis infesta per phaenomenorum naturam probata est, plexibus maxime pulmonali et gastrico noxium esse virus contagiosum credibile est. His irritatis convelluntur musculi per circuitus, mucique copia in ventriculo congeritur, unde non sine ratione Hufelandius cum febre intermittente hunc morbum comparavit.

CAP. III.

DE TETANO.

§. 519.

Tetanum diximus (*Path. gen.* §. 261) spasmum tonicum, qui plerosque majores vel totius corporis vel membrorum musculos corripit, immunibus interdum flexoribus singulis. Varias accipit is

morbus formas, varia nomina. Modo enim caput scapulis, modo mentum pectoris annectit, modo rectam et immobilem cervicem intendit. Priorem Graeci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, ultimum *tetanum* speciatim appellant. Rigor mandibulae cum oris immobilitate *trismus* vocatur.

§. 520. *Continuatio.*

Calidiori zonae magis familiaris est morbus, quam temperatae aut frigidiori. In nostratibus enim vulneratos inprimis exercere solet, dum tempestas humida, aër pravus aut victus vitia accedunt.

Quodsi plaga adest, haec prima initia signat sicca indole et suppurationis defectu, tensionibus etiam et doloribus a loco vulnerato per nervos discurrentibus, tendinibus palpitantibus et musculis convulsis. Rarius accidit, plagam haud male se habere, sed bonam faciem servare, dum tetanus instat. Cum homo non vulneratus est, minime dolores membrorum praecurrunt, sed repente plerumque tensiones cervicis et dorsi, cardialgiam, vertigines, et singularem frontis μυρμηκισμὸν conqueritur. Frequenter etiam oculi caligant, aures intra se ipsae sonitant, pectus angitur et opprimitur, pulsus vacillat, cor palpitat, horrores vagi sentiuntur.

Tum subito rigescit vel totum corpus, ut rectum situm servet, vel antrorsum curvatur, mento in pectus inclinato, vel postrorsum, cervice ad scapulas verso et toto dorso arcum repraesentante;

ut nonnisi cervici et calci aeger nitatur. Memorabile est, dum membra tota obrigescunt, flecti tamen posse digitos: quod ex antithesi quadam truncorum et ramulorum eorumdem nervorum cum Rittero explicandum esset (*Phys.* §. 72), ni huic commento firmiora deessent argumenta, nisique facilius posset ex actione separata et nutritione nervorum seorsim contingente, exponi (*Phys.* §. 362). Immobilitatem musculorum et rigorem vel participant organa loquelae inservientia, ut omnino aeger obmutescat, vel incolumia sunt. Nec temperies corporis mutatur, quippe quae, a gangliosis nervis recta (*Phys.* §. 306), immunis esse potest ab ea noxa, quae nervorum encephalicorum truncos corripit. Nec pulsus a statu naturali semper deflectit: plerumque enim sanus est, nonnunquam vacillat aut intermittit. Habitus vel omnino naturalis est, vel facies inflata et livida, sudoribus frigidiusculis madida. Spirationes difficiles, anhelantes, singularis spasmus sub sterno quovis fere horae quadrante recurrit, retracta simul cervice: alvus et urina incipiuntur: hae enim functiones partim nervis encephalicis et spinalibus subditae sunt. Conscientia incolumis est, maxime dum plaga praecessit: perturbatio enim duntaxat versatur in ea encephali functione, quae reagit per nervos in musculorum compagem: quodsi vero, citra plagas, a vitio encephali nascitur, desipientia quoque accedere potest. Somnus semper interpellatur aut tumultuosus est. In viris rigor penis et pollutiones occurrunt.

§. 521. *Continuatio.*

Trismus etiam, seu rigor oris spasticus, et plagas excipit et in infantibus recens natis occurrit. Quodsi in vulneratis accidit, nullum fere praevium symptoma ciet, nisi sensum circa os ingratum aut etiam titillationem in plexu, quem nervus facialis in angulo mandibulae inferioris facit, aut risum sardoum. Neque alius musculorum ordo adficitur, quam qui mandibulam atque os movent gulamque constringunt. Cetero spirationes naturales, pulsus naturales, cunctaque reliqua integra esse videntur. Hinc igitur Larreyo adsentiri nequeo, qui trismum traumaticum rarius seorsim existere, fere semper tetanum universalem sequi perhibet.

Quodsi vero citra plagas in recens natis oritur, cum variis aliis nervorum agitationibus junctus esse solet. Vomunt enim antea infantes bilem porraceam, urinam habent limpidam aut interceptam; nec vorare possunt saepius, sed continuo ejulantur, voce clangosa. Tum musculi mandibulae inferioris obrigescunt: zygomatico, massetere, temporali et pterygoideis valide contractis et tumentibus: mandibula inferior ad superiorem attrahitur, labia ita coarctantur, ut nec haec nec maxillam diducere queat. Interdum et os immobiliter apertum servatur musculis mastoideis, sterno- et mylohyoideis valide contractis. Obrigescit etiam lingua, pharynx constringitur ut nullo modo vel salivam deglutire possit. Respuit igitur infans ubera: initio ejulatur,

sed, cum ingravescit malum, ne vocem quidem edere potest, sed quandoque duntaxat lugubria lamenta reddit, planctus gemitusque, membra etiam distorquet violentissime; musculi faciei palpitant et convelluntur; spirant vehementer et anxie; colorem corporis obtinent lividum: pupillam habent dilatatam; oculos prominulos; alvum durissimam.

Quae quidem symptomata interdum semet remittere solent, ut quovis horae quadrante recurrant: nonnunquam tamen continuo pergunt. Brevi tempore summa accedit debilitas et apoplecticus insultus, quo exstinguitur infans.

§. 522. *Continuatio.*

Capitalem hunc morbum, sive tetanus fuerit traumaticus, sive trismus recens natorum, ab Hippocratis inde temporibus omnes fere medici pronunciant: etiamsi terminus mortis, a Coo sene ad quartum diem praestitutus (*Aph.* V. 2), non serioribus duntaxat observationibus refutetur, sed ipsius etiam alio effato: febre accedente solvi solere tetanum (*Aph.* IV. 57. *Coac.* 354). Id tamen persuasum habemus, eo magis et certius praecipitari aegrum hoc morbo, quo major climatis aestus, quoque fortior fuit vis frigoris corpore excepti (*Moseley: von den krankh. zwischen den wendekr.* 397, *Rodschied: über Essequebo* 286). Eo magis letalis est exitus, quo magis contraria est nervorum dissolutio in quibusdam partibus pergenti distensioni aliarum: hinc exponendum est Hippocratis praeceptum: in tetanis et opisthotonis maxillam re-

solutam perniciem portendere (*Coac. 361*). Id saepius confirmatum vidimus. Non raro tamen diutius porrigitur morbus: ut tandem quarta hebdomada letalis fiat (*Steegmeyer*: in *Abhandl. der Josephs-Akad.* II. 418). Chalmersius vidit aegrum, qui post sex tandem hebdomadas morbum eluctabatur.

Febre accedente solvi tetanum, quod Coi posuerunt, ita intelligendum esse duco, ut diathesin potius amoveri, quam morbum ipsum curari statuam. Etenim exploratum habemus, mortem accelerari febre ad insultum adjuncta, pulsibus concitatis, rubore faciei, aestu, doloribus vehementibus. Haec enim probant, non motorios solum nervos, sed gangliosos etiam corripi, qui vasis provident

Periculum hujus morbi minime complectitur plagae praegressae amplitudinem vel gravitatem. Vidimus enim tetanum, vulnera sclopetis illata excipientem, tolli praecisis arte membris. Augetur autem periculum maxime aëre pravo, humido, quo nutritio nervorum et imponderabilium conductio perverti videtur. Id enim observatio docuit, nosodochia, quibus saucius miles servatur, alia tetano favere, alia ab eo fere cavere. Illa plerumque humida sunt, aëri e paludibus fluviisque emananti pervia, aut adeo angusta, ut sauciorum numerum nimium contineant.

§. 523. *Continuatio.*

Quae modo dicta sunt, viam nobis ad caussas tetani trismique eruendas muniunt. Plagae quidem vulgo accusantur, neque immerito, cum omnino iis nervi adeo irritentur, ut imponderabilium cursus per eosdem ad musculos turbetur. Neque tamen soli huic caussae immorandum est, siquidem leviora vulnera interdum multo magis tetano favent, aequam amplae plagae: consanescere etiam solet aeger, dummodo levis forte plaga ad suppurationem spectat. In tropicis climatibus tetano saepe Aethiopes enecantur, cum spinam aut clavum calcando in pedes impulsum gerunt, aut dum vespa feriuntur, vel capillos praecidunt. Frankius vidit tetanum a ponderis gravissimi bajulatione, qua forte nervi dorsales laederentur.

Aëris autem insignes sunt partes in morbo hoc efficiendo. Humidus, pravus, vicissitudinibus temperiei crebris obnoxius plerumque accusandus est. Quo humiliores enim tropicae insulae, eo magis hoc malo incolae laborant: quin infantum in Cayenna natorum vix tertia pars hunc morbum eluctatur. Oris inprimis maritimis infestus tetanus, arctus esse a colonia quadam fertur ope sylvae, quae cum caesa esset, omnes fere ejus coloniae infantes hoc morbo succubuerunt (*Bajon* : *über Cayenne*, 2. 118). Quantopere aëris aestus nervos sollicitet, dum humidus simul est, vel inde etiam patet, quod domestica animalia, equi et psittaci, iidem adfectui obnoxii sunt (*Bajon* : *ib.*). Hinc

etiam credo Larreyi observationem exponendam esse, quod post ingentem illam pugnam, Gallis fatalem, quae ad Eylaviam commissa est, nullos fere saucios milites tetano succubuisse, post proelium vero ad pagos Aspern et Esslingen actum plerosque refert Larreyus. Ad Eylaviam pugnatum est mense februario: gelu rigentia militum corpora aedibus commissa haud pariter obnoxia fuerunt tetani caussis, ac post pugnam illam, ad Aspern aestate factam, ubi inundans prata humilia Danubius aërem magnopere humidum redderet. Copiis Gallorum ad Lipsiam die duodevigesimo octobris praeteriti anni perditis, saucius miles frequentissime tetano succubuit: congesta enim sunt in Halam urbem plusquam octomillia militum: commeatuum penuria medentium haud sufficiens numerus haud tantam culpam gerunt, quam vicuum aediumque minus idonea indoles, utique vero pluviosa et autumnalis tempestas. Hinc tum in India utraque, tum in ipsa Moravia, tum in Insulis ionicis, citra ullam plagam, creber est tetanus post frigus corpore exaestuante exceptum.

§. 524. Continuatio.

Neque negligenda sunt incitamenta gastrica, quae maxime in infantibus recens natis, a meconio non purgatis, trismo copiam dant: unde et Hamiltonius quandoque alvum citam salubrem esse et evacuantia utilia esse jure suo perhibet. In eam enim sententiam descendere noluerim quae vitium quoddam in subligando funiculo umbilicali com-

missum arguit: scilicet aëris potius accessus ad recens vinctum umbilicum si praevertitur, cavetur ab hoc adfectu. Ratio quoque habenda est aëris in aedibus puerperarum aut in tictodochiis depravati, quo trismum praeprimis cieri persuasum habeo.

Itaque non dubito tetani caussam quaerere in turbata ratione inter copiam advectorum per nervos imponderabilium et a musculari fibra consumtorum; quod Stützius jam perspiciens oxygenis abundantiam in fibra musculari paullo praecipitantius justo commentus est, maxime cum inde curationis rationem, quae alcalinis niteretur, repeteret. Non inficiamur, vel nutritionem nervorum vel commeatum imponderabilium per nervos subvectorum a norma aberrare, cum et Larreyi sectionibus doceamur, nervorum velamenta per hunc morbum inflammari et rubere. Hinc nervorum circa tendines et phalanges digitorum laesio et medicamenti cujusdam ad nervum aut tendinem applicationem Hippocraticus auctor jam in Navarchi cujusdam et Thrinonis exemplo accusavit (*Epidem.* V. *p.* 1159): tendinem et articulorum in pedibus manibusve laesionem in culpa esse confirmarunt Larreyus, Elserus (*Salzb. med. zeit.* 1807. I. 18), Sieboldius (*Chiron* I. 340. 345): et Oderius (*Samml. für prakt. aerzte*, XXII. 106). Nervorum irritationem per osteogenesin praeternaturalem in caussis praecipuis numerarunt Meyerus (*Samml. med. beobacht*, 676) et Vetterus (*Aphorism aus der path. anat.* 131). Huc etiam pertinet Michaëlis observatio, gangraenam aut sphacelum, ad vulnera accedentes nervo-

rum velamenta corripere eoque modo tetanum producere (*Ammermanns.* Magaz. I. 387).

Cum vero musculorum motus regularis ab idonea pendeat antithesi inter nervos musculosque sive a congrua ratione inter advectionem per nervos et consumtionem per musculos, necesse est, secretio, quae in quovis motu, intra fibram muscularem contingit, atque a qua pendet robur et fortitudo musculorum, labascat (*Phys.* § 314). Hinc augeatur sentiendi facultas et receptivitas oportet, quod non sine contractionibus violentis accidere potest (*Path. gen.* §. 54 259). Quodsi secretio, proinde ut novus commeatus advehitur, augeretur, posset quidem, ex antithesi inter nervos musculosque oxygenis penus increscere, sed azotici etiam copia abundaret; robur etiam inde augesceret potius quam minueretur.

Hanc vis motricis debilitatem, seu incongruam rationem, effici praeprimis aestu aëris et humiditate ac crebris temperiei vicissitudinibus, patet (*Path. gen.* §. 125. 127). Hinc frigidae aquae adfusio post Hippocraticum auctorem (*De intern. adfect.* 491) a plerisque auctoribus, cinchonae etiam usus a Rushio aliisque commendatur. Mercurium dulcem utilem puto, ubi inflammata nervorum velamenta transitum in gangraenam minantur; opium autem irritabilitatem et robur nervorum firmare, deminuta sentiendi facultate, persuasum habeo.

CAP. IV.

DE EPILEPSIA.

§. 525.

Epilepsiam dicimus nervorum distensiones cum sensuum internorum externorumque suppressione: *eclampsiam* autem, si brevi transeunt ejusmodi spasmi.

Discrimen statuimus epilepsiae, quae totius systematis nervosi adfectionem, eamque, quae partis singularis laesionem aut aegritudinem supponit.

Illa nunciatur variis hallucinationibus, sensuumque et motuum vitiis. Somnia tumultuosa, dolores capitis et temulentia, anxietas, ventris inflatio, cardialgia, urina limpida aut intercepta (1) loquela balbutiens, palpebrarum trepidatio, oculorum obtutus trux aut torvus cum vultu peregrino et lacrimarum effusione: maxime cum musculorum faciei palpitatione et tendinum reliqui corporis subsultibus: haec utplurimum praecedunt insultus. Interdum ita visus hallucinatur, ut flamma ipsis ob oculos versetur: simul fragores audire sibi viden-

---

(1) Ἐπιληπτικοῖς οὖρα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα παρὰ τὸ ἔθος, ἄνευ πλησμονῆς, ἐπίληψιν σημαίνει. ἄλλως τε κἢν τις ἐς ἀκρώμιον ἢ τράχηλον. ἢ μετάφρενον πόνος ἢ σπασμὸς ἐμπεπτώκῃ, ἢ νάρκη περιγένηται τοῦ σώματος, ἢ ταραχῶδες ἐνύπνιον ἑωράκῃ. Coac. 599.

tur aut strepitum fluminis torrentis. Nonnunquam moestitia et singularis animi abjectio praegrediuntur: aut cum horroribus fluit urina brevi ante accessum.

E membro quodam aut parte vel vulnerata vel peregrina corpora nervis insidentia continente ita inchoat morbus, ut aura quaedam vel flatus calidus aut frigidiusculus, formicarum etiam reptatus aut electricus ictus per nervos discurrere aut ascendere ad origines eorum in encephalo, plexu solari aut medulla spinali videantur. Adscensum eum, quo insultus provocatur, impedire possumus, subligato nervo, per quem adscendit aura, aut membro ipso: sed multo majores inde sequuntur cruciatus, quam dum insultus ipse eruperit.

§. 526. *Continuatio.*

In ipso insultu subito cessant sensus omnes et conscientia et motuum arbitrium. Vel humi procumbit, vel per breve spatium procurrit, vel rotat corpus, priusquam concidat. Vidimus etiam animi deliquio levi corripi, ut reclinent corpus ad sellam aut lectulum, aures intra se sonare queruntur et conscientiam haud omnino perdere Delentur autem semper sensuum facultates, ut nec tactum nec irritationem membrorum violentam percipiant. Nervorum distensiones vel omnes omnino corporis musculos, vel partium singularum duntaxat occupant. Musculorum utique facici convulsiones, palpitationes et distorsiones adeo tetrae, ut terrorem adspicientibus injiciant, instinguant etiam,

qui teneritate nervorum et dispositione ad similem morbum laborant, ut easdem aemulentur convulsiones. Supercilia corrugantur, frontis musculi adducuntur, rotantur oculi, pupilla valide constringitur. Mandibularum contractio stridorem dentium afficit, vel linguae morsum, vel luxationem etiam articulorum. Pectoris et laryngis musculi convulsi, spirationes vehementes creberrimasque, stertores, ronchos et singultus, vociferationes et ejulatus producunt, quarum vocum peregrinam indolem superstitio rudium nationum pro oraculis habet.

Gulae constrictio spastica deglutitionem impedit; nonnunquam vomitus accedit, aut ructibus ejicitur aër foetidus. Pulsus vel suppressus vel intermittens atque sine ordine concitatus. Abdominis musculi obrigescunt: riget etiam penis: polluitur aeger: testes ad annulum violenter attrahuntur. Fortissimae autem nervorum distensiones in extremis partibus observantur: flexores digitorum, incitabilitate majore gaudentes (*Phys.* §. 322), magis semper contrahuntur extensoribus: hinc pollux utique in volam manus flexus laxari nequit: quod perperam olim constantissimum epilepsiae signum habitum fuit. Deesse enim potest, cum parte singulares tantummodo morbus occupat. Saepius cum tetano junctus est accessus.

§. 527. *Continuatio.*

Mora insultus varia est, vel per quadrantem horae, vel per longius etiam temporis spatium. Gradatim mitescunt distensiones, quietior fit spi-

ratio, cum gemitibus cedit sensim conscientia. Ubi penitus silent convulsiones, nihil eorum recordatur, quae in insultu acta erant: magnopere languet, totum corpus contremiscit: animum despondet atque tandem sudor foetidus per totum corpus funditur: simul flatus mittuntur eodem foetore conspicui, aut in lipothymiam concidit homo. Supersunt nonnunquam gulae constrictio, oculorum distorsio, balbuties aut coecitas, cum effuso in quassis membris sanguine.

Redit paroxysmus, dum dispositio adest, fixis circuitibus aut non stato ordine. Vidimus enim menstruos epilepsiae insultus aut tertio quovis die recurrentes. Quo crebrius jam rediit, eo difficilior est curatu: teneritas totius corporis tum potest, citra caussam externam, novos insultus moliri: plerumque tamen occasionem praebent animi perturbationes, terror praeprimis et angor: victus etiam vitia, ciborum concoctu difficilium nimia copia: frigus denique corpore exceptum. Quo saepius redit epilepsia, eo magis obest animi integritati: solet enim memoria labi, intellectus minui, ut fatuitas etiam sequatur. Animi desponsio frequenter excipit crebriores insultus, unde melancholia sociatur. Tandem nervorum resolutio, apoplexia aut tabes cum oedematibus membrorum et exanthematibus adjungi solent.

Perniciem adfert epilepsia, si ad alios morbos accedit, utique ad diuturnos: in hydrope praeprimis letalem observavit Hippocrates (*Coac.* 454. 459). Idem statuit, quibus accidat epilepsia viginti-

quinque annos natis, eos commori (*Aph.* V. 7). Letalis etiam est, si totum jam habitum depravaverit, accedentibus melancholia, tabe aut apoplecticis insultibus.

Melioris notae praesagia formanda sunt in epilepsia ante pubertatem, a manifesta caussa, turgore humorum in morbis acutis (§. 326), a concitata evolutione corporis, dum dentiunt infantes, aut vermibus laborant. Nec periculosa est, quae praegnantes mulieres infestat; ab hac enim partu et lactatione liberantur.

§. 528. *Continuatio.*

Cadavera secta varia vitia adesse probarunt, pro varia epilepsiae indole. Etenim vel formae vitia in encephalo et nervis observantur, vel nulla omnino labes, sub sensus cadens, unde ad subtiliora vitia nervorum consilium transferendum est.

Quodsi epilepsia per totam vitam morata tandem mortem attulerat, cranii ipsius vitia, obliquitas totius calvariae, qua foramina magna vasa nervosque emittentia alterutro latere coarctarentur; aut ossa nimis crassa, exostoses etiam, spinae vel calcea indumenta faciei internae ossium inventa sunt (*Gredings: verm. schriften*, II. 81. 282). Nonnunquam foveas singulares aut foramina calvariae apparent, maxime in regione processus falciformis, ubi corpuscula a Pacchionio dicta, turgida videntur eas foveas effecisse. Interdum ossa cranii a se invicem secesserunt, urgente colluvie sanguinis aut seri in ventriculis cerebri et inter meninges.

Meningem duram invenimus magnopere firmam, siccam, osseis insulis, tuberculis fungosis, maxime vero corpusculis illis a *Pacchionio* dictis, conspersam; meningem piam spissam, mucosam et quasi lardaceam; utramque vel coalitam vel lympha coagulata interstinctam: vasa membranarum semper turgida, abundans etiam cruore cerebrum, effusum eumdem in ventriculos cerebri. Impetu enim sanguinis irruentis singulos accessus morbi cieri, probabile est, unde praevertendos esse compressis vasis insultus Parryus docuit (*Samml. für prakt. aerzte*, XVI. 303).

Quod cerebrum ipsum attinet, Josepho Wenzelio debemus egregiam observationem de glandula pituitaria plerumque in epilepticorum cadaveribus vel inflammata vel suppurata vel materie fragili flavida farcta (*Jos. Wenzel: über den hirnanhang fallsüchtiger personen* Mainz, 1810). Tubercula cerebrum prementia, apostemata eum carie calvariae; steatoma glandulae pinealis; hydatides plexus choroidei et serosa colluvies cum cerebri mollitie praeternaturali (1): medulla denique oblongata fere cartilaginea frequentius vel rarius inventa fuerunt.

Nonnunquam cum integerrimo cerebro nervi singuli comprimuntur aut irritantur nodulo cartilagineo, tumore cystico aut concrementis lapideis vel osseis, vel plaga quadam lacerati sunt: quae ma-

---

(1) *Διεσθίεται γὰρ ὁ ἐγκέφαλος ὑπὸ τοῦ φλέγματος καὶ τήκεται.* Hipp. *De morb. sacr.* 307.

nifesta vitia aurae epilepticae surgenti aut nervos percurrenti occasionem praebent. Neque tamen rara est aegritudo, absque his manifestis pravitatibus orta, quae vitium sensibus non patens in nervis obvium supponit.

§. 529. *Continuatio.*

Dispositio ad hunc morbum, saepius jam commemorata, vel congenita est vel acquisita. A matre cum infante communicari, experientiae haud repugnat, etiamsi materiei cujusdam aut veneni etiam contagiosi transitus statuendus non sit. Namque qui contagiosam dixerunt hanc aegritudinem, opinionem firmare studuerunt observatione propagati morbi per intuitum alius: quod cum magnetismi animalis transitu comparare voluit Bachius. Neque tamen aliam video caussam praeter imaginationis efficaciam. Quodsi a matre ad foetum transit epilepsia, tenerrimae id tribuendum costitutioni, quam necesse est participet infans. Congenita vero epilepsia potissimum ex animi perturbationibus violentis, quibus mater est obnoxia, repetenda est. Acquiritur denique dispositio iis omnibus, quae debilitatem systematis nervosi et inaequabilem caussantur virium dispensationem. Hinc, quam dicimus hystericam constitutionem, vel infarctibus juncta, vel menstruis irregularibus feminas reddit huic morbo obnoxias. Hinc, qui in lustris vitam consumunt aut stuprum manibus commiserunt, obnoxii esse huic morbo solent.

§. 530. *Continuatio.*

Occasionem praebent vitia calvariae et encephali nervorumque, quae supra e cadaverum sectionibus posui (§. 528). Eo etiam pertinent calculi vel urinarii vel bilarii, hernia strangulata aut vulnera, quibus nervi lacerantur. Huc etiam vermes intestinales et infarctus pituitosi aut atrabilarii, ex haemorrhoïdibus interceptis et arthritide anomala orti. Incitamenta nervorum praebent et vitia cutis, achores et scabies, ulcera aliaque exanthemata praepopere exsiccata: tum etiam sordes biliosae aut nimia ciborum dyspeptorum copia. Animi perturbationes pariter occasionem praebent ac lunae conversiones, quippe quae exasperare morbum consuescunt.

Adfinitas tetani et epilepsiae confirmatur eo, quod uterque morbus nervis sensuum superiorum et musculorum arbitrariorum infestus, incolumes mittit nervos organicos: licet et hi demum occupari soleant, si corpus tabescit, aut si febris in tetano accenditur (§. 524). Sed plura sunt etiamnum dubia et obscura in epilepsiae expositione. Quid enim est, quod continuum rigorem musculorum in tetano, alternas vero contractiones et remissiones in epilepsia efficit? Cur conscientia integra est in tetano, penitus amissa in epilepsia? Minime id a partiali musculorum adfectione in tetano, magis universali in epilepsia pendet: namque et haec saepe membrum quoddam singulare corripit. Cur tetanus plerumque perniciem brevi adfert, epilep-

sia vero per totam vitam tolerari potest? Quid denique est, quod glandula pituitaria in hoc morbo vitiata sit, in tetano vero nervorum sola velamenta?

CAP. V.

DE HYGROPHOBIA.

§. 531.

Hygrophobiam aut *rabiem caninam* vocamus nervorum distensiones circuitibus recurrentes cum furore, aversatione fluidorum et constrictione gulae spastica junctas. Plerumque nascitur a morsu rabidi aut furiosi canis vel alius animalis domestici: rarius potest etiam existere ab iracundia (*Andry: von der wuth*, 7): haud tamen commutanda est cum hygrophobia ea, quae ad febres accedit (§. 81. 114. 187. sq.), neque per circuitus recurrit.

§. 532. *Continuatio.*

Quodsi morsus praecesserit, temporis spatium intercedit plurium hebdomadum aut mensium etiam, quo nihil omnino praeter locales morsi membri adfectiones sentitur. Licet fabulis adnumeranda sint exempla morbi aetate provecta apparentis, si puer aut adolescens morsus esset, singularis tamen est relatio Grysleyi de exasperata plaga quovis vere per septemdecim annos, donec duodevigesmo demum morbus ipse erumperet. Simile aliquid observatur, quoties locales morsi membri adfectus virus molitur.

Plaga plerumque cito consanescit; quoque minus sanguinem fundit aut ulceratur, eo certius est morbi praesagium. Loca dein vulnerata dolere, cutis quae supra est, rubere et ardere, partes, quae junctae sunt, turgescere solent: cicatrice reaperta ulcus prorumpit malignum, sanguine farctum, oris inversis, textu celluloso spongioso, ichore manante pravo foetidoque. Dum apertum est ulcus, nullae aliae solent molestiae consequi. Protinus vero ut clauditur, tensiones, horrores et dolores singulares per nervos adscendunt, in spina dorsi terminati. Simul obstupescere, resolvi aut leviter convelli solent partes. Vasa vero absorbentia et glandulae, ad quas haec coëunt, minus turgere aut inflammari consuescunt.

Interea valetudo adversa nascitur, plerumque aliis caussis tributa. Nausea frequens, ponderis sensus in praecordiis, alvus dura, tensiones cervícis dorsique, somnus inquietus, somnia terrifica, solitudinis amor, meticulositas, moestitia, levis etiam interdum desipientia, vertigo, temulentia, aurium sonitus, oculorum caligines et maculae obversantes aversatio lucis meridianae, ipsaque animi deliquia imminentem morbum adnunciant. Ad haec pulsus duri, spastici, intermittentes; spirationes anxiae, gemitu singultuque interceptae; angores peculiares qui et vultu et oculorum obtutu peregrino, truculento et feroci exprimuntur; vox rauca et clangosa; pupilla contracta; albuginea ruberrima; cutis arida, pallida; algida membra; urina limpida; denique vomitus irritus porraceus.

§. 533. *Continuatio.*

Proxime instat morbi insultus, dum e parte morsa aestus cum horroribus alterni adscendunt, febris sociatur cum ardore intestino et siti valida. Explere hanc nequit propter gulae constrictionem violentam, quam cum vincere satagit, musculis pluribus intentis, capitis sequitur convulsiva nictitatio et tremor musculorum colli vehemens, cum distorsione faciei.

Simul sensus omnium organorum tantopere acuitur, ut oculi lucem aversentur, flammas adsiduo videat aeger, aures intus sonitent, expavescat adspectum aquae, potuum omnium, sanguinis e vena missi, splendidarum etiam rerum, ut vitri, parietis dealbati, torrentis etiam fluvii aut venti strepitum. Quinetiam urina missa pavores excit et nervorum distensiones. Cutis sensus adeo acuitur, ut aëris levissimum flamen angores et convulsiones efficiat. Semper meticulosus est et pessima quaeque aeger ominatur. Proxime insultum praecurrunt vultus distorsio, oculorum torva et truculenta rotatio, cruenta adnatae indoles, praecordiorum palpitatio, urina limpida aut intercepta, vomitus irritus, pulsus spasticus ac intermittens, spiratio convulsiva, palpitatio cordis et angores terribiles.

§. 534. *Continuatio.*

Protinus ut vorare potus aut salivam etiam conatur, ut splendida videt, furere incipit nervisque distendi. Complectuntur autem spasmi maxi-

me musculos colli, qui adsiduo convulsi caput oblique inclinari jubent, vehementer turgent et obrigescunt. Totum saepe corpus tetano corripitur: trismus accedit cum praecordiorum et ventris tensa indole. Saliva continuo effluit et spumam ante os format. Mox violentissima jactatio exercet aegrum; vociferatur, ejulatur; exsilit e lecto, dirumpit, quidquid occurrit, ut et mordere et latratum canis imitari olim crederetur. Superstitioni tamen potius haec tribuenda quam verae observationi, quippe cum mordere e quadringentis hominibus septem duntaxat meminerimus. Vomere vero prasinam bilem atramve, singultibus torqueri, si viri sint, penem rigere et semen effundi; musculi denique adeo fortiter contrahi solent ut vincula compedesque lacerent et dirumpant.

Postquam per horae quadrantem unum aut alterum perstiterit accessus, quies gradatim sequitur: plangoribus, lamentationibus, stertoribus terrent, animam despondent hactenus, ut et mortem sibi consciscere cupiant. Infractas penitus vires sentiunt, nonnunquam et nervorum resolutiones; pulsibus tremulis, debilissimis. Superest sensus acutissimus totius corporis, maximeque pharyngis, qui, etsi solidos cibos possit deglutire, valide tamen constrictus aversatur potus omnes, aut aquam solam; aliis sorbitionibus minus aegrum adficientibus. Denuo recurrit paroxysmus, simulac animus perturbatur aut victus quoddam vitium committitur.

Capitalis est morbus, nec unquam natura sa-

natus. Primis fere octo diebus perniciem affert vel inflammationibus sociatis, vel nervorum resolutionibus vel apoplexia.

§. 535. *Continuatio.*

Cadaveribus sectis plerumque similia nervorum vitia observantur, ac quae post epilepsiam et tetanum animadvertuntur. Nervorum enim incendii appellatio, qua hanc aegritudinem jam Democritus insignisse dicitur (*Cael. Aurel.* Abut. III. 14), confirmatur Sallini et Rossii nuperis observationibus de inflammatis nervorum gangliis atque de marcida nervorum indole, inflammationi sine dubbio tribuenda. Cerebri ceterum vitia eadem fere sunt, quae in epilepticis notantur: inflammatae praeterea meninges, vasa encephali turgidissima, serum inter meninges effusum.

Nonnunquam et in corde abnormitates deprehenduntur: pericardium siccum, cum corde coalitum, inflammatum; ventriculi cordis sanguinis expertes, polypis referti. Interdum et pulmonum inflammatio et cum pleura concretio: ventriculi denique et intestinorum inflammationes gangraenosae. Quae omnia sequelae potius sunt labis eae, qua nervi corripiuntur. Hanc autem a veneno contagioso excitam velamenta nervorum ita infestare autumo, ut et secretio plane aliena fiat et impetus abnormis imponderabilis substantiae, et gangliorum potestas cum cerebri efficientia commutetur eamque pervertat.

§. 536. *Continuatio.*

In exponendo hoc morbo primum est ratio virus contagiosi habenda, quod cum animale sit, a reliquis tamen ejusmodi contagiis differt, quod cum transeat in aliam speciem, multiplicandi vim amittat. Namque et Rossii insitionibus et Gorryi observationibus constat, humores hominis morsi rabieque cruciati expertes fere esse contagiosae indolis. Cetero hydrogeneae est naturae, sicut et alia venena animalia (*Path. gen.* §. 155) et contagia (*ib.* §. 156). His igitur, hydrogene scatentibus, antithesis illa necessaria polarium elementorum in musculis et nervis destruitur, energia pessumdata, sentiendi facultate nimis aucta. Gangliosis nervis vero inprimis infestum est contagium, propter hydrogenes in iis praevalens (*Phys.* §. 92. 362). Nec absonum est, nervum accessorium Willisii, qui, musculo trapezio et πλατύσματι μυώδει providet, quique plures jungit encephali nervos cum ganglioso systemate, praeprimis pati in hoc morbo; cum capitis inclinatio convulsiva id indicare videatur.

Unde vero oriatur id venenum in rabidis canibus, ambigitur. Coëundi aviditas cohibita non sine culpa esse videtur: siquidem in Oriente et Aegypto canes catenis non coërciti, sibi commissi, mansueti sunt, nec morbo huic obnoxii. Accedit spermatis masculi volatilis nidorosa et hydrogenea indoles, qua, dum abundat illud, ganglia eorumque nervi facile inundantur, eoque modo secretione

alienata substantiam virosam producunt. Salivam ingenti copia effluere exponitur e connubio nervorum, qui glandulis salivalibus provident, cum plerisque aliis (*Phys.* §. 117).

Nervos autem solos adfici in hoc morbo, nec primitus sorberi virus per vasa lymphatica, patet tum e Portalii observatione, quod nec sanguis nec lympha inficiantur, tum ex usu eorum remediorum, quae nervorum vim augere et alienare valent, tum e defectu tumorum in vasis glandulisque lymphaticis, tum ex imaginationis vi, quae morbo producendo par est, etiamsi plagam minime canis inflixerit. Tetano igitur similis morbus, differt gangliorum primaria passione, qua encephali actio normalis pervertitur et efficaciae gangliorum subditur (*Path. gen.* §. 287). Diutius autem in loco morso haerere potest virus, quod ganglia separationem efficiunt et morbos locales (*Path. gen.* §. 30).

CAP. VI.

DE CONVULSIONE CEREALI.

§. 537.

Ita appellamus nervorum distensiones, a rei frumentariae depravatione ortas, et formicationis sensu junctas. Μυρμηκίασις nomen, quo morbum Suedianerus insignit, magis idoneum est quam *Raphaniae* appellatio, Linnaeo usitata, qui immerito raphani raphanistri admixtioni ad frumenta

eum tribuit, cum haec quidem herba, hordei potius et avenae segetibus infesta, secale non inficit, cujus tamen depravatio vel maxime accusanda est. *Necrosis ustilaginea* Sauvagesii, quam Suedianerus cum aliis auctoribus huc trahit, quamque olim cum Wichmanno plane diversam habui, est mera varietas, quippe quae in ditione Galliae soloniensi, inter Ligerim et Cerum flumina sita, inflammatione èt sphacelo membrorum terminatur: iidem certe vitio frumenti tribuenda, quod et animalia, secundum Tesserii experimenta, eodem modo enecat. Est id vitium secalis cornuti vel abortus nomine cognitum (*Path. gen.* §. 140). Neque in Gallia sola necrosin, in Germania vero convulsiones has singulares, formicationis sensu junctas, efficit: namque ulcerum et pustularum malignarum in membris erumpentium, velut symptomatum convulsionis cerealis meminerunt in Germania Frid. Hoffmannus (*Opp.* III. 34. et medici silesiaci Scrincius et Burgartus (*Satir. med. siles. spec.* III. *p.* 35. 37). In Lombardia etiam necrosis gallica endemica apparuit (*Ginanni. Delle malattie del grano in erba.* Pesaro 1759. 4) et in Helvetia (*Lang Beschr. des schädl. Genusses der kornzapfen im brote.* Lucern, 1717. 8). Itaque non dubito transitum statuere a necrosi gallica ad convulsionem germanicam cerealem.

§. 538.

a. *Forma ἀπύρετος.*

Diuturna est febrisque expers forma, quae populariter quandoque per Germania grassatur. Rarius sine prodromis subito homines corripuit. Dum laborarent, maxime dum prandèrent, repente angores, pectoris oppressiones, animi deliquia sentiebant, apoplecticorum more humi procumbebant tum cum *μυρμηκισμῷ* membrorum convulsiones accedebant, soporabantur aegri. Expergefacti capitis dolores querebantur immanes et debilitatem summam; cum paullo magis ad se rediissent, bulimo adfici, omnia sine discrimine vorare, bene digerere et alvum deponere, perpauci sitire. Accessus recurrere per circuitus tertianarios, vel sine ordine: in quibusdam membra haud obrigescere, sed miris motibus torqueri, agitari, ut *choreae sancti Viti* speciem prae se ferrent: nonnulli etiam furere In intercapedinibus stupor animi, memoriae judiciique lapsùs, fatuitas observabantur; continua esuries eos cruciabat. Sic continuavit morbus per aliquot hebdomadas aut menses: dum miteseeret superfuit fatuitas. Saepe accesserunt exanthemata, anthracibus similia, dolentissima: nonnunquam abscessus glandularum axillarium et inguinalium interdum etiam gangraenosi decubitus (*Leidenfrost.* Opusc. I. *Brunner:* in *Ephem. nat. cur.* dec. III. *ann.* 2. *p.* 348).

Plerumque tamen prodromis nunciata aliter progrediebatur. Membra defessa, tracta atque velut lacerata, formicarum quasi repletum sentiebant doloresque rheumaticorum similes: his magnopere inquietari aeger, per somnum pavoribus exciri. Tum convulsiones mirae accedebant, quibus membra omnia miro modo dispellebantur. Pulsus interea naturales: febris fere nulla nisi aestus intestinus, algor dorsi, temulentia capitis cum siti exstingui nescia huc trahantur. Vomitus plerumque, quo pituitae tenacis copia et trichocephali (*Path. gen.* §. 182) ejicerentur, parum levaminis attulit. Ut se remittit accessus, esuries immanis observatur, cum pyrosi, ructibus acidis et cardialgia; superest in membris languor summus, stupor, resolutio: vel contractio ea, ut solis digitis pedum incedere cogantur. Animi ad haec desponsio, fatuitas: loquela balbutiens: vox debilis: facies livida, collapsa, quasi arida: pupula dilatata. Accessus dein crebriores post aliquot hebdomadas nervorum resolutiones, virium jacturam et anthraces membrorum adducunt, quibus mors acceleratur. Super haec in longum protrahitur morbus, dum in epilepsiam abit pertinacissimam aut fatuitatem, in suffusionem etiam lentis et membrorum singulorum resolutionem. Saluti fuerunt vomitus, quo trichocephali ejicerentur, exanthemata scabiem referentia, abscessus aut ptyalismus (*Taube. Gesch. der kriebelkrankheit.* Götting. 1782).

§. 539.

b. *Forma acuta.*

Haec est febrilis ea aegritudo, quae *sphacelo sicco* seu *necrosi* sociatur, rarius in Germania, in Galliae provincia soloniensi frequentius observata. Praegressis per aliquot dies capitis ventriculique doloribus febris accendebatur, cum aestu intestino validissimo, formicarum reptantium languorisque sensu in membris; tum convulsiones accedere, membra intumescere, sensum amittere, livescere, algere, vesicis obtegi; quae ichorem serosum foetidum funderent aut atri cruoris guttas. Sphacelus demum circumscriptus membrorum partem sejungit: primum digiti, tum majores articuli penitus secedunt sine ulla sanguinis profusione.

§. 540. *Continuatio.*

Quaenam sit remotior caussa mali hujus, licet dimorphi, tamen ejusdem generis valde dubium non est, etiamsi experimentorum contrariorum copia judicium fere confundat. Namque, quae Taubius, Schlegerus, R. A. Vogelius, Eschenbachius aliique congesserunt argumenta, de innoxia secalis cornuti indole, ustilaginem potius spectant quam verum secale cornutum (*Path. gen.* §. 140). Hoc enim, quam perniciosum sit non cohortalibus duntaxat pullis, sed suibus etiam aliisque animalibus, Tesserius egregie probavit (*Lindemanns.*

Abhandl. aus den scriften der med. soc. zu Paris, II. 420). Eadem nascuntur symptomata, eodem modo mors consequitur, ac in necrosi hominum. Itaque etiam nec ῥοάδα accusare licet, quippe quae, oleribus infesta et variis fructibus horaeis, dysenteriam quidem gignere potest, sed nunquam convulsionem cerealem. Quid autem sit, quod secales pravitas tetrum hunc morbum dirasque convulsiones efficiat, sive sint vibriones, sive caustica quaedam substantia farri insita, aegerrime dici potest.

CAP. VII.

DE CHOREA SANCTI VITI.

§. 541.

Convulsiones mirae membrorum, quae tripudia aemulantur, viribus animi incolumibus aut excitatis etiam, hoc nomine, seu *scelotyrbes* Sauvagesio, *ballismi* Swediauero veniunt. Simulat quidem haec aegritudo convulsionem cerealem, sed sporadica est nunquam popularis, nec μυρμηκισμῷ illo juncta, nec in gangraenam abiens, per circuitus recurrens, diuturna. Nomen sancti Viti originem habet in superstitione medii aevi: cum enim saeculo XIV. grassaretur vel haec vel cerealis convulsio, a sancto Vito Corvejensi monasterii patrono opem petere religio jussit (*Bzovii et Raynald. Annal. eccles.* ann. 1374. n. 13). Gregor Horstius tamen a sacello sancti Viti in ditione ulmensi nomen deri-

vat, quod petere saeculo XVI. soleret plebs furore saltandi correpta (*Ep. med.* sect. VII. p. 119).

§. 542. *Continuatio.*

Praevii accessuum sunt varii nervorum adfectus: vertigines, capitis dolores et temulentia, oculorum caligo, oris spastica diductio; oppressio pectoris, gulae constrictio; angores praecipue et cordis palpitationes cum pulsibus suppressis et spasticis: membrorum dolores, stupores et sensus, quasi formicae ea perreptarent. Vidi etiam in puellis praecedere hilaritatem singularem, quae et vultu est gestibus miro modo agilibus et garrulitate prodebatur. Tum tripudiare incipit aeger, pedibus trepidare, aut, dum crura et genua rigent, continuo pedum digitos motitare: nonnunquam brachia et manus solummodo agitantur, ut si quae capessere voluerit, flexis et distortis id fiat brachiis. Simul loquela impedita est, gula constringitur, pupula coarctatur, singultus accedit et pectoris spastica oppressio. Mens interea sui conscia quidem est, sed vehementer perturbata anxietate et meticulositate, aut timorum vicissitudine et hilaritatis, ut modo rideat aeger cachinnosve edat, modo ploret et gemat. Quandoque, integra conscientiae parte sibi tamen temperare nequeunt, quin inepta quaeque et noxia etiam sibi aut aliis agitent; mordeant, lectis exsultent, feriant, qui adstant, dirumpant supellectilem, lintea dilacerent (upiditas ciborum vel nulla, vel praeternaturalis,

ut peregrinas res et quae alere nequeunt, appetant.

§. 543. *Continuatio.*

Accessus post breviorem vel longiorem moram abit in somnolentiam aut lassitudinis sensum, cum sudoribus profusis. Dein vero ad se redeunt, recordantur eorum, quae in accessionibus fecerint aut perpessi fuerint, nonnulli vero nihil eorum meminerunt. Recurrit paroxysmus vel certo quodam ordine, vel absque eodem, ut nulla interdum caussa praesto esse, nonnunquam tamen quodvis diaetae vitium revocare accessiones videatur. Ubi inveterascit morbus, sociari solet somnambulismo (*Phys.* § 398), vel epilepsiae, vel hystericis adfectibus, paralysi etiam et mentis erroribus diuturnis et pervicacibus. Cum praeterea varia sit chorea, prout singula membra occupat vel pleraque, multifariam induere potest formam, quam optime anumeravit Bernus (*Monogr. choreae sancti Viti.* Prag 1810). Perniciem non adfert, nisi graviores nervorum adfectus accesserint, nisique diuturnitate vires consumserit.

§. 544. *Continuatio.*

Somnambulismo perquam adfinis morbus, ab eadem nascitur dispositione vel hereditaria vel acquisita. Etenim vidi filiabus familiarem, quarum mater, ab incunabulis inde, prave educata, delicatam haberet constitutionem, spasmisque vexaretur, quoties parturiret. Mollissima educatione ef-

feminati pueri puellaeque, ubi celeriter pubescunt et adolescunt, huic praeprimis morbo obnoxii fiunt, praesertim dum Veneris cupiditas praecocius justo excitatur, manibus etiam stupro commisso. Neganda insuper non est caussa in stasibus abdominalibus latitans: puellas enim vidimus plures, abdomine turgido et menstruorum fluxu frequenter intercepto laborantes, in hunc incidere morbum.

Occasionem praebent, quaecunque nervos teneros atque irregulari virium dispensationi obnoxios irritare et sollicitare valent. Animi igitur perturbationes, terror inprimis et iracundia; cibi digestu difficiles ac nimia copia ingesti; vermes et menstruorum fluxus intercaptus: dein vitia cutanea achores et herpetes exsiccati, ulcera repressa: laesiones denique nervorum, maxime circa tendines pedum manuumve. Haec omnia ita lacessere nervos valent, ut abundet impetus imponderabilium et perversi musculorum motus existant.

Similis morbus, *Berry-berry* dictus, Indiae orientalis incolis infestus, rheumaticis doloribus et oppressione pectoris incipit: tripudiare coguntur aegri, tum oedemata pedum accedunt. Tribuitur frigori subito corpus adfligenti et largo potui liquoris e cocoïs nucibus parati. Simulatum morbum, *tarantismum* dictum, jam alibi tetigimus (*Path. gen.* §. 190).

CAP. VIII.

DE HYPOCHONDRIASI ET HYSTERICO MORBO.

§. 545.

Non dubitamus eumdem habere utrumque morbum, cum in feminis ea solummodo accedant symptomata, quae corporis feminini constitutio efficit. Itaque adsentimur Swediauero, qui nuper utriusque morbi communem appellationem Ὑπερκινήσεως statuens, sentiendi facultatem mobilitatemque musculorum nimiam stabilivit ut morbi essentiam. Si qui enim hypocondriacum morbum *dyspepsiam* vocant *diuturnam*, negligunt hanc systematis nervosi agilitatem, eamdemque digestionis labem nonnunquam in feminis praesentem, negligunt etiam hanc aegritudinem multo magis generalem esse, atque praecurrere tum arthritidis tum haemorrhoïdum formationem.

Voco igitur *hypocondriacum* et *hystericum morbum* eum diuturnum statum, quo organicus sensus continuis sed maxime variis erroribus obnoxius sit, ut nec suam ipsius valetudinem recte vereque judicet, nec externis rebus idoneo modo adficiatur. Multifaria ea ac variabilis sensus organici hallucinatio cum essentiam morbi constituat, *Protei* nomen haec aegritudo meretur. Namque tum aliorum morborum speciem prae se ferre, tum cito evanescere haec simulata forma solet, ut alia induatur, adjuncta semper agilitate singulari mu-

sculorum et nervorum sensu perverso. Neutiquam igitur mentis morbis adnumeranda est aegritudo, scilicet solius sensus organici vitia complectens: neque alii ulli nervorum morbo similis est, quippe omnes fixam habent ac peculiarem formam, hypochondriaci autem adfectus nulli adstricti sunt. Oportet igitur, describamus praecipuas abnormitates, quibus is morbus conspicuus est.

§. 546. *Continuatio.*

Et primum quidem, quod habitum attinet, is maxime varius est. Pallet plerumque facies, nonnunquam tamen et floret, interdum lurida est, halonibus luridis oculos cingentibus. Si paroxysmi instant aut urgent, vario modo distorti sunt musculi faciei, ut angorem, moestitiam, suspicionem, meticulositatem exprimant, quibus homo torquetur. Interdum lacrimas fundit absque manifesta caussa. Temperies pariter variabilis est; manus pedesque algent plerumque et stupent, incensa facie: maxime idem frigoris circumscripti in occipite sensus, quin febre lenta nervosa est (§. 79). Vicissitudines frigoris calorisque: aestum inprimis aegerrime aeger tolerat, angitur, anima deficitur et nervorum distensiones patitur. Praecordia utplurimum tensa sunt et turgida, abdomen intumescit.

§. 574. *Continuatio.*

Gravissima est organici sensus hallucinatio. Fallitur autem, dum virium rationem corporisque ipsum statum haud rite percipit: summam sentis

virium jacturam, dum functiones ad sanitatis normam peraguntur: quamvis corporis vicissitudinem anxie et circumspectissime observat: si tantillum muci linguam obtegit, si pulsus paullisper aberrat, pessima quaeque ominantur. Hinc victus regulis sedulo et anxie studet; libros, qui de victus ratione et morbis cognoscendis tractant, diligenter legit; modo hoc, modo illo morbo, cujus descriptionem legerit, se haberi opinatur. Qua organici sensus fallacia cum judicium decipiatur, nequit errorem deponere: a quo si quis eum avellere vult, suspicio nascitur in hypocondriaco erga amicum, quem alioquin dilexerat. Hinc constantia amicitiae nulla: fugit hodie quem heri amore deperibat. Angores inquietudinem efficiunt, qua cruciatus consilia adsiduo et studia mutat. Animum inducere solet, sibi licere, ut modo hoc modo illud tractet, nulli studio continenter inhaereat.

Anxietas incredibilis et explicatu difficillima corpus et mentem exercet, e praecordiis plerumque orsa, in sudores frigidiusculos abitura, saepe etiam omnem conscientiam animumque suppressura. Nonnunquam mens huic resistere potis est anxietati, dum valide vires intendit, plerumque tamen majore vehementia, post brevem remissionem recurrit. Accedunt dolores varii, e perverso organico sensu ita nati, ut aliae corporis adfectiones iis minime respondeant. Dolores capitis atroces, cum frigoris circumscripti sensu in occipite, temulentiae et vertigines: praecordiorum frequentissima oppressio, ipsa cardialgia cum fastidio ciborum et vo-

initibus: nullo cruditatum aut sordium testimonio: hypochondrii alterutrius dolores pungentes, dolores colici, flatibus forte tributi, cum pulsibus contractis, duris, exilibus, urinaque limpida; dolores etiam renum aut vesicae, qui cum urinam spasmis intercipiant, colorem calculorum faciunt: sed urina limpida et intercepta personam his adfectibus adimunt. Dolores articulorum suspicionem movent, ab arthritide oriri; neque tamen unquam inflammatio aut tumor articulorum accedunt. Dolores dorsi cervicisque tensiones praegrediuntur accessus. Nonnunquam formicarum reptantium sensus et prurigo exercent cutim, in qua et efflorescere exanthemata consuescunt, mox iterum evanida. Varia interdum loca corporis singulari sentiendi facultatis augmento laborant, ut ne tangi levissime quidem possint, quin accessus erumpant.

§. 548. *Continuatio.*

Super hos organici sensus errores praesto sunt vitia sensuum nobiliorum. Ob oculos versantur maculae atrae aut nebulosae quae locum mutant fixo, evanescunt clauso oculo, augentur praeprimis, dum jejunus est aut dum fulgentes lumine res conspexerit (*Path. gen.* §. 280): interdum oculorum caligo ea, quae coecitatem minatur. Aures matutino tempore intra se ipsae sonitant, quin obsurdescit non raro aeger (*Path. gen.* §. 281). Variae res odorae singulari modo eum adficere solent, ut vel animi deliquia vel in nervorum distensiones incidat.

Somnus est saepe turbulentus, somniis terrificis interpellatus: expergefacti recreatos se somno haudquaquam sentiunt: ad multum diem usque dormiunt; somnolentia et segnitie perpetuo laborant. Interdum post insomnem noctem conscientia privati in fatuitatem et animi desponsionem incidunt.

§. 549. *Continuatio.*

Ad haec varia accedunt motus muscularis vitia. Plerique corpus motu curiose instituto, ambulationibus, equitatu, laboribus exercent. Legem, quam sibimetipsis statuerunt, ut negligunt, angoribus corripiuntur, quasi in equuleum conjiciantur. Palpitatio cordis accedit violentissima: sed brevi transitura: musculorum tremores, nervorum distensiones; gulae constrictiones, maxime in mulieribus, quae globo quodam pharyngem sibi occludi conqueruntur, tumente interea collo, venisque turgentibus. Pectus spasmis constringitur, ut asthmatis convulsivi species nascatur; gemitus frequentes, singultus, tussis spastica, quasi aliquid in laryngem illapsum sit: oscitatio frequens et pandiculatio oriuntur. Vox in accessibus stridula est et tremula, interdum rauca et clangosa: urina spasmis intercipitur: nonnunquam epileptici insultus aut aliae nervosorum adfectuum formae sociantur.

Sanguinis motus non potest non vario modo sollicitari, turbari, perverti. Pulsus variabiles sunt, vel duri et exiles vel pleni, concitati, vel tardi

et rari. Sanguis impetu quodam in caput ac pectus irruens aestum ciet et varias molestias: qui vero naturaliter per menstrua fluebat, reprimitur.

§. 550. *Continuatio.*

Adsimilationis functiones deflecti a norma sanitatis necesse est, si organici nervi, iis providentes, laborant. Ciborum cupiditas modo penitus amittitur, jam nimia est et in bulimum abit. Sitis fere semper homines exercet, nonnunquam hactenus valida, ut nihil ciborum vorare possint, quin siti iterum torqueantur. Digestio interdum minus labascit: nonnunquam cibi singulares, pingues, acidive inprimis, molestias faciunt et ructus pravos cient, aut minime mutati secedunt Alvus utplurimum dura est: abdomen continuo tensum flatibusque pansum. Dum alvus colliquescit, summa saepius virium jactura sentitur. Pyrosis insuper et acor in stomacho residens perpetuo fere exercet aegrum, ructibus acidis, fastidio, cardialgia, vomitu humorum acidorum mucosorum aut foetidorum. Urinam esse plerumque in accessibus limpidam, aquosam aut interceptam, jam monuimus. Non raro tamen magis turbida est, ut jumentariae similis sit: interdum summa copia fluit, ut diabeten aemuletur. Perspiratio cutanea suppressa esse solet, neque sudant, tametsi corpus vehementer exercuerint. Quodsi sudores erumpunt, ad caput et collum, ad volas etiam manuum pedumve plantas observantur. Acidum odorem, interdum et mordacem indolem sudorum animadvertimus. Saliva

quandoque nimis abundat, qua fluente digestio turbatur. Denique Veneris cupiditas aucta est in utroque sexu: frequentes per somnia voluptuosa erectione et pollutiones emaciant aegrum.

§. 551. *Continuatio.*

En pleraque hujus morbi symptomata, quorum nonnulla semper praesto sunt, aliis deficientibus. Ex iis autem si hunc morbum adesse rite efficere volueris, ad variabilem maxime indolem ad caussas praegressas et corporis constitutionem consilium transferre debes. Eadem profecto est valetudo, arthritidi et haemorrhoïdibus praevia, quae et huic fundamenta ponit. Quae de debilitatis notione generatim (*Path. gen.* §. 52 — 63) posui, hanc aegritudinem praecipue illustrare valent. Est potius nervorum organicorum dispositio ea, ut inaequabili modo vires dispensentur, quo sensus organicus fallitur, et motus, ab ejus efficacia pendentes, vario modo pervertuntur. Cum de stasium abdominalium ortu et effectibus disputaremus (*Path. gen.* § 81. 82), caussas quoque indicavimus, quibus diuturnus ille viscerum abdominalium status originem debet. Gravissimis certe caussis adnumeranda sunt studia nimia, taediosa aut adsidua unicaque contentione noxia (*Path. gen.* § 171. 172). Haec enim animi potestatem, qua organicum sensum gubernat et regit, infirmant. Animi etiam perturbationes frequentes, quibus vis animi frustra incitatur, ut indignatio, invidentia et moeror (*Path. gen.* §. 167. 169) simili ratione tandem in hunc

morbum praecipitant. Qui sedili indulgent, motumque omnem et aëris liberi usum anxie vitant, corpus quoque nimio calore fovent, obnoxii esse huic morbo consuescunt (*Path. gen.* §. 180). Qui complexus venereos nimis amant, nervis abdominalibus eam conciliant dispositionem, ut fluctuare et inaequabiliter distribui vim nerveam necesse sit (*Path. gen.* §. 177). Denique arthritidis et haemorrhoïdalis morbi haec est noxa, ut diuturnum hunc statum, ni perficiantur, producant (§. 389. 392. 395. 457).

Itaque organici sensus id est in hoc morbo vitium, ut nimis sollicitatus perverse percipitat motusque abnormes cieat. Cum in statu normali encephali vis conscientia et sensuum superiorum efficacia claras distinctasque perceptiones producat, elato et praevalente organico sensu, cujus perceptiones confusae sunt et obscurae, encephali efficacia supprimitur ac ita debilitatur, ut gangliorum, quorum vis concitata est, functionem imitetur. Quae expositio sicut idonea est ad declaranda hujus morbi symptomata, ita viam communit ad veros mentis morbos.

SECT. IV.

DE MENTIS MORBIS.

CAP. I.

GENERATIM.

§. 552.

Mentis alienationes vocamus morbus, qui in functionibus a consilio naturae ac fine aberrantibus, nec arbitriò subjectis, versantur, sive complectantur facultatum singularum infirmitatem, sive rationem earum laesam. Animi mores perversi alieni sunt a morbis, quod illi arbitrio et rationis idoneo usu abigendi sunt et emendandi: in morbis vero nil valet judicium, ratio nihil. Male moratus homo sceleri inhaeret et crimini, quia iis adsuevit, nec ratione idoneo modo uti vult. Qui vero mente captus est, nequit libere agere, arbitrio uti et ratione, sed compedibus sensus organici perversi vinctus necessitate compellitur ad perversas actiones.

Limites autem hujus status eò difficilius definiuntur, quo propiores sunt animi perturbationes ab ea impotentia (*Path. gen.* §. 163). *Vecordiam* ἔκστασιν cum Hippocrate dicimus brevem illum ac transiturum furorem, quo corripitur, qui iracundia exardescens, sui non compos est.

§. 553. *Continuatio.*

Alio loco jam (*Path. gen.* §. 287) tetigimus transitum hallucinationum, quibus sensus laborant,

in veram mentis alienationem. Quodsi vel ex imaginatione vel e sensuum vitio phantasmata nascuntur, mens sana manet, dum sui conscia est et res externas a se distinguit. Sed si superiores sensus, quos Kantius *objecticos* dicere consuevit (*Phys.* §. 403), continuis fallaciis perturbantur, necesse est, encephalus ipse πλεονέκτημα suum, conscientiam, amittat, quippe quae comparatis sensuum superiorum objectis nititur (*Pyhs.* §. 93). Transitus igitur patet ex iis fallaciis in ipsam desipientiam, quem in febre nervosa acuta saepius animadvertimus (§. 90). Similis hallucinationum transitus in desipientiam in ebrietate contingit: nec dispar est somniantium ratio, quippe quorum internae sensationes et perceptiones sine ordine citraque suetam legem secum junguntur, cum sensuum externorum functio comparativa desit: hinc nulla conscientia existere potest. Quae cum bipartito distribuatur, altera semetipsum cognoscens, altera res externas a se discernens: utriusque congrua actio sanam potissimum mentem constituit: namque, qui sui quidem conscius est, sed hactenus intra se ipsum mergitur, ut externarum rerum obliviscatur, is haud longe abest a mentis erroribus. Neque sana est mens, diffusa atque dispersa per rerum externarum animadversionem. Cum denique conscientia exigat recordationem, siquidem reminisci oportet, eum esse memet, qui ante hos viginti annos fueram, atque res, quas video, ad idem genus pertinere, quod jam ante cognovi; efficitur, sine recordatione esse conscientiam non posse. Qua fa-

cultate cum careant infantes juxta ac senes decrepiti, utraque aetas sanae mentis minime esse potest: et fatui fiunt aut stolidi senes propter hanc ipsam caussam.

Haec sufficiunt ad mentis humanae errores e conscientiae defectu eruendas.

§. 554. *Continuatio.*

Quibus positis et probatis intelligitur, mentis alienationes versari in functionum, quas encephalus exercet, perversione. Cum vero obscuritas sensus defectusque conscientiae gangliis eorumque nervis inprimis tribuenda sit (*Phys.* §. 89. 93), a veritate recedere haud timemus, si primariam mentis alienatae caussam in gangliosi systematis centro quaerimus. Confirmatur id angoribus et aestu intestino, e plexu splanchnico ortis furorique utplurimum praeviis: insanientes plerumque queruntur constrictionem, angentem praecordiorum sensum, ciborum aversationem et fastidium. Quodsi hypochondriacus morbus iisdem adfectibus conspicuus est, interest inter eum et mentis morbos, quod conscientia et libertas, integrae in hypochondriasi, subdantur perverso organico sensui in mentis alienationibus: abire tamen illam aegritudinem saepius in hos morbos, supra jam monuimus (§. 551). Congruit cum hac expositione periodica horum morborum indoles: solent enim, qui versantur in plexuum abdominalium vitiis morbi nervosi per circuitus redire (*Phys.* §. 66. 76., *Path. gen.* §. 35., *Path. spec.* §. 39. 41).

Variis locis jam tetigimus rationem gangliosi systematis ad encephalum: partim enim suae spontis sunt ganglia atque praesertim in embryonibus, priusquam organa superiora sensuum agere possunt, seorsim suis muneribus funguntur; partim subdita sunt cerebro, ope nervorum communicantium, quorum principes f-re sunt nervus vagus. Vidianus etiam et abducens Itaque potest etiam status quidam intermedius mentis nasci, quo conscientia vacillat quasi ac fluctuat, ut modo clarissime noscamus rationes nostras rerumque externarum, jam vero haud ita luculenter eas dignoscamus. Dein patet ex hac ratione, in mentis perturbationibus existere lucida quaedam intervalla, ubi encephalus liberatus ab impetu sensus organici, suae iterum spontis est atque optimo judicio fruitur. Neque latet singularis illius phaenomeni caussa, quod desipientes saepe mirabili celeritate perceptiones conjungant, et ex iis suo modo ratiocinia deducant. Incitatus enim encephalus impetu sensus organici haud semper a norma deflectitur, sed potest subinde secundum consilia naturae agere.

§. 555. *Continuatio.*

Quae jam (*Path. gen.* §. 287) obiter tractavimus de differentiis eorum morborum, paullo uberius hic libet perstringere. Nituntur autem mentis morbi vel impotentia facultatum vel ratione turbata atque perversa.

a. Adynamia mentis.

Fatuitas, quae nostratibus *blödsinn*, Graecis εὐήθεια seu μώρωσις, Gallis *idiotisme*, *imbécillité* audit, est ea mentis aegritudo, quae in defectu plerarumque facultatum, maxime judicii, versatur. Fatuus imaginibus haud fallitur, sed perceptiones male jungit, ratiocinari nequit, nec de universalibus rebus veram habere informationem, nec memoria, sed solis sensibus viget.

b. Ratio facultatum laesa.

α Respectu rerum, quae animum advertunt.

Melancholia, quam et *athymiam* Swediauerus dicit, est diuturna mentis aberratio, qua unica potissimum series perceptionum cogitationumque animum occupat, omnibus aliis rebus leviter acceptis vel vix animum advertentibus. Plerumque ex animi violentis orta perturbationibus cum tristitia juncta est, cui tamen libenter se homo dedit, cum unica haec series excitet animi vires labefactatas. Hinc, quae dicitur *idea fixa*, necessario pertinet ad melancholicum statum: illa sola animum occupat, omnes aliae vel ad illam trahuntur, vel minime hominem adficiunt. Libertas ac conscientia infirmantur aut penitus abolentur: dira igitur necessitate cogitur aeger ad eam cogitationum seriem. Si taedium vitae adest, μισοψυχίαν; si aversatio consortionis humanae, ἀπανθρωπίαν; si patrie desiderium, νοσταλγίαν, si amasiae aut amasii desiderium, ἐρωτομανίαν Swediauerus ap-

pellat; varietates tamen, nec veras species has esse existimo.

β. Respectu sensuum et imaginationis.

Insania, quam Graeci *παράνοιαν*, Germani *wahnsinn*, Galli *aliénation*, Angli *frenzy* vocant, est id animi vitium, quo imaginationis effectus pro veris sensuum impulsibus habentur, unde patet, caussam insaniae complecti sublatam imaginationis et sensuum rationem, quo facto etiam conscientia tollitur. Qui insanit, vere credit spectra adesse, si aut hallucinationes sensuum eum exercent, aut vivax imaginationis excitatio ea spectra ipsi ob oculos ponit. Triplex autem est ejus speciei varietas. Modo enim brevi transit, ut furorem interdum exprimat, modo diutius moratur et habitum pervertit: modo denique in voluntatem agit eamque penitus depravat.

aa. *Vecordia*, seu brevis insania, vernacule dicitur *unsinn*, graece *ἄνοια*, Hippocrati etiam *ἔκστασις*, gallice *transport*: haec comitatur exanimationem, quae violentis mentis perturbationibus efficitur: hinc *unsinnig* nostratibus dicitur, quem vehemens adfectus ita percellit, ut imaginationis effectus pro veris habeat rebus. Quae aegritudo cum etiam instinctus organici sensus et ipsam voluntatem corrumpat, in tertiam speciem facillime abire liquet (1).

---

(1) Quanquam vecordia generatim fere pro quavis insaniae specie apud bonos auctores habetur, duo ta-

bb. *Vesania* aut *amentia* dicitur diuturna insania, *verrücktheit* Germanis (male hoc nomen ad delirium febrile transferente Swedianero), qua correptus continuo vigili somno premi videtur ut omnia vera habeat, quae imaginatio perversa ipsi ob aciem mentis collocat. Errore aliquo peculiari interdum amens adficitur, ut in iis rebus duntaxat hallucinetur, quae hunc errorem attingunt, in aliis omnibus vero sui compos sit.

cc. *Furor*, cujus vehementissimus gradus *rabies*, *μανία* Graecis, nostratibus *tollheit*, *raserey*, *wuth*, Gallis *rage* et *fureur* dicitur, est insaniae species violentissima, qua instinctus ita pervertitur, ut voluntas ii submissa dira quaevis ac noxia tentet et patret etiam, ni impediatur. Fallacia enim judiciorum et ipsarum imaginum, dum fortius mutat animum, omnes secum rapit mentis facultatis, hinc quoque arbitrium: id more instinctus brutorum pervertitur, atque, ut sibi aliisque noceat, intenditur. Solent in furore musculorum vires insigniter augeri, nervorum etiam facultates ita excitari, ut vulgares res debiliter agant, aëris temperies mutata fere non sentiatur, cogitationes autem perversae et quidquid cum his vel levissime jun-

---

men potissimum sunt hujus significatus firmamenta: 1) *Cic.* De harusp. respons. 1. »Sed vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit.« 2) Sallust. *Catil.* 15. »Igitur colos exsanguis, foedi oculi; citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.«

gitur, effectus vehementissimos producant. Ἀγριοθυμίαν hanc ferociam animi a mania perperam Swediauerus distinguit.

γ. Respectu ordinis perceptionum cogitationumve.

Desipientia, Graecis παραφροσύνη, nostratibus *irrereden* seu *faseln*, Gallis *la rêverie*, Italis *farnetica* dicitur id vitium, ubi, salvis sensibus, rapida adest idearum fuga, nullo aequabili ordine semet excipientium, turbulentus fluxus et reditus variorum animi adfectuum. Desipere igitur dicitur, cujus cogitationes sermonesque nexu rationali carent, quaeque ea celeritate semet invicem sequuntur, ut, qui rationis suae compos est, sequi eam fugam nequeat. Finitimum id vitium est vertigini (*Path. gen.* §. 286), differenti propter judicii incolumitatem. Desipientia febribus acutis, aestuique febrili vulgaris, ubi per somnum occurrit, παράκρουσις etiam Hippocrati dicitur.

aa. *Deliratio*, λῆρος aut λήρημα Graecis, nostratibus *wahnwitz*, Gallis *délire*, Italis *vaneggiamento*, dicta est diuturna desipientiae varietas, quae continuum fluxum cogitationum haud cohaerentium complectitur, adsiduam garrulitatem: neque tamen necessaria est imaginum fallacia. Adsiduo aliquid agitat, molitur; consortionem hominum quaerit, sed omnia, quae agit, sine ordine sunt et nexu interno Si delirus continuas judicii fallacias patitur, inde id proficiscitur, quod nexus normalis facultatum et actionum animi sublatus est, quod ratio inter vires animi laesa est, unde etiam intellectus labascit.

bb. *Insipientia* aut *stoliditas*, vernacule *albernheit* et *aberwitz*, graece ἀβελτερία, gallice *niaiserie*, anglice, *silliness*, italice *scempiataggine*, vocatur minor delirationis gradus, citra animi perturbationes ortus, cum infantili judicii debilitate. Garruli esse ejusmodi homines solent, agitant aliquid et moliuntur, sed inepte ac sinistre: res externae in eos agunt, sed perverse iis adficiuntur, perverse judicant, quo nexus facultatum animi turbatus est.

cc. *Stultitia*, Graecis μωρία, nostratibus *narrheit*, Gallis *folie*, Italis *sciocchezza* dicta, est id mentis vitium, ubi desipientia diuturna innoxia est et plerumque ridicula, quoniam inepta oppositio inter finem actionum et actiones ipsas animadvertitur (1).

His vitiis ita distributis, ea duntaxat perstringenda esse arbitror, quae veros morbos corporis mentisque constituunt: namque stultitia et stoliditas minus nostra referunt, quoniam cum corporis valetudine secunda juncta esse possunt.

(1) Quam caute boni auctores haec vitia discreverint, patet e *Livio* (25, 19): »Id magis stolide quam stulte creditum, « et *Cicerone*: »Stultum me existimo? fatuum non esse existimo. «

CAP. II.

DE FATUITATE.

§. 556.

Fatuum diximus, qui caret facultate, functiones plerasque animi exercere Diuturni hujus mali minorem gradum, qui haud morbosus est, *imbecillitatem* vocare consuevimus. Sed major ille gradus, de quo sermo est, cognoscitur jam adspectu hominis, obtutu oculorum fixo et stupido, musculorum faciei laxa indole, faciei etiam pallore et inflatione, loquela difficili et voce rauca, capite membrisque pendulis, pulsu interdum tardo et excretionibus impeditis. Sensuum facultas vel integra est, vel impedita, ut fortiores duntaxat et rudiores impulsus organa sensuum feriant, subtilia vero discrimina fugiant. Recordatio haud juxta ac imaginatio labascit: ita plerumque incolumis est; eorum saltem perpetuo reminiscitur fatuus, quae fortiter sensus perculerant: imaginationis vero nulla fere vis est, hinc ingenium tenue, tarda intelligentia, judicium puerile. Instinctus fere brutales sunt, cum sensus rudiori duntaxat modo feriantur, neque delectentur voluptatum genere, quod altioris est indaginis. Libidinosus igitur et salax, gulo etiam et bibulus esse consuescit. Mores his respondent: amat brutorum more eos, qui vel cupedias vel alia sensuum oblectamenta largiti sunt: odit, qui unquam obstiterint illi, aut qui, exponi nequit, quanam ratione contrarii sunt. Animi per-

turbationibus exercetur raro, sed violentissimis, ubi aliquis ipsi refragatur. Aerumnarum, poenitentiae aliarumque commotionum, quae moralem partem animi complectuntur, expers fere est Hinc etiam minime religiosus est, nisi usus quosdam religionum imitando personam religiosi induat.

§. 557. *Continuatio.*

Solet utplurimum fatuitas diuturna esse et per omnem vitam morari, si a congenita encephali labe nascitur: sed longaevi esse et immanes consuerunt fatui a morbis popularibus, ut tandem apoplexia decedant. Vitia encephali organica maxime varia sunt, ex ictu capitis nonnunquam suborta: hydrocephalus etiam aut effusus cruor aut abscessus et tumores cerebrum aliqua parte comprimentes (§. 192, 193). Dein etiam ebrietas matris aut patris non immerito accusatur, si infans a nativitate inde hac animi imbecillitate patitur: narcotica etiam, praesertim opium et sorbitiones spirituosae, infantibus propinatae, in hunc morbum praecipitant. Denique et senium et morbi, qui enervant vires, fatuitatem producere possunt.

§. 558. *Continuatio.*

Teterrima et gravissima fatuitatis forma ea est, quae, cum strumis sociata et in cachexiam abitura, incolis vallium alpinarum profundis infesta est, *cretinismi* nomine nostris demum temporibus divulgata Helvetii primum, maxime qui confinia Martinaci, Agauni Sioniique habitant.

dein qui alpes rhaeticas et noricas incolunt, raro etiam montis Bructeri accolae, quinetiam Andium in America meridionali, summarumque alpium in tibetano regno et ipsius Sumatrae habitatores obnoxii sunt huic malo et strumis. Accusatus est potus aquae nivalis, cujus opinionis argumenta petita sunt tum e strumarum decremento per hiemem, cum aqua nulla e nive colliquescens bibitur, tum etiam ex ortu ejusmodi tumorum, cum Cookii comites, polum antarcticum circumnavigantes, aquam e glacie deliquescente ortam potarent. Sed contraria est strumarum frequentia in Sumatra, ubi nulli montes glacie tecti occurrunt (*Path. gen.* §. 142). Majori igitur jure culpa infertur in nebulosum et haud innovatum aërem vallium, qui electricitate negativa abundans vires corporis animique emollit (*Path. gen.* §. 132). Id enim vel exemplis a memetipso in Hercynia nostra visis compertum habeo, cretinismi quamdam speciem leviorem, familiae infestam, quae in valle profunda habitarat, evanescere, protinus ut migraret in montosa et aprica loca. Id etiam observavimus strumarum et cretinismi connubium, ut strumosi parentes infantes gignerent cretinismos adfectos: atque mox post partum strumis incipere dispositionem ad hunc morbum. Hereditate propagari id malum, certum est; saepius tamen sani parentes cretinos generant, cretini vero sanos infantes. Nec genti cuidam aut hominum generi solummodo infestum est malum, cum opulenti juxta ac egeni eo laborent. Memoratu tamen dignum est, liberos fere esse ab hoc

morbo infantes fulva coma oculisque caesiis gaudentes.

§. 559. *Continuatio.*

Vario modo se habet hoc malum pro varia aetate. Infantes recens nati, qui propensi in id sunt, vel strumis laborant, vel rachitide aut hydrocephalo: alii vero, etiamsi forma non valde declinat, nec flere, more sanorum infantum, nec sumere mammas possunt, quod vulgus frenulo linguae nimis arcto tribuere solet: discinditur igitur, unde carunculam ex hoc frenuli vulnere natam Wenzelius uterque in cretinis invenit. Dentiunt difficulter, dentibus frequenter carie corruptis; cum posteriores proveniunt, priores non elabuntur, sed duplex non raro series eorum conspicitur. Nec sermocinari discunt, vocales literas quidem pronunciant, sed consonantes impedite. Nec incessus facilis est et normalis: alii pedibus uti plane nequeunt, alii vacillant et pedes distorquent, dum gradiuntur; semper recta tendunt neque deflectunt sese de via. Digitorum brevitas singularis apparet ratione proceritatis brachiorum pedumque. Caput praeprimis deforme, vel parvitate vel etiam nimia mole, posticae inprimis partis directione sursum recta. Facies prope quadrata; pallida etiam, aut lurida, inflata; crines oculique atri: pupula tarde mobilis; oculorum anguli subobliqui, velut in mongolica hominum varietate: oculi vel cavi vel nimis prominentes; obtutus fixus, stupidus, ingrate comis: labra tumida, inferius maxime propendulum, os plerumque apertum, saliva effluente.

Somniculosus est plerorumque adspectus; somnos etiam ducere per magnam diei partem consuerunt. Torpor insignis est omnium functionum, pulsus, alvi (ut mire pandatur anus, priusquam alvus deponatur) secretionum plurimarum. Urina tamen sat abundat: in feminis menstruus sanguinis cursus praecocius justo ingruit, saepe nimius. Uterque sexus libidinosus esse, marium genitales partes mole excedere solent: manibus stuprum committere frequenter visi sunt.

§. 560. *Continuatio.*

Craniorum mirabilis est plerumque deformitas, maxime ea obliquitas, ut foramen lacerum et condyloidea alterutrius lateris nimis compressa coarctarent vasa et nervos per ea prodeuntes. Os occipitis fere adamussim sursum tendit, rectumque angulum cum osse basilari format: hinc spatium deest pro ponte Varolii: os basilare etiam eam habet declivitatem, ut crista laminae cribrosae ossis ethmoidei profundiorem justo habeat positum. Necesse est, hac deformatione functiones encephali nervorumque gravissime impediantur et turbentur: sed, quomodo nascatur id vitium ex aëre nebuloso et electricitate negativa abundante, haud liquet.

CAP. III.

DE MELANCHOLIA.

§. 561.

Melancholiae sive athymiae definitionem supra (§. 555) exhibuimus, e qua et differentiae ejus et hypochondriaci mali et maniae elucent. Namque idea fixa totum animum occupans, quae essentiam hujus morbi constituit, deest in hypochondriaco morbo, qui summe variabilis, ex organici sensus hallucinationibus imaginationis fallacias maxime varias producit: in mania contra, ferocia actionum brutalium adest.

Prima ejus mali initia cognitu difficillima sunt, quippe cum nimium studium et animi commotiones violentae idearum eam perpetuitatem quandoque efficiant, ut, nisi libertatem voluntatis integram observaveris, haud possis hunc statum a melancholia discernere. Interdum etiam lucida, quae praesto sunt, intervalla, judicium medentis pervertunt, ut sanam mentem statuat, quae tamen sui non constanter compos est. Oportet igitur mores hominis consideres, qui insuetum aliquid mansueti aut ferocis prodentes, melancholicam dispositionem exhibent.

§. 562. *Continuatio.*

Summa tamen rei versatur in imaginibus perversis, quas idea fixa parit, cognoscendis. Nascuntur eae ex organico sensu adfecto, quo haud

variae, ut in hypochondriaco morbo, sed fixae et eaedem semper opinationes et perversa judicia producuntur. Vitia corporis sentit quidem aeger, sed, deceptus organici sensus hallucinationibus, pro varia animi cultura, imagines sibi fingit perversas. Hinc in Arcadia veteri rudis pastorum gens, superstitionibus dedita, et lupos maxime metuens, de transmutatione hominum in lupos fabulas commenta est. Melancholici, Jesu Christi temporibus, sepulcra habitabant, daemonibus obsessos se esse credebant. Scytharum gens, Hippocratis et Herodotis temporibus, morbo muliebri obnoxia, ἀνάνδριες aut ἐναρέες dictos nutriebat, qui et in hodiernis Sibiriae populis inveniuntur. Superbus et adrogans regem se esse fingit, avarus ditissimum, qui forte mystici insudavit libris, similes etiam habet imagines: alii egestate se oppressum iri, aliis insidiari sibi hostes metuunt. Nonnulli etiam sine cogitatione ulla, tanquam meditabundi, obtumescunt, nil interrogant, nil respondent. Plerique moesti sunt, quod unica cogitationum series nequit liberam et gratam idearum vicissitudinem ipsis repraesentare: nonnulli tamen hilares sunt, quia figmentum, quod sibi mens struxit, sufficit ut tollatur judicium facultatesque mentis continuo agitentur.

§. 563. *Continuatio.*

Fastigium rei ponendum est in pertinacia, qua, qui mente captus est, commentis suis et falsis opinationibus adhaeret: quivis enim conatus aver-

tere cum ab hoc errore, indignationem efficit ac simultatem suscitat cum eo, qui refragatur his fallaciis. Singularis est prudentiae, errores hos ex animo excutere, quin irascatur et furere incipiat aeger.

Id etiam singulare est, mentem talem rectam sequi perceptionum seriem, tum quoad ideam fixam, tum etiam respectu aliarum rerum. Si fallax praemissum judicium conceditur, necesse est largiamur etiam ratiocinii veritatem: exercitatio mentis ac consuetudo hactenus ciet atque sollicitat mentem, ut facillime sequatur cogitationum suetum ordinem. Mira inde non solum loquacitas, sed facundia ipsa, flumen orationis effundens, recordatio optima, ingenii acumen summum, linguarum peregrinarum, quarum usus haud penitus exoluit, ingens facilitas: haec omnia nos in admirationem subinde rapiunt, hominibusque, qui animi cultu expertes sunt, Dei aut daemonis dona esse videntur.

Cum melancholicus maxime liberam sentiat animi activitatem, dum in unicam ideam fixam animum intendit, veretur ut in ea serie sibi grata interpelletur: solitudinem igitur amat, hominum societatem fugit, meticulosus est et suspicionum plenus. De quibus suspicatur sibi adversarios esse, eos necesse est oderit atque a se removere studeat. Quod cum organici sensus erroribus contingat, brutalia etiam nocendi aliis studia existunt. Angores denique perpetui, quibus cruciatur, taedium vitae pariunt, quo motus et sibi mortem consciscere cupit.

§. 564. *Continuatio.*

Haec animum complectuntur: veniamus ad corporis detrimenta. Quorum primum est tarditas singularis sentiendi et motricis facultatis. Pariter perfert frigus ac aestum: interdum tamen Pinelius vidit frigus melancholicis valde noxium esse. Contagii et impulsus morborum popularium parum capaces sunt: remedia fortiora et incitamenta alia facillime tolerant. Nonnunquam oculi caligant; alii obsurdescunt, odoratusque infirmitate laborant. Huic sensuum superiorum torpori contraria est organici sensus excitatio, quae manifestatur tum somno turbulento, pavoribus et somniis terrificis interpellato, tum doloribus capitis vehementissimis, fixis, interdum in furorem abituris, tum motibus musculorum abnormibus, concitatis, unde tremores, pavores e levissima quaque caussa, constrictiones gulae et vesicae, palpitationes cordis et impetus sanguinis versus organa quaedam peculiaria. Pulsus sunt duri, irregulares, tardi interdum, nonnunquam accelerati: spirationes vehementes, gemitibus interceptae: vox debilis, clangosa: loquela impedita.

Ad haec habitus, dum inveteravit morbus, singulari modo vitiatur. Pallor cutis aut luridus color: oculorum obtutus turbidus, inquietus, meticulosus: vel truculentus aut torvus: vultus peregrinus aut depravatus tremoribus ac palpitationibus musculorum, levi etiam inflatione locorum profundiorum faciei: lingua sordida; cutis obrigescens,

arida, nec perspirabili pervia; praecordia tensa ac dura, venter continuo durus; membra algida, torpida sensu motuque: haec, habitus melancholici notae, tum suspicionem adferunt morbi praesentis, cum animi errores, propter lucida forte intervalla, cognosci nequeunt.

Denique secretiones excretionesque considerandae sunt. Cupiditas ciborum saepe nimia, ut ingerantur etiam foeda et nutrire nescia, cum pyrosi, cardialgia, ructibus tetris et angoribus praecordiorum. Alvus plerumque durissima, nec fortissimis purgantibus movenda: flatus copiosi. Urina turbida, cruda, jumentariae aemula. Perspiratio suppressa, aut ex angoribus sudores circa caput collumque frigidi. Interdum et salivae fluxus: salacitas nonnunquam brutalis cum tentigine et pollutionibus: haec sunt vitia secretionum et excretionum.

§. 565. *Continuatio.*

Mora morbi plerumque diutina est, utique dum ex organicis natus est vitiis aut e caussis moralibus haud facile tollendis. Dum e stasibus abdominalibus ortus est, saluti sunt haemorrhoïdum fluxus, menstruus sanguinis cursus, fluor etiam albus. Febris accedens, maxime intermittens, saluberrima esse consuevit: ut et puerperali visae sint mulieres melancholia liberari (*Lentins. Beob. einiger krankh. am Oberharz*, 110). Salivae cursum et scabiem solvere hunc morbum observarunt Perfectus et Schmuckerus. Denique salubres fue-

runt animi perturbationes contrariae iis, quae morbum cierant, praeprimis haud opinatum gaudium et venerei complexus, qui diu defeceraut.

Memorabile est, melancholiam haud in declivem usque senectutem porrigi: Haslamius enim et Pinelius observarunt, ultra septuagesimum aetatis annum haud morari. Transit autem frequenter in alios morbos, dum vi coërcentur aegri molimina, dum fortiora incitamenta adhibentur, aut dum privatur stimulo sanguinis habituali. Abit autem in apoplexiam, paralyses, epilepsiam et catalepsin. Vulgare est, ex habitu pravo et nutritione labefactata cachexias consequi: icterus igitur, hydropes et exanthemata pertinacia ad gradus morbo superiores accedere consuerunt, quibus tandem corpus conficitur.

§. 566. *Continuatio.*

Cadavera secta similia solent encephali vitia prodere, ac quae in apoplexiae et epilepsia adesse invenimus. Calvariae ossa vel obliqua, vel nimis crassa exostosibus variis foeda, aut interiore facie excavata, qua corpuscula, quae Pacchionii nomen ferunt, dura et tumida sedent. Horum enim vitium cum lympha coagulata inter meninges aut in ventriculis stagnante fere semper junctum est. Meninges vel secum vel cum encephalo aut cranii ossibus coalitae: piae meningis lardacea indoles: vasa meningum et cerebri turgida, varicosa: sanguis etiam in cerebrum effusus: osseae insulae processus falciformis. encephalus ipse vel fluidior justo ie

velut pultaceus, cum sero in ventriculis abundante; vel aridus ac levior justo. Scirrhis etiam, abscessibus, steatomatibus nonnunquam occupatur: hydatides in plexu choroideo, glandulae pituitariae turgor quasi inflammatorius, pinealis autem durities lapidea: haec sunt vitia varia encephali ipsius.

Frequentia sunt cordis vitia, quae melancholiam et vitae taedium caussantur. Enormitatem ejus organi, concretiones cum pericardio, osteogenesin praeternaturalem tum in pericardio tum in valvulis magnorum vasorum Gredingius, Testa aliique in corporibus eorum, qui melancholia enecati fuerant, observarunt.

Denique in abdomine satis vulgares sunt caussae hujus morbi. Omenti ac pancreatis tumores, hepatis durities et apostemata, venae portarum varices insignes: nonnunquam calculi biliarii et in mulieribus ovaria obdurescentia nervorum abdominalium intemperantiam producere atque eo modo melancholiam, probabile est.

§. 567. *Continuatio.*

In caussis indagandis primaria ratio habenda est opportunitatis, quae et hereditate propagatur. Temperamentum rigidum descripsimus (*Phys.* §. 376) in melancholiam proclive, dum vel stases accedunt in abdominis vasis vel vitia cordis encephalique organica, vel dum aerumnae, desideria inexpleta, indignatio crebra aut frequentes e terrore aliisque animi commotionibus exanimationes hominem exercent (*Path. gen.* §. 165. 167),

Nimia etiam et taediosa studia (*Path. gen.* §. 172); religionis denique ea perversitas, ut DEI iram, peccatis, quibus nunquam ignoscatur, excitatam, inexpiabilem repraesentat.

Quibus caussis magnopere efficacibus cum semet adjungit aër pulvius, frigidus et nebulosus, occlusus etiam et vaporibus animalibus corruptus, facilius nascitur hic morbus. In Anglia novembris mense, apud opifices nostros, in aëre cubiculorum depravato degentes, vulgaris est melancholia. Insuper venena narcotica, potuum spirituosorum abusus, ciborum dyspeptorum, mercurialium etiam remediorum (*Perfect.*), haud immerito accusantur. Communicatis imaginibus falsis in imbecilli mente posse similem melancholiam nasci, historia rudium populorum docuit: quippe cum lycantrhopia, daemoniaci morbi, θήλεια νοῦσος, visi sint populariter grassari.

Denique aliorum morborum praegressorum ratio est habenda. Debilitas e sanguinis fluxibus aut e seminis profusione orta: hypochondriacus morbus et hystericus: haemorrhoïdes suppressae: ulcera, scabies ac alia exanthemata repulsa; arthritis: verminosa colluvies et variae cachexiae, leprae exemplo et trichomatis polonici, in hunc morbum praecipitant.

CAP. IV.

DE MANIA.

§. 568.

Diximus furorem seu maniam esse insaniae speciem violentissimam, qua et voluntas pervertitur et vehementissimi musculorum motus, et sibi et aliis noxii efficiuntur (§. 555).

Oritur autem potissimum e melancholia, dum conatibus resistitur aut cum sanguis e vena secta copiosus mittitur, vel etiam, cum nimia incitamenta adhibentur. Nonnunquam sine his manifestis caussis per circuitus redire solent maniaci insultus, aut lunae imperio obtemperare.

Transit autem melancholia in maniam, cum insomnia longa hominem exercet, dolores accedunt capitis pertinaces, vertigo, sensuum hallucinationes, horrores, tremores totius corporis, palpitationes cordis musculorumque, pulsus concitati, irregulares, spirationes crebrae, impeditae, vultus torvitas, oculorum ferocia et rotatio terribilis.

Qui furit, rationem exuisse omnino videtur Ejulatur, vociferatur, garrit, jactat sese, exsultat, sibi aliisque nocere studet. Simul incredibilis est musculorum vis, ut fortissimis compedibus vinciri nequeat. Ferocia tamen haec quandoque mitescit, ut singularem aliquid impulsum in aegrum fuerit, unde et pueri et imbecilles feminae domare possunt furibundum. Simul vero solet sensuum incolumis esse facultas, ut noscat adstantes, sed falsis-

simé visa judicet. Post insultum vel plane non recordantur eorum, quae gesserint, vel meminerunt eorum, additis fallaciis. Nonnunquam in ipsis insultibus mirabile est et prope divinum virium animi augmentum, ut linguas callere peregrinas, rapidum edere flumen orationis et futura praesagire videantur. E velocitate combinationum et magnopere incitata encephali efficacia haec exponenda sunt.

Exitus vero et caussae cum melancholiae sequelis et ortu congruunt.

LIBER VI.

DE CACHEXIIS.

CAP. I.

SUMMATIM.

§. 569.

Cum vis vegetativae debilitatem exponeremus (*Path. gen.* §. 61 — 63), primum nervorum imperium, dein nutrientis materiei defectum, postremo ablationem nimis auctam ope vasorum absorbentium, ut caussas gravissimas indicavimus. Quodsi igitur diuturni sunt morbi, quorum essentia nutritionis defectum complectitur, maciem corporis et varia habitus vitia, quosque *cachexias* appellamus, necesse est tria illa momenta ad distribuenda morborum eorum genera adhibeamus. Alii enim e vasorum absorbentium universali vitio, alii e laesa per virus quoddam specificum ratione absorbentis systematis ad systema nervosum, alii denique e penu materiei nutrientis depravato aut deficiente nascuntur. Haec ad fatim copiose in ulterioribus exponentur.

CAP. II.

DE ICTERO.

§. 570.

Frequens morborum acutorum symptoma, *auriginem* seu *morbum arcuatum*, pluribus jam locis (§. 103. 112. 114. 118. 134. 264) memoravimus, ubi vel pigmenti biliosi abundantiam in sanguine et vicariam in cute secretionem, vel hepatis inflammationem signaret. Jam vero oportet, eumdem morbum arcuatum tanquam primariam considerare cachexiam, ejusque historiam et varietates pro variis caussis referre.

§. 571. *Continuatio.*

Cui imminet hic morbus, languidus est et somniculosus, morosus, nullamque sentit ciborum cupiditatem, sed nondum ad fatim satiatus praecordia habet plena, tensa et oppressa, fastidium ciborum et conatus vomendi. Nulla interea sordium gastricarum indicia. Horrores et frigus frequenter recurrunt, pulsibus multo tardioribus quam in statu naturali. Saepius spiritus difficultas et angores pectoris sociantur: meliuscule se habet, dum erectus sedet, quam dum ambulat. Urina parce fluit, turbida est et fusca: alvus dura, venter inflatus et satis patibilis. Cutis arida est et tensa, interdum prurigine et rosionibus cutis torquetur.

Quae dum per aliquot dies morata sunt, quod naturaliter album est in oculis, flavescit: is color

mox per faciem reliquumque corpus latescit. Sudor etiam et saliva, ipsa etiam ossa et crines interdum eum colorem obtinuisse feruntur: exceptis fere lacte et spermate virili. Rarius etiam humor aqueus oculorum flavide tinctus eo colore imbuit res omnes, quae conspiciuntur. Nec tamen per totum corpus idem est ac aeque satur ejusmodi color; in aliis partibus magis pallescit, in aliis viridescit, in nonnullis etiam nigrescit, unde *μέλανα ἴκτερον* veteres nuncuparunt.

Interea augescunt languor, lassitudo et praecordiorum turgor; dolores quoque colici, vomituritio continua, rejectio bilis acerrimae prasinae. Perpetuo adest sapor oris amarus, ructus amari, sitis valida, somnus inquietus et sensuum hallucinationes. Urina indies turbidior fit et magis fuscescit, firmiter adhaeret matulae parietibus: spuma, qua superficiem petit, flavida est, lintea injecta flavo colore tinguntur. Alvus si redditur, stercora albida sunt et argillam referunt; interdum fusco colore roob prunorum aut sambuci aemulantur. Nonnunquam tenesmo et torminibus ventris aeger cruciatur, quasi dysenteria adflictus. Pulsus plerumque tardus, vesperi nonnunquam concitatur, horroribus aestuque accedentibus ac in sudores debilitantes abeuntibus.

§. 572. *Continuatio.*

Fastigium morbi proditur impotentia ventriculi tantillum retinere aut digerere, cum omnia rejiciantur: infirmitate etiam virium magis ma-

gisque aucta: pulsibus indies durioribus, magis contractis et debilibus; spiratione magis anxia: hectica febris validior attrahit nervorum distensiones, gulae constrictiones, sensuum hallucinationes, oculorum caliginem, soporem, deliria et apoplexiam.

Icteros varios, praecipue qui febres intermittentes sequuntur, per circuitus redire, supra (§. 33. b.) monuimus. Solvi autem consuescunt vel sudoribus fortioribus, vel exanthematibus miliare referentibus, vel salivae cursu, haemorrhoïdibus etiam fluentibus. Interdum erysipelas saluti contulit.

§ 573. *Continuatio.*

Quodsi cadaverum sectiones investigantur, jocinoris vitia frequentissima sunt. Durities scirrhosa, vel steatomatibus effecta, calculi in hepate, vesica fellea et ductibus choledochis sedentes; abscessus hepatis aut exesa sanie substantia frequenter reperiuntur. Rara est 'sGraeuwenii observatio de cartilaginea tunicarum vesicae felleae et velut calcarea indole; rara etiam Cruikshankii animadversio de glandulis tumidis ductus biliferos comprimentibus.

Haec quidem vitia olim habita fuerunt ita icterum ciere, ut bilis secreta, quae per ductus compressos aut coarctatos profluere prohiberetur, in sanguinem transeat, qui igitur bile abundans eam per omnem corporis ambitum diffundat. Sed saepius ductus ii patuli sunt ac pervii: nonnun-

quam jecur ita comparatum est, ut nulla bilis secretio contingere possit. Itaque oportet, variam habere icteri originem; quodsi bilis nulla, hepate penitus corrupto aut impervio, secernitur, superest tamen pigmentum, quo serum sanguinis scatet: hoc igitur abundans in cute auriginem efficere potis est. Alia hepatis vitia ita agunt, ut licet haud penitus impediant bilis secretionem, ita tamen stimulent illud, ut communicata incitatio cum aliis organis, pigmenti copiosi secretio per cutim nascatur.

Ejusmodi caussa contingit in icteris, qui torridae zonae incolis familiares sunt: aestus enim orgasmum sanguinis hactenus ciere valet, ut particulae sanguinis emineant, et pigmenti etiam biliosi, quod serum habet, abundantia nascatur, unde tandem in hepatitide tropica et febre flava putredo humorum existit. Simili modo agunt animi commotiones, imprimis terror et iracundia: dein etiam vermes visi sunt stimulis similibus icterum producere. Venena animalia pari ratione ictero occasionem praebere supra (*Path. gen.* §. 153) posuimus. Vulnera etiam et variae hepatis laesiones eodem modo nocent. Per potuum spirituosorum abusum congruam incitationem jocinoris produci exploratum habemus (*Path. gen.* §. 143). Et per consensum agunt capitis plagae atque exanthemata haud satis perfecta.

Deinde persuasum habemus, praeter organica vitia posse etiam naturalem bilis secretionem supprimi per sanguinis penuriam subito in hepate,

post funiculi umbilicalis deligationem, subortam, e qua Autenriethius haud sine veri speciem ictesum recens natorum exponit: quanquam et spasmi interdum accusandi sint; in hystericis quoque mulieribus et hypochondriacis bilis secretionem opprimentes.

CAP. III.

DE HYDROPIBUS.

A. Generatim.

§. 574.

Hydropem dicimus cachexiam, quae in collectione seri aut lymphae intra caveas naturales et telam cellularem versatur. Ex hac colluvie seri aut lymphae haud ubique cachexiam sequi, patet ex oedematibus, quae tam saepe ad morbos accedunt, neque nutritioni totius corporis officiunt.

Vulgaris autem materia, quae in hydrope accumulatur, serum est, vel lympha gelatina aut albumine abundans, nihil vero partis fibrosae continens, in omnibus corporis caveis vaporis ad instar praesens (*Phys.* §. 49. 22). Quod ubi accumulatur, pars nutritura, quae fibrosa plerumque est, secedere nequit: seri excretio impeditur per lotium et perspirabilem materiem, unde urina turbida est et parce fluit, cutisque arescit. Pars etiam, quae colluviem patitur, quod rite parte fibrosa

haud incitatur, flaccescit et iners fit, pallescit et frigescit.

Cautissime circumspiciendum est, ne, quoties colluviem aquosam in cavea quadam post mortem invenimus, toties hydropem adfuisse atque morbi caussam constituisse pronunciemus. Id enim vulgare est, agonem mortis torpore partium omnium secessum particularum nutrientium turbare atque serum potius quam particulam fibrosam accumulare (*Path. gen.* §. 62. 63). Hinc ad symptomata praegressa potius consilium transferendum est, priusquam de hoc morbi genere aliquid statuamus.

§. 575. *Continuatio.*

Est generale quoddam hydropum discrimen, quod versatur in libera seri lymphaeque colluvie intra telam cellularem, vel occlusione eorum humorum intra saccum naturalem aut praeter naturam formatum Naturales utres formant camerae oculi, ventriculi cerebri, pericardium, stomachus, peritonaei duplicata membrana pone ventriculum, ad quam e dextro latere fossa Winslowii viam aperit, uterus, ovaria et manticulae articulorum. Praeter naturam formatur uter, coalitis viscerum parietibus, vel hydatidibus turgentibus (*Path. gen.* §. 187. 188.). Differt autem libera ab occlusa seri lymphaeve colluvie, quod illa, subito plerumque, e suppressa lotii vel perspirationis cutaneae excretione, orta, quaquaversum possit moveri: concus-

so igitur corpore fluctuat et in declivem locum inclinat tumor; aucta perspiratione et lotii fluxu restituto minuitur. Secius accidit in tumoribus cysticis, qui, lentissime orti e viscerum depravatione, nutritione alienata, minus mutantur excretionibus auctis; nec humores in iis stagnantes fluctuant nec facile corrumpuntur.

Mutationem autem subeunt humores vel serosi vel lymphatici, ut absorbtis tenuioribus supersint spissiores particulae, unde flocci saepius in sero natantes observantur. Salsum saporem plerique, odorem urinosum quoque nonnulli in hoc latice animadverterunt. Quandoque et aliae humorum particulae, pigmenti biliosi exemplo, una excernuntur, ut icterus accedere possit ad hydropem, mali plerumque ominis, quod proclivitatem humorum in putredinem signat. Nonnunquam sanguis simul secedit, unde lotarum carnium aquae similis fit latex, aut ipse sanguinis fluxus adjungitur.

Gravissima est mutatio humorum stagnantium, qua in remotiora abeunt elementa, in putredinem igitur propensiores (*Path. gen.* §. 94). Tum solet ambitus tumoris incalescere, rubere, ulcerari, maculis lividis conseri: dolores accedunt, horrores, febris valida cum siti ingenti, insomnia, angoribus, vertigine, symptomatibus demum nervosis et gangraenae signis. Ulcera haec succedentia externas partes exedere, in internis visceribus tabem attrahere consuescunt. Rarissime autem consanescunt. Medulla ossium gelatinosa est, oleosarum particularum expers in hydropicis.

§. 576. *Continuatio* .

Nonnunquam humores stagnantes naturae ope parietes tumoris perrumpunt aut alio modo sibi viam ad exteriora sternunt. Per circuitus meminimus provenire aquae fluxum ex umbilico, atque iterum in utribus colligi. Salubre habemus id naturae conamen, ni jam depravati sint humores. Saluti conferunt quoque aliae excretiones serosae per lotium, perspirationem, per alvum citam et salivae cursum, cum nondum labem humores aut viscera contraxerunt, cum nondum inveteravit aegritudo, sed orta fuit e suppressis iis excretionibus: maxime vero cum haemorrhoïdes et menstruus sanguinis fluxus restituuntur, aut scabies et erysipelas repercussa iterum revocantur.

§. 577. *Continuatio.*

In caussis hydropum generalibus indagandis ratio praeprimis habenda est absorbtionis impeditae, quae nititur saepissime viscerum adsimilationi inservientium labi, atoniae aut vitiis organicis. Hepatis, mesenterii inprimis tumores et abscessus: stases sanguinis in vena portarum, quibus vasa lymphatica comprimuntur, frequentem praebent caussam, qua hydrops cietur (*Path. gen.* §. 81). Haec igitur vitia, et quidquid iis generandis par est, hydropibus occasionem exhibet. E potuum spirituosorum abusu eam colluviem explicuimus (*Path. gen.* §. 143). Obesi homines qui adipe abundant, proclives sunt in hydropem, quod, dige-

stione labefactata, azoticum deficit in humoribus secretis, facilis igitur transitus adipis in gelatinam et lympham patet (*Phys.* §. 43. 77. 81). Hinc post mortem hydropicorum non rarum est, bilem glutinosam inveniri albumini similem atque inertem. Digestio igitur et adsimilatio deficiens saepius sufficit ad hydropem gignendum; quod luculenter etiam patet tum ex Haenii observatione, qui duritiem stomachi, ut caussam hydropis cognovit, tum e Scherbii rarissima animadversione de calculo ductus thoracici, chyli progressum penitus impediente (*Haller.* Diss. pract. *vol.* III. p. 537). Adsimilationis functio prohibetur morbo arthritico, nervosisque adfectibus, qui in longum porrecti sunt, sanguinis etiam largis profusionibus et aliis caussis, quas (*Path. gen.* §. 61. 62. 101) enumeravimus. Cum, quod ibi probatum fuit, nervorum imperium exigatur ad moderandam formationis normam, ex illo sublato aut perturbato in febribus ardentibus et morbis nervosis, rite repetenda est hydropica colluvies.

§. 578. *Continuatio.*

Impeditur absorbtio per turgorem venarum vasa lymphatica comitantium (*Path. gen.* §. 83. 205). Hinc plethoricus existit hydrops, frequens in mulieribus, a menstruo sanguinis cursu defectis, curatus saepe haemorrhagia narium, aliis sanguinis fluxibus et ipsa venae sectione. Quae dum secius cedunt, apoplexia interimitur aeger. Nec desunt interdum organica vasorum vitia, quibus san-

guinis circuitus impeditus stases seri lymphaeque producit. Enormitas cordis, aneurysmata aortae, ossea valvularum durities, osseae aortae insulae frequenter in corporibus hydropicorum reperiuntur quibus partim caussa ejus morbi tribuenda est. Alia insuper adsunt obstacula progredientis per vasa absorbentia lymphae. Gravido utero comprimi vasa absorbentia, eoque modo oedemata pedum nasci, frequenter accidit. Dum ulceribus aut furunculis obsidetur pars, vasa lymphatica turgere et oedema oriri consuescit. Scirrhi et calculi, steatomata et alii tumores vasa lymphatica comprimentes saepe post mortem in variis partibus inveniuntur.

§. 579. *Continuatio.*

Contingere interdum hydropem culpa spasmorum, quibus vasa absorbentia constringuntur, ut lympham avehere nequeant, exploratum habemus. Meminimus enim in hystericis et hypochondriacis, inflationem aquosam saepe subito nasci cum spasmis, repente quoque iterum evanescere ut natura vel arte spasmi semet remiserint. Ubi corpus subito perfrigescit, vel gelidae aquae potu vel frigore excepto, hydropem nasci aut oedemata saltem vidimus, quae e spastica vasorum capillarium absorbentiumque coarctatione facile exponere possumus. Nonnunquam perturbatam rationem vasorum absorbentium intestinorum et cutaneorum accusandam esse existimamus, ut illis contractis haec ad uberiorem vaporum aëreorum absorbtionem solliciten-

tur (*Path. gen.* §. 62). Hinc, ubi humidus est aër et pluvius, augeri solent hydropes, decrescere autem sicca tempestate.

Tandem consilium transferri oportet ad atoniam et resolutionem vasorum absorbentium. Namque quotidie videmus membra resoluta oedematibus obsideri: saepius observavimus post vehementes morbos, sanguinis etiam profusiones uberrimas nasci hydropicam colluviem, quae similem admitteret expositionem · exemplo oedematum, quae excipere rheumatismos et exanthemata consuescunt (§ 68). Hinc, quae valide incitant vasa, frictiones, remedia quoque purgantia, proficua esse, ni ad tollendum, ad levandum saltem hydropem solent.

His generatim expositis, via patet ad singulas hydropis species.

B. De hydrocephalo.

§. 580.

Alibi (§. 190. 191) encephalitidis formam eam perstrinximus, quae, infantibus infesta, in colluviem serosam transit. Jam *hydrocephalum* proprie dictum considerare libet, qui utplurimum congenitus, e pristina embryonis forma ac compage exponendus est. Quodsi etiam collectio ea aquae aliquot annos post partum apparet, dispositio tamen diastasi ossium, quae calvariam constituunt, in ipso foetu, ut in lucem editur, cognosci potest. Ad pristinam embryonis formam reducendum esse

hoc vitium et inde liquet, quod cum aliis formationis pristinae vestigiis, cum labio leporino et spina bifida, cum exomphalo et atresia ani, sociatus esse solet. Quodsi intra meninges, sive inter eas et encephalum aqua stagnat, cum Meckelio tertio (*Handb. der path. anat.* I, 264) recordatio piscarii encephali, qui circumfluitur latice seroso vel oleoso, subit. Hunc enim imitatur encephalus embryonis recens concepti, qui, a basi inde formatus magis in secretionem quam in configurationem aut molitionem tendit. Itaque non mirum est, si Wrisbergius in infante quinque annos nato ventriculos cerebri vesicarum mora aqua pansas et cerebri substantiam adeo fibrosam et uniformem absque corticis differentia, invenit (*Salzb med. zeit*, 1805. I. 89), qualem Malpighius in cerebro piscium describit (*Opp.* II. 116.) (1). Hinc etiam vero simillimum est, colluviem hanc aquosam, statim ab exordio foetus ortam, pristinae formationis vestigium esse, neque cerebri molem ab ea excedi, aut medullam, ut nonnulli statuerunt, solvi:

---

(1) Quid quod Christianus Vaterus hemisphaeria hydrocephalici cerebri conspexit ab aqua adeo pansa et brassicae capitatae ad instar cavata, ut nulli ventriculi, nulli anfractus, sed fibrae albicantes, sero turgidae, a basi encephali ac trunco medullae oblongatae, velut vasa lactea per mesenterium, per encephali compagem densissime ad corticem usque distributae et complicatae apparerent (*Eph. nat. cur.* dec. 3. *ann.* 9. obs. 166.).

quoniam parietes ventriculorum vel incolumes vel magis incrassati etiam inveniuntur. Glandula pinealis et pituitaria utplurimum tumidae sunt hactenusque imperviae, vasa etiam absorbentia adeo tumida, ut inde colluviem aquosam haud sine negotio exponere possis. Exploratum tamen habemus pressione et pansione quam aqua in cerebrum exercet, sulcos et gyros cerebri evanescere, superficiem ob turgorem vasorum marmoream indolem adipisci (*Wenzel: über hirnwassersucht*, 18). Ex eadem pressione coalitus contingit piae membranae cum cerebro: atque cerebri moles adeo exigua ut pomum mediocre aequaret, aut adeo pausum, ut philyras quasdam chartae bibulae emporeticae referret. Ceterum alio loco (*Phys.* §. 362) cerebri defectum ex hac caussa nequaquam oriri probavi. Nervos opticos Hartellius Alefeldensis medicus (*Salzb. med. zeit.* 1805, I. 94) adeo crassos observavit, ut pristinam embryonis formationem in memoriam revocaret.

Memorabile etiam est, in ossibus calvariae, quae enormem ambitum habent, centra ea, e quibus ossea materies formatur, magnopere prominere, praesertim in fronte, tum quoque in sincipite et occipite. Hinc nec caput nec facies normalem formam obtinet, sed versus latera panditur, saepe etiam obliquitatem adipiscitur. Radiatim insuper solent particulae, quae in osseam indolem abeunt, procedere, sicut id in pristina embryonis formatione contingit. Nec aequabiliter ossea fit calvaria, sed magnopere extenuata apparent ossa

aut osseae naturae plane expertia: alia etiam miro modo incrassata ut et Molyneusius potuerit pro gigantum ossibus habere (*Philos. transact. n.* 68).

§. 581. *Continuatio.*

Insignis ea deformitas, quomodo vitae ac ejus functionibus noceat, dictu haud facile est. Vitam quidem diutius protrahi posse, liquet exemplis hydrocephalorum congenitorum, qui in virilem usque aetatem perstiterunt (*Schneider*: in *Annal. der wetter. Gesellsch.* I. 258., *Galls*: *anat. und phys. des nervensyst.* 599). Admirationem vero majorem habet sensuum plerumque integritas, memoriae etiam et intelligentiae: licet haec in Schneideri exemplo valde imbecilles esset. Cupiditas etiam ciborum et nutritio haud plane desunt, etiam si corpus reliquum nutriri pariter ac caput nequeat.

§. 582. *Continuatio.*

Super hanc congenitam hydrocephali indolem haud arbitror eum frequenter aliunde oriri, quam ex inflammatione, de qua, ut in hydrocephalum abit, supra (§. 191) uberius loquuti sumus. Temere autem eos judicare existimo, qui quamlibet aquae in ventriculis cerebri accumulationem morbi etiam praegressi caussam habent. Namque alibi (*Phys.* §. 91) jam monui, aquam eam ventriculos implentem colligi potius post mortem aut in agone saltem, quam quod ad statum sanum vel morbosum vivi hominis pertineat. Hinc persuasum

habeo, febrem, quae *verminosa* dicitur (§. 137) et typhum ipsum non raro ea symptomata producere, quae hydrocephalo tribuuntur. Neque tamen inficior, fieri omnino posse, ut e fortuita caussa, et in adultis aqua e vapore ventriculos cerebri irrigante colligatur, eoque modo nascatur hydrocephalus. Ecquis enim negaverit, tum hydropis universalis participari etiam encephalum, tum ad alios morbos meningum aut cerebri et hanc accedere posse colluviem? Hanc omnino ante mortem jam adfuisse morbumque effecisse conjicio, cum corpuscula, quae a Pacchonio vocantur, simul tumida et dura, turgentes glandulas pinealem aut pituitarium, plexum quoque choroideum hydatidibus obsessum animadverto. Siquis vero ex me sciscitaretur, quaenam sint signa veri hydrocephali, qui citra inflammationem nascatur, equidem, et ipse ab usu ac exercitatione non alienus et in lectione scriptorum probabiliter versatus, plane id nescire ingenue fateor. Etenim ut a proximis ejus colluviei effectibus ordiar, depressio bulbi palpebrarumque aut strabismus, quibus nonnulli maxime fidunt, saepius tamen deficiunt, ubi post mortem haud ambigi potest, praecessisse mortem colluviem eam hydrocephalicam. Pupillae dilatatio saepius omnino adest, sed vidi tamen nullo modo mutatum uveae motum, cum post mortem verus hydrocephalus in conspectum prodiret. Somnolentos meminimus homines, dolorem acerbum in parte quadem capitis querentes, nonnunquam convulsos, trismo aut tetano correptos, tarde et impedite spirantes subito

exstingui: quorum cadavera secta praeter alia encephali vitia et colluviem aquosam in ventriculis monstrarunt. Vultus et faciei habitus, in quo fiduciam Oderius collocat, quod peregrini, torvi et meticulosi aliquid exprimit aut quod terroris semper aliquid habet, tum in aliis morbis adest, tum colluviem vidimus citra eam vultus foeditatem. Idem judico de vacillante gressu, de pallore et inflatione faciei, de nervorum resolutionibus et distensionibus: quorum quidem, partim supra (§. 191) jam judicatorum, cum plurima praesto sunt, probabilis est conjectura, hydrocephalo adfectum esse aegrum: singula tamen fallunt medentem.

§. 583. *Continuatio.*

Posse hunc e fortuitis caussis ortum hydrocephalum sanari, haud nego, tametsi raro contingat. Etenim remota haec a manu medentis adspectuque colluvies, depravata aquae indoles et cerebri ipsius corruptio difficillimam reddunt curationem, ni omnia plane artis molimina eludant. Ipse quidem perfecte curatum hunc morbum non vidi, sed fidem habeo medico eximio vindobonensi (*Portenschlag-Ledermayer*) et Anglis (*Dobson*, *Mier*, *Rush*), qui persanasse eum adseverant. Si cerebri hydrops cum universali junctus in hunc transit; si ex erysipelate repercusso ortus hydrocephalus, illo revocato, desinit, sanatio perfecta contingit. Nec desunt exempla debellati ope mercurialium remediorum morbi. Quodsi Serao, medico neapolitano, fides habenda est, qui Morgagnio narrabat

(*Ep.* 10, 8), se puerum vesicatoriis emplastris suturae sagittali impositis ad sanitatem perduxisse, per annum unum aut alterum epilepticis insultibus et crurum resolutionibus confectum, inde effici potest, nec diuturnum hunc morbum semper curationi resistere, nec febrem adeo necessariam esse, ut sanescat aeger, ac vulgo creditur.

Perniciem portendunt strabismus, depressus bulbi positus aut divaricatus; rubor etiam saturrimus oculorum, ac λημία aut gramiae in canthis; dein exanthema miliare ad collum et faciem erumpens; algor extremarum partium et inflatio abdominis.

C. De hydrorrhachi.

§. 584.

Colluvies aquosa intra caveam medullae spinalis. tecta vel solis meningibus vel externis etiam velamentis, hoc nomine venit. Congenitum plerumque est vitium spina bifida aut fissa junctum, cujus tres potissimum formas aut gradus Fleischmannus (*De vitiis congenitis circa thoracem et abdomen.* Erlang. 1810) recenset. Vel enim totum corpus quasi diductum in duas partes, spinam etiam dorsi ita fissam habet adjunctam, ut amplum illud spatium intermedium solo peritonaeo tegatur. Ea deformitas omnino vestigium est pristinae formationis, ubi in vertebris duo seorsim constituta puncta osteogeneseos disjunctam ostendunt dorsi spinam, quae separatio manifestior etiam in sterno

est (*Meckels. Handb der path. anat. I. 360*). Vel is gradus deformitatis est, quo arcus duntaxat laterales vertebrarum deficiunt: vel denique foramen solummodo adest in vertebris, per quod tumor prodit. Quae quidem vitia minus a pressione et positu foetus abnormi, quam a retardata evolutione et perseverantia formationis in inferioribus gradibus originem ducere, elucet e simul junctis similibus vitiis, exomphalo, atresia ani et fissa aliarum partium indole.

§. 585. *Continuatio.*

Plerumque occupat regionem lumbarem, a secunda ad quintam usque vertebram, quia hic in statu normali medulla desinit, ligamentum quoque denticulatum cessans in chordam abit, coccyge tenus productam; quia insuper processus spinosi in hac regione magis distant, processus articulares spissiores habent cartilagines, atque ideo facilius cedunt. In ipso vero fine ossis sacri et coccygis accervari aquosam hanc colluviem haud sine exemplo est: rarius contingunt tumores in dorso ipso aut denique in collo.

Est tumor botuli forma aut pomi pyrive, pedunculatus, mole auctus, dum infans ejulatur aut alvum cum nisu deponit. Est mollior aut magis tensus, colore aquoso, vel vasis sanguiferis perreptatur. Dum comprimitur, aut dum dorso incumbit infans, nervorum distensiones existunt et resolutiones, hydrocephalus quoque nascitur a tumore diutius presso, quod cavitas medullae per calamum

scriptorium cum ventriculo quarto communionem habet, aut quia eaedem membranae sunt medullam spinalem encephalumque velantes (*Phys.* §. 348). Ruptus quoque tumor aut punctus periculum adferre et ipsam subitaneam mortem visus est. Posse in exulcerationem et sphacelum abire, Hochstetterus (*Haller. diss. pract.* vol. *VIII. p.* 497) et Bidloous (*Exercit. anat. chirurg.* dec. *II. ann.* 7. *p.* 190) observarunt.

Qui exitus etiamsi non sequitur, nervorum tamen resolutiones tum in pedibus, tum in vesica et ano vulgares sunt. Nonnunquam eae alternant cum nervorum distensionibus: interdum pustulae et ulcera sphacelosa extremas partes obsident; macies etiam eos consumit. Plerumque paullo post partum infantes enecantur: exstant tamen exempla protractae ad plures annos vitae.

§. 586. *Continuatio*.

Sedes mali est utplurimum intra membranas medullae ipsius quaerenda: pari enim modo, ut cerebrum hydropem patitur, si secretioni humorum magis vacat quam formationi (§. 580), et medulla spinalis, retardata formatione, secretione uberrima laborare potest: maxime dum ossa spinae haud coalita sunt. Hinc nec externae violentiae, quae foetum forte adflixerint, nec gravidae alii morbi accusari debent.

D. De hydrothorace.

§. 587.

Quodsi colluvies aquosa intra pulmonum compagem aut in pleurae cavea est, vel dum hydatides in thorace colliguntur, diuturna aegritudo nascitur, vel tabi pulmonum vel asthmati etiam simillima, curioseque ab his distinguenda. Cautione tamen est opus, ne eum morbum praecessisse statuamus, quoties post mortem aquam intra pleuram observamus. Etenim et hoc vulgare est in cadaveribus, si diutius morbo conflictati sunt, vel cum animam etiam per longum tempus egerunt, vel cum cadavera sero secantur.

§. 588. *Continuatio.*

Circumspicienda sunt morbi initia, quae lenta esse et cognitu difficilia solent. Spiritus difficultas, adscensu scalarum et acclivium locorum auctus, ingravescit praeprimis, dum aër nebulosus est et frigidus, dum corpus perfrigescit, utique vero, dum ad somnum proficiscitur. Tum enim repente expavescit, incubum sentit et anhelat, donec tandem obdormiscat. Interdum et augescit spiritus difficultas post ingestionem potuum spirituosorum et ciborum validorum. Studiose quoque observandus est decubitus facilior in alterutro latere, cum suffocationis metus nascatur, si alteri lateri incumbit.

Accedunt tussis breviuscula, arida, aut cru-

dam ejiciens pituitam vel aquosam: raucitas vocis infirmitasque: strepitus inter spirandum, quasi humores coquantur. Nulli interea dolores peculiarem locum occupant, sed rheumatici, lacerantes in humeris, brachiis et cervice praesto sunt, qui pectoris rheumaticam (§. 248) aut pleurae inflammationem (§. 255) mentiuntur; sed febris omnino abest.

§. 589. *Continuatio.*

Lente exasperatur morbus, maxime dum tempestas pluvia et frigida est. Noctes inquietae, quodvis enim in somnum eundi conamen anhelationem caussatur et suffocationis metum. Cum gravior fit aegritudo, neutri lateri incumbere potest aeger, sed spiritus solummodo ducit, cum erectus aut pronus sedet. Siti torquetur nocturna: urinam mittit turbidam, opacam, aut cuticula versicolore tectam. Habitus foedatur pallore, lurido colore, livido etiam ad nasum et labra, tumoribus aquosis profundiorum partium: ad aquae et scroti et labiorum vulvae inflationes accedere solent: nonnunquam et intra costas tumores surgunt. Maxime vero extremae partes oedematibus corripiuntur, algescunt. In ipso pectore horrores et frigoris sensus adsunt, cum doloribus humerorum, brachiorum et sterni indies ingravescentibus.

Fluctuantem in pectore aquam, si qui audire meminerint, falsi esse aqua in ventriculo collecta videntur, propterea quod, quae in pulmonum compage aut in hydatidibus inclusa aut inter pleu-

ram pulmonumque superficiem est aqua, neutiquam sonitum edere potest. Nec, quem thorax manibus percussus edit, sonitus tutum praebet signum, cum et alia pulmonum vitia adesse possint.

§. 590. *Continuatio.*

Malum portendit eventum febris hectica cum nocturna siti, ardore pectoris et horripilationibus et doloribus pungentibus juncta, quae quietem omnem aegro adimit et in sudores profusos debilitantes, alvi etiam fluxus abit. Tum tussis exasperari solet, nonnunquam saniem aut sanguinem ejicere, interdum repente supprimi, unde strangulationis metus nascitur. Macies corporis cum oedematibus membrorum et hydrope *ἀνὰ σάρκα*: stupor et resolutio artuum cum nervorum distensionibus alternant: tandem animi deliquia, catarrhus suffocans et apoplexia in exitium praecipitant.

Desperanda est salus, si homo declinatae aetatis, aliis jam ante pulmonum morbis confectus, in hunc incidit: si nervorum adfectiones accedunt, paralyses brachiorum, vocis defectus et sputorum suppressio. Praecipitatur aeger, dum doloribus pectoris acutis adjungitur febris inflammatoria, ardore intestino, halitui oris torrido et pulsui accelerato nupta.

Boni tamen augurii sunt sudores profusi in initio aegritudinis, quae ex frigido aëre corpore excepto nata est: sputa copiosa et cocta: urinae largus fluxus et restitutae excretiones, quae suppressae erant.

§. 591. *Continuatio.*

Cadavera secta praeter aquosam colluviem in pulmonibus aut inter ipsos pleuramque, aut in sacco peculiari, aut denique in hydatidibus collectam pulmones ostendunt densae hepatis compagi similes, tumoribus duris consitos aut sanie exsesos. Coalitus praeterea frequentes sunt vel pulmonum pleuraeque, vel sacci aquam continentis cum diaphragmate et pleura. Haec membrana spissior conspicitur et lympha tenaci obducta; glandulae lymphaticae turgidae, turgidae etiam bronchiales: fistulae spiritalis rami latice spumoso fusco farcti. Si quae adessent osseae insulae in tunicis aortae, aut valvulae magnorum vasorum osseae essent indolis, exponi haec possunt e secessu particularum sanguinis propiorum alienato (*Path. gen.* §. 101), ad quem generatim culpa colluviei hydropicae referenda est, quique post inflammationem saepe cum eadem oritur (*Path. spec.* §. 159). Steatóma, aortam et fistulam spiritalem comprimens, a Lettsomio observatum (*Samml. für prakt. aerzte*, XII. 604), aneurysmata, polypi et cordis enormitas caussis generalibus hydropis jam supra (§. 578) adnumerabantur.

Frequentissimus hujus morbi ortus ex inflammationibus pectoris, maxime rheumaticis, variis locis (§. 159. 247. 248) expositus est. Naturales sanguinis fluxus suppressis, haemorrhoïdum exemplo, ciendo hydrothoraci pares sunt (§. 578): sic et suppressa perspiratio cutanea et exanthemata re-

percussa, et haemorrhagiae praegressae quomodo agant, ut hydrothorax nascatur, e generali expositione (§. 577 — 579) liquet.

E. De hydrope pericardii.

§. 592.

Abstrusum morbi genus cognituque difficillimum, tum quod sacco naturali inclusus latex raro signa externa exhibet, tum quod saepissime cum aliis cordis, pericardii vasorumque magnorum pravitatibus sociata aegritudo, aut ad pulmonum labem diutinam accedens, ab his dignosci fere nequit. Id enim observatione plurimorum auctorum firmatur, pericardium aquosa colluvie turgidum vel cum inflammatione et ulceratione cordis diutina, vel cum polypis magnorum vasorum vel cum osseis eorum insulis junctum esse, ut ortus hujus hydropis inde pateat. Cum vero naturaliter uter is vaporem aquosum contineat, post mortem protinus auctum, quaerendum est, quanta aquae copia hydropem hunc constituat? Ad quam quaestionem Corvisartus et Sömmerringius respondent, guttas duntaxat aliquot in statu vivo sanoque adesse, morbum autem praegressum esse, si ad aliquot uncias is latex post mortem reperiatur. Addendum vero esse autumo, tum statuendum esse hunc hydropem, cum sociata sunt alia vitia, praecesserunt etiam varia symptomata, e quibus is morbus judicari potuit.

§. 593. *Continuatio.*

Symptomata constantiora et necessaria esse existimo: ponderis sensum sub sterno, quasi ingens saxum cordi incumbat, qui quovis motu, quovis conatu loquendi, maxime decubitu in dextro latere et supino magnopere augetur, junctus etiam angore incredibili, spiritus difficultate et specie sensus, quasi cor in aqua nataret. Senacus addit, fluctuantem tumorem inter costam tertiam et quintam visui semet et tactui exhibere: quod vero signum in maxima duntaxat colluvie praesens esse potest. Sed alia nota probe tenenda est, motum nempe cordis multo latius propagari facileque locum mutare et in tremorem insolitum abire, a palpitatione longe diversum: haec enim non raro deficit in ejusmodi aegritudine. Eae autem molestiae nonnunquam in animi deliquia abeunt et in suffocationis metum.

Dolores desunt plerumque: quamlibet ponderis sensum sterno incumbentis cum dolore nonnulli aegri commutent. Tussis nulla adest, vel si quando accedit, strangulationem comitatur, ut spasticus adfectus, vel a pressione cordis in pulmones nascitur, nulla sputa educens, nulloque screatu juncta. Nec febris accenditur, nec sitis, ut in aliis hydropibus, aegrum cruciat, nec pulsus acceleratur, sed hic esse solet tardus plerumque impeditus, mollior initio, dein vero durior, plerumque intermittens.

Habitus corporis nullo modo mutatur: cum

inveteravit malum, inflari solent facies, maxime palpebrae et labia, quae et livere consuescunt. Extremae partes rarius tumescunt; tumescunt tamen levae partes magis dextri, cumque pulsus etiam sinistri lateris exilior esse soleat ac magis irregularis, id inde explicat Testa, quod nervi cardiaei ad laevam arteriam coronariam uberiores sunt, phrenici quoque nervi ramus sinister propius ad pericardium accedit quam dexter; algent autem manus plerumque in accessibus morbi gravioribus. Corpus macie conficitur; vox rauca est et debilis, loquela impedita: tandem nervorum distensiones, strangulatio et sanguinis cursus aegrum torquere solent. Cum ad extrema ventum est, soporibus aeger opprimitur, tumores vero membrorum decrescunt, quod Testa e deminuta pressione vasorum sanguiferorum in vasa lymphatica, propter aëreas substantias, spiratione impedita, a sanguine abactas, exponit.

§. 594. *Continuatio.*

Oritur hydrops pericardii post inflammationem ejus velamenti ac cordis diutinam (§. 257), maxime eam, quae puerperas exercere ob praegressam uteri gravidi pressionem in thoracis viscera solet (*Testa: von den krankh. des herz.* 286). Frequenter etiam adjungitur post pectoris inflammationem hydrothoraci. Tum sequitur cordis pravitates alias, enormitatem, osteogenesin praeternaturalem, polypos et apostemata: nascitur denique e metastasi externorum tumorum.

F. De hydrope saccato abdominis.

§. 595.

Aquosa colluvies frequenter in peritonaeo sedet, sacco aut membranis ejus duplicatis, aut cellulis turgidis, aut hydatidibus formato. Solet autem plerumque is saccus hactenus exteriorem peritonaei faciem occupare ut proximus musculis sit abdominalibus: unde viscera abdominalia immunia esse a labe solent.

Lente inchoat morbus cum habitus, cupiditatis ciborum et digestionis integritate, menstruo etiam mulierum sanguine bene respondente. Ponderis adest, tensionis et pressionis sensus in loco peculiari abdominis cum lassitudine pedum et sensu, quasi ingens pondus iis appensum sit. Saepius flatus molesti sunt, alvus dura est et urina turbida ac lateraria. Pressionis sensus interea in dolorum colicorum speciem abit: tumore surgente haud dolente, sed frigido, tenso, nec fluctuante, nec dum concutitur abdomen aut in alterum latus vertitur, eo demerso. Lentissime increscit tumor: si ad umbilicum sedet, hunc in herniae formam protrudit: si ad alias partes, inter musculos protuberat. Denique vero universum abdominis ambitum pandit, ut distingui ab hydrope ascite nequeat, ni ad fluctuationis defectum consilium transtuleris.

§. 596. *Continuatio.*

Interea solent, etiamsi maximam partem abdominis occupet tumor, et faciei color et appetitus atque digestio naturales esse. Brachia haud valde extenuantur, nec protinus intumescunt. licet tumores partium verendarum, scroti et labiorum vulvae adesse soleant. Nec siti torquetur aeger, nec spiritus difficultate, nisi auctus impendio tumor, dum cubat aeger, diaphragma et thoracem premat.

In longum tempus haec aegritudo porrigitur: exempla enim exstant, per quadraginta annos traxisse aegrum. Nonnunquam naturae ope rumpitur saccus, aqua prope ab umbilico effluénte: aut ita intus rumpitur, ut liber ascites inde existat. Nec vulgaria remedia hydragoga, nec paracentesis auxilium adferunt, quoniam clausus est saccus, latex etiam in eo stagnans adeo spissescit, ut nec effluere per acum triquetram nec praesidiis iis, quae urínam sudoresque cient, eliminari possit. Tandem e depravato latice ulceratio et hectica febris nascuntur, quae vires consumunt noctemque accelerant.

G. De hydrope ascite.

§. 597.

Ascites vocatur hydrops, si aquosa colluvies in cavea abdominis, vel peritonaeo toto inclusa, colligitur. Quod quidem accidere nequit absque viscerum

abdominalium praegressa labe, stasibus saltem e suppressione haemorrhoïdum et menstruorum ortis, digestionis infirmitate et vasorum absorbentium torpore. Itaque incidunt in eam aegritudinem, qui febres intermittentes superarunt (§. 33. *a. c.*) qui loca paludosa incolunt (*Path. gen.* §. 129), qui diu jam hepatis pravitatibus, ulceribus, duritie, tumoribus, aut ictero conflictati sunt (§. 268. 269).

§. 598. *Continuatio.*

Post longam igitur malorum seriem, e digestione labefactata ortorum, dolores nascuntur rheumaticis similes, maxime crurum surarumque, qui e jocinoris adfectibus nati in tumorem abeunt, mox latescentem, ab exordio tensum et duriusculum, dein vero molliorem et fluctuantem, citius increscentem, quam dum hydrops saccatus est, atque tum totum abdomen tum membra etiam occupantem. Qui tumor moto corpore ita movetur, ut impetus ejus conspici possit, compressus digito, hujus vestigium per aliquod tempus retinet; in id etiam latus semper demergitur, in quo aeger decumbit; vesperi denique semper ingravescit, sudoribus antelucanis parum levatus. Dum scrotum occupat, penis corrugatur et extenuatur: dum membra, lassitudo motus et torpor inde existunt. Habitus quoque depravatur, pallescente facie et inflata. Sitis adsiduo aegrum torquet, alvus etiam dura; urina est turbida et lutosa: spirandi difficultas summa, maxime dum supinus cubat. Haec dein indies magis ingravescit, noctibus semper inquietis

et angoribus magnopere aegrum cruciantibus. Memorabile tamen est vitae desiderium, etiam si anxietas et spiritus difficultas summae sint, macie corpus extenuatum sit et nihil fere digeratur.

Cum ad ultima ventum est, febris accedere solet hectica, cum ardore intestino, pulsibus concitatis, urina intercepta, cum nervorum distensionibus et strangulationis metu. Meteorismus abdominis, alvus liquida et ulcera e depravato latice stagnante orta mortem annunciare solent.

Salus haud facile consequi potest, ni diutina viscerum abdominalium labes curetur, ni in initio morbi restituantur suppressi sanguinis fluxus. Quodsi vero labes viscerum jam inveteravit, si ulcera accesserint, metus est, in praecipiti esse aegrum.

H. De hydrope uteri.

§. 599.

Uterus, qui non gravidus est, colligere aquam nequit, nisi peculiari sacco inclusam aut cum os uteri praeter naturam clausum fuerit.

Incipit autem id malum variis molestiis, quae graviditatem mentiuntur. Menstruus sanguinis cursus plerumque intercipitur, nonnunquam vero, ubi aqua sacco inhaeret, aut ubi e sola vagina stillat per totum morbi decursum bene respondet. Nascitur tumor frigidus duriusculus uteri regionem occupans, plerumque subfluctuans, qui per circui-

tus augetur et decrescit, maxime menstruis periodis. Hac quidem ratione, tum etiam aequabilitate tumoris, frigida indole, citiori incremento, decremento etiam periodico differt a graviditate. Cum insigniter auctus tumor totum abdomen occupat, ab ascite fere nullum discrimen est, nisi ortus e regione pubis, habitus naturalis, functionesque incolumes, cum contraria in ascite observentur. Undabundus motus aquae stagnantis motus embryonis simulare nonnunquam fertur; sed differt omnino, quod multo minus regularis est. Os etiam uteri tenue fit, tensum et contractum, cum in gravidis molliusculum sit et salebrosum. Ubera insuper flaccescunt et collabuntur in hydrope uteri, cum gravidarum soleant turgescere et vasis subcoeruleis insigniri.

§. 600. *Continuatio.*

Ad haec functiones pleraeque integrae et habitus fere naturalis esse solent: somnus praecipue et animi hilaritas et ciborum appetentia nullo modo a sano statu deflectere. Quodsi vero tumor totum abdomen occupat, necesse est diaphragma eo sursum pellatur, spiritus igitur difficultas, angores tussis et palpitationes cordis nascantur; e presso insuper stomacho cupiditas ciborum et digerendi vis labascant, vomitus oriatur, ciborum fastidium, colicis doloribus, alvi obstipatione et flatibus copiosis adjunctis. Tandem hectica febris cum macie totius corporis, extremarum partium tumoribus frigidis, sudoribus profusis et insultibus apoplecticis exitium portendere solent.

Nonnunquam naturae adminiculo aqua per vaginam effluit, praecedentibus angoribus, cordis palpitationibus, doloribus etiam iis, qui partum adnunciant. Tum aqua, postquam effluxit, intus iterum colligitur, ut periodicum inde incrementum et decrementum morbi exponi possit. Interdum hoc aquae effluxu adeo debilitantur partes, ut uterus cum vagina provolvatur, ut anima deficiatur aegra. Nonnunquam post aquae effluvium sanguis, ad instar lochiorum, promanat. Rariores sunt casus Muralti (*Eph. nat. cur.* dec. *II. ann.* 1 obs. 114), ubi per ulcus externum sponte obortum aqua deflueret, et Fabrii (*Held's Ausz. aus franz. scriften*, I. 288.), ubi salivae fluxus totum hunc morbum solveret.

§. 601. *Continuatio.*

Gravior est et difficilior cognitu *graviditas spuria*, quae e degeneratione placentae in hydatides nascitur. Haec quidem adeo similis est graviditati, ut, ni cautissime omnia circumspiciantur, facillime commutetur. Postquam enim menstruus desiit sanguinis cursus, pyrosis nascitur cum fastidio ciborum, vomituritione et cardialgia: tum venter imus celerius intumescere, quam dum praegnans est, ut post binos menses ambitum habeat, qualem gravidus mense nono: pedes etiam inflantur et sanguis e verendis partibus fertur, quod alienum est a vera graviditate. Nonnunquam dolores sentiunt quasi abortionem passurae, motus quoque irregulares intra uterum, qui cum motibus embryonis haud commutandi sunt.

Nunquam fere ultra sextum mensem moratur ea valetudo. Tertio, quarto aut quinto mense sanguis cum doloribus vehementibus et spasmis ex utero fertur: sequitur excretio vesicularum pedunculis uvarum more cohaerentium, sive sacco communi inclusarum, sive ope massae e placenta residuae nexarum, aquam limpidam, vel parum opacam aut subcruentam continentium, vasisque sanguiferis percursarum (*Sandifort: observ. anat. path.* lib. *II. c.* 3. *p.* 83). Eas hydatides autem tantum non semper e dilatatis vasis chorii ortum ducere, equidem ante duodeviginti annos probavi (*Gregorini: de hydrope uteri*, 64. 65); etiamsi largiar, rarioribus exemplis taeniam hydatigenam nidulari in placenta hydatidosa (*Goeze: von eingeweidewürmern*, 196).

Citra vero graviditatem, a sola laxitate uteri hydatides eas oriri, aegerrime concedimus. Plerumque vulgaris inde hydrops originem ducit, unde is post fluorem album diuturnum, atque uteri lentam inflammationem nasci visus est.

§. 602. *Continuatio.*

In ipsa graviditate colluvies aquosa ita existere potest, ut vel placentae pars in hydatides degeneret, quod cognosci fere nequit, nisi tandem dum enixa est mulier, foetum conspiciamus mole minimum, degenerem ac hydatidum insigni congerie inclusum. Dein potest liquoris amnii copia abundare, quo facto pariter nutritio foetus labascit: aut lymphae coagulabili, in membranam vasculosam

mollissime villosam abeunti, quae *tunica Hunteri decidua* vocatur, superfluae; aut exudantibus e tela cellulari flocculenta tunicae amnii tribuenda est haec colluvies; aut demum sacco peculiari chorio adhaerente includitur. Quae dum contingunt, quamdiu partum gestat mulier, cognosci fere nequeunt, nisi e majori ventris volumine, pedum inflatione et diuturnis variis molestiis: dum partus editur, macie fere confectus et degener esse solet.

J. De hydrope ovariorum.

§. 603.

Hydrops est plerumque saccatus, laevum latus occupans, ubi incipit dolore obtuso supra marginem cristae ossis ilium, tumore etiam, ovum anserinum initio referente. Crus sinistrum stupere solet: lassitudine membrorum, menstruorum suppressione, fastidio et vomitu crebro laborant aegrae. Quae dum accidunt, praegnantes se esse autumant mulieres, maxime cum tumor ventrem imum mox occupet. Suspicionem vero diluit oris uterini haud mutata indoles, mammarum etiam collapsus: tum varia vitia, malam nutritionem et cachexiam notantia. Namque fluor albus pervicax comitari solet malum: coïtum aversantur: foedo pallore et algore per totum corpus occupantur. Cupiditas ciborum ammissa, fastidium aut perversa appetentia, ructus mucidi, flatus copiosi, alvus dura exercere aegram consuescunt. Urina sem-

per est turbida, lutosa. Animus marcet et languet: tandem hydrops universalis accedit et macies totius corporis.

§. 604. Continuatio.

Cadavera secta ostendunt ingentem tumorem, qui totum fere implet abdomen, ovario alterutro constitutum, qui continere ad centum libras aquae potest. Ovarii pars obduruit, pars in cellulas mutata est, quae melleum humorem habent, aut cartilagineam obtinent indolem, vasis tamen pertreptatae: unde credibile est, cellulas naturales hujus organi in tantam molem excrescere posse. Nutritionem alienatam posse in generationis quamdam speciem, hic potissimum loci, ubi vis plastica viget, abire, mirum est: namque in massa adiposa saepius crinium complexorum glomera, dentium molarium, massa vitrea obductorum, ossium etiam congeries inveniuntur, citra ullam conceptionis praegressae suspicionem (*Baillie et Sömmerring. Anat. des krankh. Baues*, 230. 231). Ea autem vitia variis locis (*Phys.* §. 270. 496. 532., *Path. gen.* §. 100) jam perstrinximus.

Caussae, quae vel remotius vel proprius in id vitium agunt, versantur praeprimis in impetu humorum nimio et crebro versus ovaria per coïtum frequentem, stupra manibus commissa et imaginationem alienatam concitato: unde prostibula et vestales virgines, sanctimoniam male simulantes huic vitio obnoxiae sunt. Externae etiam violen-

tiae, ponderum graviorum gestatio et abortiones frequentes occasionem huic morbo praebent. Semel visa est venae spermaticae sinistrae angustia nimia recursum sanguinis adeo retardare, ut aquosa colluvies oriretur (*Douglas*: in *Leske's Ausz. aus den philos. transact. I.* 229).

K. De hydrocele.

§. 605.

Scroti tumorem aquosum, tanquam metastasin anginae parotideae (§. 223), tum ut symptoma aliorum hydropum (§. 589. 598) consideravimus. Sequitur etiam id vitium hydroceles tunicae vaginalis curationem, quae manu fit, ubi e plaga tunicae vaginalis aqua promanans in telam scroti cellularem instillat. Interdum et glandularum morbus, scrofularum exemplo, et fistula urinaria ansam praebent. Rarius est exemplum a Gredingio (*Verm. scriften*, I. 264) observatum, ubi peculiari sacco aqua inhaereret, inter tunicam dartron et cremasterem, nullamque haberet communionem cum tunica vaginali vel cum funiculo spermatico Favet quoque huic vitio hernia, maxime si coarctato anulo vasa lymphatica comprimuntur.

Est autem id vulgare in hoc scroti tumore, rugas tunicae externae evanescere et tensum omnino esse scrotum, tumescere quoque simul praeputium et regionem inguinalem, quae cum deficiant in vera hydrocele, discrimen egregium statuunt.

§. 606. *Continuatio.*

Vulgaris hydroceles vera sedes est inter tunicam vaginalem et imam testiculi, qui locus naturaliter clausus et vapore aquoso madidus est (*Phys.* § 500). Hic autem humorem abundare, indiciis sequentibus cognoscitur. Tumor est frigidus, non dolens, molliusculus, plerumque ante testem, ut hic pone eum initio tangi possit; ubi malum vere increvit, testiculus neque visu neque tactu sentitur; tumor renititur, remotoque digito, subito attollitur: candela pone eum accensa lumen traslucere sinit. Secius contingit, dum malum inveteravit, humor vero est faeculentus et percrassus. Sursum ac per anulum abdominalem nunquam exprimitur humor, quod occluso sacco tenetur. Nonnunquam per circuitus augescit et minuitur tumor, ut cum catarrhis et aliis fluxibus alternet. Cum vetustus jam est morbus, tumor durus fit, totum scrotum occupat, rugis tamen semper superstitibus; doloribus etiam et tensionibus in osse sacro, dorso et lumbis valde molestis. Tum accedere dolores fugaces in ipso testiculo solent, ut a sarcocele distingui plane nequeat. Tum macie confici testis, aut obdurescere aut ulcerari consuescit.

Rarius contingit, cum hernia congenita hydrocelen hanc esse sociatam, ubi per anulum abdominalem humor sursum cogi potest. Accidit etiam, duplicem tumorem, tum in tunica testiculi vaginali, tum in funiculo spermatico haerere, ut alter

alteri superpositus sit, neuter tamen exprimi possit. Interdum et hydatides albugineae adnatae peculiarem constituunt speciem.

§. 607. *Continuatio.*

In funiculo spermatico haeret tumor, dum naturale velamentum, quod ad trigesimum usque annum coalescere non solet, illum continet. Hinc dispositio ad hunc tumorem fere semper congenita est. Apparet autem tumor in dextro latere, media parte et ante funiculum, ita ut testis inferior sit, probeque tactui semet exhibeat. Tumor est frigidus, vel molliusculus, vel parum renitens, perlucens etiam initio, quo a cirsocelé (*Path. gen.* §. 205) distinguitur. Dum ingravescit malum, extendi solet per omne scrotum, obdurescere etiam tunicae, ut nec testis tangi possit, magna diagnoseos difficultate. Sursum autem humor per anulum abdominalem vulgo exprimitur, cum congenitam supponit opportunitatem. Quodsi vero forte hydatides eum constituunt, idem accidit, sed peculiaris quaedam contractilitas animadvertitur, admotis incitamentis (*Schreger*: in *Abhandl. der phys. med. gesellsch. in Erlangen*, *I.* 351., *Larrey's. Denkwürd.* 593).

L. De tumore articulorum.

§. 608.

Manticulae articulorum bursaeque mucosae, inter tendines musculorum collocatae, abundantes

nonnunquam humore naturali tumores sistunt frigidos, fluctuantes; dolentes ubi artus moventur, atque cum verso articulo huc illucve motos; cedentes etiam digito atque tubera ossis tactui praebentes. Inde nonnunquam manticula adeo laxatur, ut vel pararthrema vel luxatio lenta nascatur (*Path. gen.* §. 213. 219). Corruptus humor exedere potest ossa et cariem producere. Ubi vero stagnat et spissescit in bursis mucosis genu ac ligamentis manticulae, diuturnum existit malum adeoque pertinax, ut omnes fere medicorum conatus eludat.

§. 609. *Continuatio.*

Gononcus dici potest cum Swediauero *synovialis*, vel *fungus articulorum* tumor frigidus, dolens, non fluctuans, sed inaequaliter durus articuli, genu constituentis, in ligamentis, tendinibus et bursis mucosis sedens. Cum scrofulosa adest dispositio aut rhachitica vel alia cachectica, quaevis laesio et contusio tumorem eum ciere potest. Incipit debilitatis sensu, doloreque obtuso et immobilitate genu, tumore etiam initio emphysematico, similemque, si tangitur, strepitum edente. Rheumatismo vulgo tribuitur ob dolores saepe subito ortos, qui vero cum nequaquam calore lectorum minuantur, cum glandulae femorales et inguinales tumescant, venae etiam, quae juxta sunt, turgeant, tumor quoque inflexura genu et tubercula varia in ambitu articuli accedant, metus est, longissimum hunc et fere incurabilem adesse morbum.

Dum malum ingravescit, durior indies et rigidior fit tumor, etiamsi cutis, quae supra est, nec nimis calida sit nec valde patibilis: motus magis magisque impeditur, stridore adsiduo in quovis motum conamine. Flexum fere semper est genu: nec in ingressu extendi potest, sed digitorum apices terrae innituntur. Gononcus magis latescit, sursum praesertim progreditur, ut et musculos cruris occupet atque patellam secum attrahat. Quodsi extremae ossium partes ipsae dislocantur, aut tubercula latus alterutrum occupant, obliquitas in genu observatur.

§. 610. *Continuatio.*

Potest autem aegritudo per plures annos porrigi, priusquam mutetur. Dolores interea exasperantur quandoque, vel noctu, vel dum frigus corpore excipitur, vel cum intendit membrum; sed desinunt rursus, sine mutata tumoris indole. Nonnunquam per circuitus ingravescit et minuitur tumor. Tandem vero tormenta ingenita existunt, venae varicum ad instar inflantur: incalescunt partes, rubescunt et in ulcera maligna abeunt. Eorum ulcerum sanies est utplurimum viscida, melleae aut lacteae compagis, faeculenta etiam, atque interdum tenuior et acrior, quo facto dolores et inflammatio exacerbantur. Tubercula etiam nascuntur fungosa et sinus, quibus finitimae partes exeduntur: osteosteatomata, hydatides, corpora sebacea et cartilaginum aemula: his tandem caries adjungitur.

Quodsi studiose partes adfectae examinantur, ligamenta invenimus spissa, tumida et spongiosa, cartilaginea et velut sebacea materie velata: nec aquosi aliquid aut serosi in saccis peculiaribus vel inter ligamenta fluctuat: coalita sunt ligamenta ope viscidae faeculentae materiei, atque in carneam fere massam degenerarunt. Bursarum mucosarum parietes spissi et cartilaginei sunt, periostium spissius et durius. Cartilagines articulorum videntur in muco soluti esse, ut fibras ossium possis translucentes conspicere. Ossis cruris ima pars spongiosa et inflammata apparet, ut saniosum laticem possis exprimere. Nonnunquam corticis quaedam species a cellulis penitioribus ossis separari potest. Simili modo depravata esse tibiae fibulaeque ossa meminimus. Maximam partem faeculentae, melleae substantiae supra genu, inter fasciam latam et musculos subjacentes deprehendimus.

C A P. IV.

DE TYMPANITE.

§. 611.

Timpaniten dicimus diuturnam abdominis per aëris species inflationem, quae nutritione alienata et vera cachexia sociatur. Cum meteorismum jam (*Path. gen.* §. 242) et flatus (*ib.* §. 248.) ceu symptomata tetigimus, ortus etiam hujus morbi luculentior fit, si, quae de ortu vitiorum, quibus

humores occupantur posuimus (*Path. gen.* §. 47. 95), memorantur. Namque, etiamsi Testae haud facile largiar, in vivi hominis sanguine circumfluo evolvi posse elementa ea, quae aëris species constituant, id tamen exploratum habeo, secretos humores et qui in tela cellulari stagnant, frequenter elementa ea evolvere, quibus fluida aërea existunt emphysematum exemplo, quae ad sphacelum accedere consuescunt (§. 182); physometrae etiam, seu inflati uteri propter putrescentem foetum (*Heuslin* : in *eph. nat. cur.* cert. *VII. obs.* 20. Haec est prima tympanitis caussa, quae in peritonitide puerperali, ob sphacelum paeritonei, obvia est (§. 298) quaeque ad intestinorum gangraenam, praesertim ortam a venenis, accedere solet.

§. 612. *Continuatio.*

Sed diuturnus ipse tympanites aliter explicandus est. Corripit plerumque homines, jamdiu ictero et hydrope ascite confectos, aut eos, qui e vermibus, hypochondriacis et hystericis adfectibus vel e repercussis exanthematibus spasticam sibi dispositionem conciliarunt. Alibi vero ac in ipsis intestinis colligi aëris species haud existimo, unde expositio flatuum, quam supra posui (*Path. gen.* §. 248), huc etiam trahenda est. Namque, quam in cavea abdominis observarunt aëris collectionem, sphacelo potius et laesioni intestinorum tribuenda esse videtur (*P. Camper*: in *samml. für praktische aerzte*, *XVI.* 558). Ceterum eadem fere symptomata tympaniten comitantur, quae in ascite signa-

vi. Colici enim dolores, cum hepatis tumore et tuberculis intestinorum juncti, angores continui, jactationes, spiratio difficillima, quae nonnisi erecta cervice fit (1); urinae suppressio; alvus dura vel plane obstructa; sitis extingui nescia; ardor intestinus; pulsus languidi, exiles irregulares; somnus turbulentus; languor summus, cum singulari vitae desiderio, tandem hectica febris et consumtio corporis communia sunt utriusque morbi symptomata.

CAP. V.

DE PHTHISI PULMONALI.

§. 613.

Gravissimus est variaeque indolis morbus, e pulmonum tabe et impedita spiratione ortus, cujus vulgaria initia jam supra (§. 246 247), perstrinximus, quique asthmati et hydrothoraci satis adfinis, studiose tamen distinguendus est. Propter variam ejus vero naturam circumspectissime opus est species varias distinguamus, quae etiamsi conjunctae in eodem homine esse possint, plerumque tamen seorsim adsunt.

---

(1) Τὰ ὀρθοπνοϊκὰ ποιέει ὑδρωπιώδεα σκληρά. Coac. 424. Hydropem durum hic significare tympaniten, cum Foësio et Campero intelligo.

A. PHTHISIS ULCEROSA.

§. 614.

Quae labem pulmonum ex ulceribus excipit aegritudo vel catarrhum sequitur diutinum, pulmonibus infestum (§. 56) vel vomicam intus ruptam (§. 246), vel haemoptysin (§. 377), vel asthma (§. 513) etiam et hydrothoracem (§. 591). Initia vero haec sunt: tussis arida, matutina aegrum cruciat, cum oppressione pectoris et dolore obtuso in variis partibus, maxime in dextro pulmone, qua dorsum spectat. Vesperi adsunt horrores fugaces, ex iis locis nati cum ardore alternantes; noctes fiunt inquietae, siti turbatae et angoribus obdormiscere cupientis: nonnunquam junguntur dolores fugaces rheumatici artuum: sed omnia ea parvi penduntur ab aegro, cum animus sit integer, incolumis etiam ciborum appetentia et digestio.

Maximi vero momenti sunt symptomata inflammatoria et plethoram mentientia (*Path. gen.* §. 73) quae *floridae consumtionis* nomen Anglis mereri videntur. Rubor genarum circumscriptus, saturrimus etiam caruncularum lacrimalium; orgasmus sanguinis cum pulsibus concitatis, ardore intestino, et turgore venarum, maxime jugularium, quae, propter impeditum sanguinis per pulmones transitum, dum valide aspiratur, haud collabi solent. Augentur haec orgasmi signa post esum acrium rerum, post sorbitiones spirituosas et motum cor-

poris; ingravescit cum iis pectoris oppressio, tussis arida aut qua mucus salsus educitur.

§. 615. *Continuatio.*

Haec quidem per hebdomadas plures et menses morari possunt, sine ullo virium muscularium detrimento citraque animi abjectionem. Namque cupiditas ciborum et digestio integrae erigunt animos aegrotorum spemque faciunt, saluti fore, quaecunque acciderint. Sudores antelucani profusi videntur aegro, qui ad frigus corpore exceptum forte symptomata refert, levamini plurimum adducere, quanquam vires infringant. Tussis matutina ejicit sputa cruenta, saniosa, faeculenta, male olentia et nauseam aegro conciliantia, quae pariter parvi aestimat aeger, etiamsi pectoris oppressio et pulsus celeritas et parvitas augescant. Vox gracilis fit, aut rauca et debilis: oculorum adspectus languidus; macies totum fere corpus extenuat: urina turbida est et cuticula versicolore obducta. Haec omnia per circuitus fere ingravescere et minui solent, ut plures interponantur hebdomades aut menses, ubi non meliuscule solum, sed optime se valere aeger contendit, superstite levi tantummodo pectoris oppressione et dolore circumscripto. Juniores vero adeo praecipitare solet morbus, ut paucissimis hebdomadibus morte terminetur.

§. 616. *Continuatio.*

Capitalis est morbus, alvo liquida junctus, qua cibi vel haud mutati educuntur, vel torminibus accedentibus sanies et cruor secedunt. Ardor intestinus tum desinit; sed insomniae, jactatio, angores et spirationis difficultas ingravescunt. Quamlibet lassitudo saepe in animi deliquia abeat, nec surgere e lecto prae debilitate aeger possit, est tamen in magna spe atque fiducia, vitam non solum se diutius protracturum, sed salutem etiam recuperaturum esse. Sputa vel penitus supprimuntur, vel magnopere foedantur, ut caruncula etiam referant aut saniem copiosam cruentam. Destructis pulmonibus mirum est, vasa adrosa sanguinem non profundere, quod vel velamentis vomicarum firmioribus (§. 245), vel obstructis per incrassatum ichorem vasis tribuendum est. Nonnunquam tamen sanguinis profusiones inanes accedere et in praeceps dare aegrum consuescunt.

His demum accedunt oedemata pedum manuumque, exanthemata varia, maxime aphthae; macies ea, ut ossibus inhaerere cutis videatur; capillorum defluxus; curvatio unguium; animi deliquia crebriora; angores ingentes, utique dum sputa supprimuntur. Postremo a se exire, desipere solent aut nervorum distensionibus corripi. Plerumque placidissima mors malo finem imponit, ut soporati ad se redeant, lentius lentiusque spirent, donec, conscii sibi, animam, sine gravioribus tormentis, efflent. Nonnunquam singularem animi

praesentiam ac magnitudinem observamus, qua divini ingenii judiciique igniculi inserti menti esse videntur, ut coelestium rerum defunctorumque amicorum imagines obversentur, ut hilaris animus, carceribus corporis solutus, in sedem coelestem ac domum velocius pervolare videatur. Nec desunt interdum futurorum praesagia, recordationes rerum, quae oblivioni traditae erant: nec somnia jucundissima, quibus animus magnopere recreatur. Unde autem haec organici sensus hallucinatio contingat, arduum est dictu ac difficillimum. Etenim, qui e sensu pulmonum obtusiori et nervorum penuria exposuerunt, haud videntur observasse aliorum viscerum, minore forte nervorum copia praeditorum, tabem haudquaquam eam adferre animi hilaritatem. Forte gracilitas partium extenuatarum, ac liber sanguinis circuitus liberum etiam virium exercitium sensui organico repraesentat, unde semper jucunditas gignitur (*Phys.* §. 64. *Path. gen.* §. 192). Paullo aptior videtur expositio, quae nititur observatione, quod sensus valetudinis adversae praesertim in ganglioso systemate, ejusque centro abdominali, sedem habeat, unde pectoris morbi plerumque alieni ab eo sensu sunt. Dein quoque conductio nervorum impedita consideranda est, cui et tribuenda esse videtur dolorum cessatio in sphacelo.

§. 617. *Continuatio.*

Alius est morbi decursus, ubi exanthematum, maxime scabiei, repulsionem excipit (§. 362).

Alius etiam, dum thoracis pravitas et labes pulmonum praecesserunt: tum enim multo citius praecipitare solet. Alius denique, cum ex obdurescentibus glandulis bronchialibus orditur.

Phthisis trachealis nomine haec aegritudo venit. Homines ceteroquin sani, sedili tamen indulgentes, diutius jam dolore obtuso circumscripto laryngis et fistulae spiritalis conflictati, graviorem indies eum dolorem sentiunt, auctum, dum flectitur collum, dum vociferatur aeger aut offas grandiores vorat. Deglutitio enim semper impeditur propter glandulas turgidas ab antica parte pharyngem comprimentes (*cf* §. 286). Raucitas vocis ingens est, tussisque matutinis horis aegrum exercet, quae mucum fuscum, solidaque nonnunquam corpuscula, striis cruentis mixta, ejicit. Spiritus difficulter et cum sibilo quodam ac stridore trahuntur, ut ex hoc solo sonitu possis anginam membranaceam divinare. Sed diuturnus est morbus, initio febris expers ac tempora accessionibus interponens, ubi liber fere ab omni molestia aeger videtur, ni dolorem laryngis fistulaeque spiritalis obtusum consideraveris. Post longum dein temporis spatium, febris hectica cum ulceratione et gulae et glandularum ipsarum turgentium accedit; tussi vehementissima ejicitur sanies cruenta, macies corpus conficit, postremo suffocatione vitae terminum imponente.

Singulare est et in hac et in aliis phthiseos speciebus, quod vere autumnoque ingravescere ac tandem mortem adducere soleant.

§. 618. *Continuatio.*

Expositio morbi nititur tum iis, quae de caussis febris (§. 142) hecticae tum iis, quae ad illustrandam pulmonum ulcerationem (§. 244 sq.), dicta fuerunt. Si quis autem, Beddoesii exemplo, oxygenis abundantiam in sanguine voluerit velut caussam hujus aegritudinis primariam statuere, is symptomatum explicationi soli studens negligit ortum morbi ex iis pulmonum vitiis, quae oxygenis attractionem plane impediunt. Orgasmus enim sanguinis, volumen auctum et floridus color aliam explicationem admittunt (*Path. gen.* §. 76). Quodsi vero azotici pulmonibus absorbti partes haud plane negligimus (*Phys.* §. 216), ejus penuria aut defectus videtur morbosam oxygenis abundantiam efficere, quae et in diabete manifesta est.

B. Phthisis pituitosa.

§. 619.

Pulmonum labes interdum minus ulcera complectitur, quam laxitatem eam, qua muci tenacis copia, jugiter adlicita, exscreatur. Febris pituitosa praecedere solet (§. 83.) vel rheumatica diuturna, aut totius corporis ea debilitas, ut vel fluorem album in feminis, vel alvum liquidam mucosam in utroque sexu diutius perstitisse observemus. Tum sine febre ac spiritus difficultate peculiari, ponderis sensus in pectore et oppressionis sentitur, cum doloribus membrorum rheumaticis. Tussis habet

aegrum humecta, qua ejicit pituitam crudam, sero mixtam, interdum adeo vitiatam, ut cum sanie ulcerosa commutari possit. Lingua perpetuo sordida est et muco obducta: sapor in ore mucidus: praecordia oppleta sunt et dolor obtusus in stomacho sentitur. Pulsus vesperi utplurimum concitati, duri et spastici esse consuescunt, doloribus interea auctis et pectoris partem modo hanc modo illam occupantibus.

Sputa interea copiosiora fiunt, lassitudine ingravescente: spirationibus tamen liberis, ut et altius ducere spiritus possint. Pulsus durities et spastica indoles cum urina limpida congruit, signatque spasmis partem aliam infestantibus versus aliam partem magis laxatam humores congeri. Tandem, dum id quod corpus nutriturum est, cum muco ejicitur, virium jactura increscit, macie corpus conficitur, oedematibus membra occupantur ac algore: febris hectica postremo praecipitare aegrum solet.

Haec quidem species, senibus et cachecticis hominibus familiaris, hydrothoracem aemulatur (§. 589), signis quae supra posita sunt, tamen diversum.

C. Phthisis tuberculosa.

§. 620.

Ita vocatur tabes pulmonum ex obdurescentibus glandulis ejus visceris orta (§. 247). Ex hereditario systematis lymphatici aut congenito vitio

originem ducit, infantibus et adultis infesta, qui scrofuloso mo bo et arthritide laborarunt. Catarrhi vulgaris initio speciem prae se fert (§. 56), tussi continua, sed arida et nullo modo levante, decubitu etiam difficili in alterutro latere. Ad haec tumores glandularum axillarium seu inguinalium, tarsi etiam et lippitudines. Angores pectoris, praecipue nocturni, dolores pectoris pungentes, peculiaribus locis circumscripti, cum stupore et quasi resolutione brachii alterutrius praecipue aegrum exercent. Tussi vel omnino nihil ejicitur, etiamsi vehementissima fuerit vel spissius aliquid cum admixtis granulis, vel cruor etiam et post eum, contentione violenta, arenulae seu lapilli, pisorum aut lenticularum mole, qui calce phosphorea constituti ejusdem originis cum calculo urinario et tophis arthriticis esse videntur. Eorum saepe ingens copia ejecta dum remanet, vel angores immanes nascuntur, vel per alia loca, in articulis aut ad dentium radices simili modo secedunt. Quae ubi per longum tempus vicissitudinibus abire aegrum exercuerunt, tandem in ulcera abire haec tubercula solent accedentibus febre hectica et sputis saniosis, foetidis, faeculentis: aut citra hunc exitum asthmate et nervorum adfectibus aegri consumuntur.

§. 621. *Continuatio.*

Post mortem haec tubercula vel pulmones ipsos vel glandulas lymphaticas obsidentia in conspectum veniunt: simul vero et mesenterii et pancreatis et

aliorum locorum glandulae idem vitium contraxisse videntur. Scatent autem ea tubercula vel massa caseosa, quae pressa in granula minima secedit, vel cretacea substantia, e lympha inspissata orta et cartilagineo aut osseo velamento obducta. Interdum pulmones ipsi massa lymphatica adeo tenaci et velati et farcti sunt, ut coriaceam naturam induisse videantur.

Quae quidem in cadaveribus sectis visa ortum morbi ex atonia systematis lymphatici declarant. Namque lympha stagnans, attracto oxygene ex atmosphaera, facillime in massam eam solidam et calculorum ad instar duram abit (*Path. gen.* §. 118). Hinc scrofulosus morbus, arthritis, stases abdominales praecipue occasionem praebent. Ex impedito hepatis munere oritur, dum penuria carbonici et hydrogenis in sanguine venoso existit (§. 618).

CAP. VI.

DE SCROFULIS.

§. 622.

Scrofulosum morbum dicimus cachexiam, in tumoribus glandularum et atonia vasorum lymphaticorum versantem. Itaque *tumores* eos vocamus *scrofulosos*, qui haud seorsim et singuli subsistunt, sed per magnam systematis lymphatici partem diffusi sunt. Mole varii sunt, modo pisa modo nuces juglandes aequant. Molliusculi initio, duriores dein

fiunt, sed ad suppurationem haud facile spectant. Per circuitus augescunt et decrescunt quod lunae efficaciae tribuitur Abeunt interdum in ulcera, quae supra (§ 180) descripsi.

§. 623. *Continuatio.*

Diathesis scrofulosa, hereditate saepe transiens, in infantibus recens natis cognoscitur ophthalmia, quam supra posui (§. 196, seq.), quaeque reverti in aetate declinata solet; dein prurigine, stropho, intertrigine (*Path. gen.* §. 267) aliisque exanthematibus, quae ad certum quoddam genus reduci fere nequeunt Cognoscitur habitus laxitate, spongiosa musculorum indole, labii superioris turgore qui glandularum mesaraicarum plerumque tumores signat; pupillae tarda mobilitate; halitu oris mucido, alliaceo; abdominis inflatione et urina turbida ac mucosa (*Path. gen.* §. 114). Variae accedunt molestiae; cupiditas ciborum alienata, bulimus nonnunquam et acor stomachi, in pyrosin abiens: catarrhus saepe recurrens, vulgaribus remediis haud debellandus; saburra mucosa et flatus copiosi: vermes etiam et tormina, tum his tum flatibus tribuenda: dentitio difficilis, dentium etiam facillima corruptio. Ossium compages haud facile solidescit, spongiosa manet et epiphyses aegerrime coalescunt. Pruritus singularis partium genitalium frictionem ciet, unde stupra manu commissa huic saepius caussae adjudicanda sunt (*Path. gen.* §. 177). Quin non raro vidimus blennorhoeam, dum pubescerent pueri puellaeque, diutius vigere,

cum a laxitate sola glandularum lacunarumque nascatur.

§. 624. *Continuatio.*

Haec aegritudo, cum partem quamdam seorsim adficit, plurimas ciere formas potest, quas cum multis jam locis enumeravimus, supersedere earum illustrationi possumus. Sic hydrocephalus, apoplexia et epilepsia e tumoribus encephalum comprimentibus, pulmonum lenta inflammatio et ulceratio, hydrothorax et asthma; maxime vero tabes ex obdurescente mesenterio; arthritis e stasibus abdominalibus, laxitatem scrofulosam excipientibus; rhachitis etiam, gononcus; herpetes et exanthemata alia frequenter recurrentia comitantur morbum, ubi perficitur.

§. 625. *Continuatio.*

Scrofularum caussae omnes versantur in iis rebus, quae motum lymphae tardare, debilitare vasa lymphatica et glandulas possunt. Congenita est ea glandularum atonia iis infantibus, quorum parentes eadem aut alia cachexia laborarunt: facile vero acquiritur, dum aëre degunt cubiculorum pravo, dum sordibus situque squalent, dum culcitis plumeis continuo tenentur; dum validis rebus, carnibus, pistrinarum operibus, cerevisia nutriuntur; dum sorbitiones spirituosae adduntur, aut, ut minus gerulas mulieres turbent, narcotica etiam. Quae cum perversa contingit educatio, glandulis totique systemati lymphatico conciliatur

laxitas ea ac inertia, quae huic morbo gignendo par est.

Superflua est quaevis acrimonia, vel e residuo acido phosphorico vel aliunde petita, torpore eo glandularum ad expositionem sufficiente.

CAP. VII.

DE RHACHITIDE.

§. 626.

Satis finitima est scrofulis haec aegritudo, cum iis saepius originem debeat, addita duntaxat ossium prava nutritione. Dicimus autem rhachitidem cachexiam infantilem, perfectam macie et ossium mollitie pravaque configuratione. Veteribus omnino incognita aegritudo a Barthol. Reusnero 1582 fertur primum descripta fuisse (*Diss. de tabe infantum* Basil). Melius distinguitur ab Arnoldo de Boot, anglici exercitus medico in Hibernia, 1648, *tabis pictacae* nomine (*Obs. de adfect. omissis ad calc.* Petr. Borelli *observ. med.*) et Franc. Glissonio (*De rhachitide.* Hag. Com. 1682. 12). Quanquam nomen rhachitidis minus recte confictum spinam dorsi primitus adfecta signat, quae saepe integra est. Infantibus infestus morbus vel congenitus est, vel, dum dentiunt, raro post tertium aut quartum annum, semet prodit. Juvenem septemdecim Portalius, alium, duodeviginti annos natum Thomassinius (*Journ. de médec.* tom. 43. p. 222) morbo correptum esse ferunt.

§. 627. *Continuatio.*

Infantes huic morbo obnoxii austeros mores ostendunt, lassitudinem sentiunt et animi morositatem, ut ludis suetis haud delectentur, nec recte ac firmiter pedibus nitantur. Quodsi, ut fieri solet, caput gravius semper inclinatur, facie inflata et pallescente, obtutu oculorum torvo et pupilla dilatata, hydrocephalum divinaveris forte (§. 583), qui et sociari solet. Interea aliter dein morbus perficitur, organis digestioni et adsimilationi inservientibus maxime adfectus.

Id enim vulgare est in hoc morbo, cupiditatem ciborum nimis augeri, maxime appeti valida, carnes, caseum, pistrinarum opera; semper autem acore stomachi conflictari ructibusque acidis: acidum etiam sudoris urinaeque odorem esse. Quae insunt urinae turbidae et lacteae fere acida, vegetabilia sunt, benzoicum et oxalicum (*Phys.* § 292. *Path. gen.* §. 114). Abdomen continuo tensum est et inflatum, alvus dura. Macie sensim membra consumuntur, e cute flaccida exprimuntur fila, quae vermiculorum forma *comedones* appellantur. Dentes, qui provenerunt, mox vacillant, nigrescunt et carie corripiuntur.

§. 628. *Continuatio.*

Haec quidem morbi initia ita progrediuntur ut capitis ossibus magis prominentibus, ambituque aucto, suturae nonnunquam discedant; immunibus tamen animi facultatibus, imo auctis ingenio et

intellectu, austerioribus tamen moribus. Tum lente tumescunt glandulae, ossibus etiam aliis foedatis: in quibus prima fere sunt clavicularum, quae mollita curvantur, prominulis humeris, collo contracto, unde caput pectori ipsi nonnunquam insidere videtur. Epiphyses omnium ossium intumescunt, quod dum in carpo et metacarpo, in tarso et metatarso contingit, duplices fere articuli apparent. Nec ingressum nec manuum motum libere fieri ex his patet.

Sternum mollitum atque in partes, e quibus conferruminatur, secedens, extrorsum curvatur: cartilago xiphoidea eodem vertitur, quod stomachus plenus et hepar tumidum eam protrudunt. Spina dorsi ita flectitur, ut cartilagines interpositae solvantur, corpora vertebrarum collabantur, nonnunquam quoque, sine carie, consumantur. Non rari sunt tumores in fascia longa columnae vertebrarum, quibus, accedente musculorum haud aequabili tractione, spina vario modo torquetur (*Path. gen.* §. 215). Accedit et caries interdum, ex ulcere juxta lumborum vertebras orto, unde extremarum partium resolutio sequitur.

§. 629. *Continuatio.*

Quae vitia pariter praecipitare ac in longum producere morbum possunt. Illud contingit, dum caries vertebras magis magisque exedit, accedente hectica febre; aut dum nutritio omnis deletur, tumoribus glandularum magis obdurescentibus, ut nullum tandem supersit glandularum officium; ner-

vi etiam, qui juxta sunt, comprimuntur. Hinc stupor membrorum et resolutio, etiam citra cariem, habitus pravitas et flaccida indoles mortem brevi sequuturam nunciant: quae animi deliquiis, nervorum distensionibus et oculorum caligine praesagitur.

In longum protrahitur aegritudo, dum intra ossa persistit. Haec enim foedata, etiamsi omnino functiones quadantenus turbent, nequaquam tamen vitae perniciem minantur. Per omnem aetatem superest ea pravitas, ut longiora appareant membrorum ossa, dum cum trunco comparantur; ut, vacillante et semoto propter spinam curvatam gravitatis centro, incedendo brachia postrorsum librentur; ut angustato thorace spiritus difficulter et cum sibilo quodam ducantur; ut vox retineat gracilitatem quamdam, ut pectoris inflammationibus et tabi pulmonum obnoxii sint. Cordis vitia varia ex hac aegritudine contrahi, Testa uberius docuit. Animi vires illaesae sunt, quin saepius multo magis auctae. Digestio et adsimilatio saepe integrae sunt: nonnunquam id solummodo vitium superest, ut cibos nimia aviditate appetant, ut cupedias et mellita bellaria aegerrime ferant, alvo dura et flatibus saepissime adficiantur. Mulieribus etiam noxia est obliquitas pelvis et angustia ea, quae graviditatem molestam facit et partum impedit.

Neque tamen rarum est, aegritudinem hanc, ubi nondum inveteravit, vel arte vel natura sanari: maxime dum pubescit corpus. Etenim, cum

spina dorsi nondum magnopere curvata est, dentes firmi sanique sunt, neque dolores membra adficiunt, neque habitus valde pravus est, spem concipere licet, fore, ut mutato plane victu et vitae genere, provenientibus etiam exanthematibus sensim morbus tollatur.

§. 630. *Continuatio.*

Infantum hoc morbo interemtorum cadavera diutius servant caloris et flexilitatis quamdam speciem. Ubi penitius rimatus fueris, glandulae apparent ubique tumidae et massa saepe, qua ossa firmanda erant, farctae: ossa medullam habent fluidam et serosam, spongiosa saepius sunt, ut possis laticem exprimere. Pulmones sunt undique cum pleura coaliti, tumoribus durioribus pleni: encephalus fluidior justo, ventriculi aqua scatentes, corpuscula, quae a Pacchionio vocantur, turgida. Vesica fellea, loco bilis, laticem albuminosum continet: thymus dura et tumida reperitur.

§. 631. *Continuatio.*

Quibus positis intelligitur, principalem aegritudinis caussam versari in osteogeneseos vitio eo, ut calx phosphorica, quae firmatura est ossium compagem, praeter naturam absorbeatur, superstite gelatina et albumine (*Path. gen.* §. 110). Hinc, qui acutissime de hoc vitio scripsit, Joannes Malfatti regressum adesse ad embryonis statum et praedominium vegetationis contendit; a qua qui-

dem opinione alieni sumus, quod cerebri vires magis perficiuntur in hoc morbo: quodque minus defectus materiei solidioris, qua ossa firmantur, quam absorbtio praeternaturalis aegritudinem constituit. Quod vero oppositum existimat morbum scrofulosum rhachitico, rationi observationique juxta contrarium est.

Caussae autem remotae fere omnes sunt, quas in scrofuloso morbo posuimus.

CAP. VIII.

DE SYPHILIDE.

A. De ortu et propagatione.

§. 632.

Hoc nomine insignitur cachexia contagiosa, adfectibus partium genitalium inchoans et in pravitates ac destruetiones ossium partiumque corpus abeuntium abiens.

Mira est malorum sibi valde adfinium caterva quae intra tropicos regnant, framboesiae aut thymioseos exemplo, quam utique differre a sycosi seu *Yaws* morbo arbitror. Hujus varietatem norunt mediterraneae Africae incolae, cum mercatorum cohors e Darfur in regnum Fezzan eam apportant: fertur autem cavere a vera syphilide: haec etiam in iis provinciis semel duntaxat eumdem hominem corripit (*Hornemanns.* Reise, 122). In India dicitur syphilis male curata in leprae quamdam spe-

ciem transire, paronychiis et ulceribus rodentibus adjunctis, quod mali genus *ignis persici* nomine venit. Idem adserit Larreyus de syphilide aegyptiaca, quae, dum in lepram abiit, sine mercurio, aliis cedit artis praesidiis. Interesse statuunt plerique inter syphilidem et adfinia mala, quod leprae quaedam species et sycosis natura sanescant, syphilis vero nunquam. Sed refragatur observatio Brownii, Leonis Afri et Hornemanni, qui in torrida zona syphilidem omnino natura sanari perhibent: refragatur Abernethii animadversio, in Anglia ipsa symptomata manifesta syphilitica, absque hydrargyri usu, consanescere.

Varias esse formas hujus morbi, ad finitimas morborum species propius accedentes, manifesto quoque elucet e *thymiosi scotica*, quam *Sibbens* aut *Sivens* appellant. E contagio syphilitico orta ulcera producit cum carunculis fungosis et pustulas per totum corpus, ossibus tamen immunibus. Ad sinum Pauli canadensem syphilidis grassatur forma, herpetibus et ulceribus, ossium etiam adfectibus insignis, quae haud semper coïtu aut contactu proxime propagatur. Jansenius vidit syphilidem plebi italicae ita infestam, ut, immunibus partibus verendis, tota cutis herpetibus et ulceribus foedaretur. Sycoseos forma apparuit syphilis, cum primum per Europam grassaretur, unde et nomen variolae magnae (*la grande vérole*) natum est. Eadem forma et nostris temporibus observarunt Pattuna (*Dell' erpete*, *p.* 63) et Thierrius (*Beobacht. in Spanien. II.* 226).

Itaque intelligitur, syphilidem minus esse ge-

nus morbi, per omnem climatis et hominum differentiam constanter idem, quam varietatem morbi universalis foedi, qui cutem ossaque, partes etiam genitales et oris ambitum miro modo depravat.

§. 633. *Continuatio.*

Ingens est opinionum commentorumque discidium de origine ejus luis, quam a fine inde saeculi decimiquinti per orbem terrarum observavimus. Hanc enim luem, coïtus impuri progeniem, veteribus fuisse incognitam, plerique consentiunt. Si quae autem symptomata in superiorum scriptorum monumentis traduntur, localia fere sunt vitia, haud immerito ad thymiosin aut sycosin aut lepram denique referenda.

Ex America per primos invectores haudquaquam apportatam esse, alibi uberius probavi (*Hist. med. II.* 646 sq.). Creditum est, e lepra degenerasse aut e sycosi etiam et thymiosi, quae medio aevo impendio frequentiores fuerunt, quam antea. Quinetiam credibile est, leprae eas formas, populari morbo accedente, in hanc varietatem abiisse, cum simili modo et nostris temporibus obedire ingenio morborum popularium videatur (*Hecker*: in *Hufelands* journ. *XXVI.* 4 *p.* 16).

Ex animalibus simili morbo laborantibus forte ortam esse suspicati sunt nonnulli. Id nescio an confirmetur mira ea historia, quam memoriae tradidit Ruggerius: feminae nimirum, quae irrumari se a cane siverant, blennorrhoeam, ulcera venerea

et bubones inde obtinuerint (*Hufelands* Journ. 1810. *nov.*). Dubius tamen est transitus luis in animalia, etiamsi Zelleri a Zellenberg experimenta in cuniculis instituta id docere videantur (*Ueber die ersten erscheinungen venerischer local-krankheit-formen.* Wien. 1810).

Schaufusii opinio (*Neueste entdeckungen über das vaterland und die verbreitung der pocken und der lustseuche.* Leipz. 1805) ex effrenata libidine tribus infimae indicae, quae *Parias* dicitur et salaci Priapi cultu ortam luem per zingaros saeculo XV in totam Europam divulgatam fuisse, satis probabilis est. In India saltem priorem esse luis originem quam in Europa, Swedianero et Beckmanno placuit: testimonio maxime Ludovici de Barthema, peregrinatoris, id confirmante, qui 1489 jam Calicuti regnasse asseverat. At, cum ambigua ea omnia sint, valeat tota haec quaestio.

§. 634. *Continuatio.*

Contagii ingenium proximum aliis est. Negativam aquae formam in eo praevalere, probatur acidorum efficacia, quae innocuum id reddere possunt (*Path. gen.* §. 156) Peculiarem tamen habet indolem, quod, alienum a volatili aliorum natura, fixa est ejus sedes in organis mucum et serum secernentibus, unde glandulas praeprimis eo adfici jam Franc. Pacius et M. A. Severinus statuerunt. Nunquam saltem musculos, cor, encephalum aut nervos destruit, sed corripit potissimum membranas mucosas, cutim, ossa et externas partes. Fixa ejus

indoles firmatur propagatione per contactum eorum membrorum, quae nudata aut exesa mucum infectum et saniem secernunt; necesse autem est, locus inficiendus ipse cuticula tenerrima tectus aut ejus plane expers sit. Nec sanguini, nec sudori, nec aliis, praeter mucum, humoribus contagium communicatur. Adhaeret tamen fomitibus, vestimentis, lodicibus et stragulis, quibus infectio propagatur, dum loca contingunt cuticula tenerrima obducta aut denudata. Coïtus, lactatio, suavia libidinosa frequentissime contagium propagant.

Possitne per generationem et nutritionem foetus transire, ambigitur. Haud ignoro, plura esse exempla syphiliticorum infantum, quorum matres eadem lue laborarint: ipse saepius vidi infantes herpetibus et ulceribus venereis consumtos, quorum pater syphilide correptus esset, mater nullum haberet saltem ulcus genitalium. Etiamsi Vassalii observationibus (*Sur la transmission du virus vénérien de la mère à l'enfant.* Paris, 1807) fides detrahenda, quae ipse expertus sum, firmant eam opinionem, haud necessariam esse infectionem infantis, dum per vaginam, ulceribus forte obsitam, in partu transit, sed posse etiam, licet minime proxime, ac per adsimilationem, syphilidem a matre ad infantem transire (*Cf. Phys.* §. 529. 539. *Path. gen.* §. 42). Cum contagium, quoad nobis notum est, nullum cum sanguine communicatur, actio in distans et multiplicatio, quae contagiorum proprietates diximus (*Path. gen.* §. 157), etiam in hoc cadit.

Namque si virus e partibus genitalibus protinus vias aëriferas petit, e communione sola membranarum mucosarum, nec e proximo transitu aut adsimilatione id exponendum est: simili etiam modo a matre ad foetum transire posse id virus, statuimus.

§. 635. *Continuatio.*

Proximum est, ut inquiramus in modum, quo virus venereum corpus adficit. Specificam ciere in partibus vivis incitationem, quam specifica sequatur inflammatio, ulceratio etiam specifica, Jo Hunteri est opinio, quae vero nil nisi obscuram rem obscuris verbis exprimit. Equidem satius duco, observationibus credere, quod contagium istud vasa lymphatica protinus adficiat, efficaciam eorum adeo augeat, ut sentiendi facultas aut receptivitas, ipsis non deneganda, suscitetur, ut igitur nervorum modo agant, pessumdata primaria sorbendi facultate. Itaque correptae sentiendi facultati resistere conatur irritabilitas vasorum, unde inflammatio oritur, qua vasa lymphatica et membranae mucosae adfectae muci copiam, contagio infecti, effundunt. Hinc igitur reliquum corpus incolume est, si localis haec adfectio praevalet: simile aliquid contingit, ubi glandulae adficiuntur: reagente enim vasorum sanguiferorum irritabilitate, sentiendi facultas aucta communicari cum aliis vasis lymphaticis nequit. Quodsi vero sensim reactio minuitur, veneni actio in remotas partes augescit, praesertim in eas, quae sensu acutiori gaudent

cum primitus adfectis consentiunt. Solet autem et hanc propagationem febris comitari, catarrhalem aemulans, cum viarum aëriferarum lymphatica vasa praeprimis adficiantur. Deinde veneni actio alterna exseritur in periostium et cutim, ita ut dolores osteocopi; e sensu membranae illius magnopere aucto in cariem abeant, aut ulcera et exanthemata foeda cutim deturpent.

Possitne virus venereum latere in aliqua corporis parte, absque ullo effectu praeternaturali, ambigitur. Res quidem ipsa haud refragatur, namque separatae omnino sunt partes quaedam ope gangliorum, ut sensum cum aliis haud communicent: vasorum insuper sanguiferorum actio reniti adeo potest, ut per aliquod tempus efficaciam virus amittat. Sed per annos integros penitus latere posse, ut sanissimi homines tamen favillam sub cineribus occultam gerant, mulieresque sanae venereum contagium cum foetibus communicent, fabulosum puto.

B. De prodromis topicis.

a. *Blennorrhoea.*

§. 636.

Urethrae virilis et vaginae muliebris membrana mucosa cum lacunis glandulisque variis mucum naturaliter secernens, ut contagio hoc irritatur, post auctam vasorum lymphaticorum sentiendi facultatem, copiose profundit mucum, contagii

multiplicati vehiculum. Is vero prodromus, ex anno 1520 inde ad luem accedens, multo leniorem eam reddidit: frequentior in Aethiopibus, rarior in Scotia, Canada et aliis borealibus terris.

Cum fossa navicularis principalis sit sedes blennorrhoeae, virus vel primitus in coïtu glandem adficit, ex ea dein in urethrae introitum prorepens vel proxime ita in fossam pervenit navicularem, ut retracta, dum sperma ejaculatur, urethra muci aut alius humoris contagium vehentis guttulam sorbeat.

Nullo modo vero iis adsentamur, qui virus, quod blennorhoeam ciet, diversum arbitrantur a syphilitico, cum satis compertum habeamus, ulcera venerea oriri e blennorrhoea, hanc autem ex illis.

§. 637. *Continuatio.*

Decursus autem morbi hic est: nychthemero uno aut altero aut pluribus etiam diebus post coïtum pruritus oritur, tensiones et pungentes dolores in urethra virili et vagina muliebri, quae ex orificio inchoantes intus procedunt. In viris accedunt coëundi desiderium, erectio penis, nonnunquam et pollutio: intumescente praeputio et glande, rubescente orificio urethrae et dolente. In feminis quoque labia vulvae, carunculae myrtiformes et ipsa urethra tumescunt adeoque dolent, ut coïtus dolores cieat. Maxime vero mictus dolores facit et ardores vehementes, ut stranguria et ischuria accedant.

Quibus praegressis promanat latex initio serosus, post magis spissescens, flavescens aut viridescens: in mulieribus copiosior fluit atque partes verendas crurumque internam faciem adrodit. Ingressus et sessio molestias creant, praesertim cupiditatem incjendi et spasmum vesicae.

§. 638. *Continuatio.*

Interest inter virilem morbum et muliebrem, quod ille vehementior esse et magis inflammatorius solet: praesertim dum frequentes accedunt erectiones, in quibus curvatur etiam et obrigescit coles: Dolores perinaei, lumborum, funiculi spermatici, testiculorum et crurum sociantur: qui cum ingravescunt, supprimitur fere effluxus, minuitur saltem. Praesertim vero huc faciunt corporis exercitationes nimiae, equitatio, saltatio, frigus corpore exceptum, abusus acrium aut exaestuantium rerum, purgantium etiam et ipse coïtus. Quibus omnibus adeo augetur inflammatio, ut suppresso fluxu noxiae plurimae sequelae nascantur. Ischuria frequentissima est, de qua cum jam supra (§. 444) sermo fuerit, alias enumerare licet. Quarum prima est hernia humoralis, seu dolentissimus testium, funiculi spermatici et epididymidis alterutrius tumor: doloribus ad urethram, ad inguen, crura et lumbos progredientibus. Is tumor si diutius moratur, potest in sarcocelen terminari. De ophthalmia hujus adfectus sequela, jam supra disputavimus (§. 204).

§. 639. *Continuatio.*

Diaturnae excipiunt blennorrhoeam praegressam valetudines, quae, interposito satis lungo temporis spatio, tandem sequuntur. Eo pertinent, praeter bubones, urinae ea interceptio, quae ex incrassatis post inflammationem urethrae parietibus nascitur. Cognoscitur autem haec strictura sive *stenochoria urethrae* sequentibus notis: sensim sensimque malignius fluit lotium, necessario semper vehementi nisu: flumen seu radius urinae gracilis est aut divisus, cum pluribus locis obtumuit urethra. Cereolus in urethram compulsus obicem invenit, quem transire nequit. Cum ulceratio simul adest, guttula saniei simul effluit. Augescit autem malum tempestate frigida, aut post vitia victus commissa. Cum penitus impeditur lotii fluxus, urethra miram in molem panditur, apostema ortum in fistulam abit.

Nec immunis est vesica urinaria ab iis vitiis, quae blennorrhoeam excipiunt. Obdurescit aut carnibus obsidetur, quae, quantas noxas adferant, supra posui (§. 306).

§. 640. *Continuatio.*

Prostatae tumor vel comitatur blennorrhoeam, vel diutius post eam nascitur. Quod ubi contingit vitium, lentissime increscere solet. Initio ardor et dolores pungentes in perinaeo sentiuntur, cum alvum mittit aut sperma ejaculatur; commutatur interdum cum haemorrhoïdum sequelis aut cum adfectibus calculosis. Quodsi vero magis magisque

intumescit ac durescit, comprimitur vesicae cervix, comprimuntur etiam vesiculae seminales et ipse anus. Hinc cupiditas mejendi et alvum deponendi frequentior, molesta tamen, cum ardeat et gracilescat rivulus lotii: cum alvum deponit, obicem sentit in ano; videtur etiam semper stercoris aliquid remansisse. Digito in anum misso tangit in anteriori pariete tumor dolens: idem sentitur cathetere per urethram adacto. Ingravescente malo, e compressa vesicae cervice ischuria: e compressis vasis haemorrhoïdalibus tubercula et nodi ad anum existunt. Tandem potest in ulcus abire sinuosum, quod urinam per perinaeum transmittit.

Ex haec pravitate prostatae blennorrhoea sequitur secundaria, dum liquor prostaticus effluit. Probe igitur in diuturno eo et non dolente fluxu inquirenda est prostatae conditio. Namque vulgatius est vitium laxitas et torpor membranae mucosae, fossae navicularis et glandularum, quod facile dignoscitur, dum aeger ipse sentit torpere continuo penem et flaccescere: minui etiam fluxum, ubi irritantur eae partes.

b. *Ulcera*.

§. 641.

Ulcuscula primaria coïtum impurum aeque fere frequenter, sed paullo citius sequuntur, quam blennorrhoea. In viris obsident praeputium, frenulum glandemque, in mulieribus partes pudendas omnes. Ubi in alias partes egerit virus, et hae

possunt corripi iisdem ulcusculis, unde frequens est eorum ortus ad labia infantum lactantium, aut ad mammas nutricum, si hae ab infantibus habent infectionem.

Ita autem se habent: dolorem sentit initio ardentem, quam macula sequitur rubicunda et vesicula exigua, increscens post aliquot horas et latice seroso impleta, ardores summos ciens: atque ubi rumpitur, cuticulam exedens. Forte vas lymphaticum sedem constituit: rupto eo, excoriatio haec sequitur. Pleruinque vero loco vesiculae tuberculum exile nascitur durum et rubicundum. Id ruptum post aliquot dies ulcusculum sistit dolentissimum, oris duris callosisque, fundo lardaceo, saniem effundens, quae quaqua fluit, similia producit ulcuscula, quibus partes adfectae destruuntur, accedente interdum inflammatione ad gangraenam spectante.

§. 642. *Continuatio.*

Maxime vero is exitus metuendus est, si praeputium ante os contractum intumescit, inflammaturque, ut nudari glans nequeat. *Phimosis* dicitur id vitium, quo saepe ulcuscula sub praeputio latentia coguntur in gangraenam abire. Vidimus etiam coalescere praeputium cum glande. Contraria ejus vitii pravitas est, tumor is glandis inflammatae, ut praeputium pone eam contractum protrahi ante eam nequeat: *paraphimosis* dicitur, quo circuitus sanguinis plane impeditus gangraenam minatur. Nonnunquam utrumque vitium solam blennorrhoeam

comitatur, si glandulae Morgagnianae primitus adfectae sunt.

§. 643. *Continuatio.*

Ulcera excipiunt *carunculae* et verrucae variae formae, quae vel supra cutim feruntur, vel intra eam haerent, vel etiam rimas occupant, ulceribus formatas. Quae supra cutim feruntur, *condylomata* dicuntur, *cristae* aut *mora*, *fici* vel *mariscae*. Obsident omnia ea loca, quae occupaverat ulcus, praesertim ani ambitum: humectam habent et salebrosam superficiem, quae saniei guttulas stillare solet, aut sanguinis profusionem excitant. Quae intra cutim haerent, durae sunt *verrucae*, sed pisorum fere forma, aridae nec dolentes: sola mole molestae. Interdum per omnem vitam persistunt. Quae denique rimas occupant, *rhagades* dictae, callosas habent oras et saniem fundunt venenatam.

c. *Bubones.*

§. 644.

Ulcera pariter ac blennorrhoeam excipit tumor glandularum lymphaticarum, quae supra tendinem musculi obliqui externi sitae proxime virus e superficie glandis urethraeque accipiunt, unde interdum manifestus transitus veneni e parte adfecta per vasa lymphatica in glandulas vicinas conspicitur. Locus is circumscriptus optime indicat naturam syphiliticam: bubones enim pestilentes inferiorem sedem habent (§. 121), scrofulosi multo plures glandulas simul invadunt (§. 624).

Est autem tumor initio tensus, cutis colore haud mutato, dein magis tenditur et dolet, crure simul stupido. Desidere solet, cum blennorrhoea aut ulcera, quae excitarant, consanescunt. Tum omnino, ope reagentium vasorum sanguiferorum, actio veneni in vasa lymphatica obtunditur et amovetur (§. 636).

Cum vero dolores pulsantes in glandulis oriuntur, tumore ad suppurationem spectante, metus est, in syphilidem universalem abiturum esse.

C. Perfecta syphilis.

§. 645.

Sic vocatur syphilis, cum, vulgo praegressis his prodromis, remotas partes corripit. Solet autem, maxime post bubones suppuratos aut post ulcera sequi primum febris lenta, horroribus et calore volarum arido, atque gravedo cum lippitudine, ardore faucium et deglutitione impedita, vocis demum raucitate eaque mutatione, quae palatum esse tumidum choanasque adfectas docet. Inspectae partes ostendunt tumorem rubicundum tonsillarum, uvulae palatique: vel maculae proveniunt, quae mox ulcerantur oris callosis fundoque lardaceo. Inchoant hae maculae a faucium introitu, anterius proserpentes, cum maculae scorbuticae soleant primum gingivas occupare, oras habeant flaccidas et livescentes, carnes etiam facile gignant luxuriantes. Continuo ulcera haec exedunt partes, quae juxta sunt, ipsaque ossa, unde *ozaena venerea* oritur, si

conchae narium adficiuntur: doloribus ossium nocturnis ingravescentibus, effluente sanie foetida, voceque et loquela valde impeditis. Habent haec vitia id singulare, ut diuturna sint, facileque alternent cum aliis adfectibus, praesertim doloribus osteocopis et ophthalmiis.

Dolores ossium noctu praeprimis aegrum torquent, somnum omnem adimunt, sensum gignunt quasi ossa urerentur aut exederentur: occupant frontem, sternum membrorumque ossa. Transeunt in exostoses, quae tumores periostii sunt inflammatorii, aut gummata, tumores molliusculos, aut cariem ipsam, quae saniem fundit pravissimam, atrisque punctulis mixtam.

Ophthalmia syphilitica jam supra posita fuit (§. 204). Itaque indicanda sunt exanthemata maculaeque cutaneae, cum quibus alternare dolores osteocopos et cariem ipsam hactenus meminimus, ut exostosis inchoans mox subsidat, nec in cariem vertatur, si maculae eae efflorescunt: subsidentibus vero his iterum surgunt. Maculae eae sunt luridae vel lividae, albidae etiam, monetae mediocris ambitu, intra cutim haerentes, haud dolentes, nec cuti sensum adimentes, in sterno primum, dein quoque in facie proveniunt: cuticula plerumque secedit aut crustulis desquamatur, sanie stillante. Per menses nonnunquam integros haud mutatae supersunt.

Macularum loco scabiosae pustulae surgunt, maxime in facie, latice acri farctae, tum arescentes macula rubra superstite. Cum inter tempora fron-

tem, vittae ad instar, occupant, *coronae venereae* nomine insigniuntur, frequenter cum doloribus frontis osteocopis et carie ejus ossis alternantes. Solet autem et haec scabies in ulcera abire, oris callosis et lardaceo fundo conspicua.

Tandem hectica febris accedit, maciem et foeditatem totius corporis adferens. Faciei color ante naturalis, interdum floridior naturali, jam pallere incipit, cuti rugosa, furfuribus et squamulis obtecta: oculi cavantur, nasus gracilescit, ossa jugalia protuberant; capilli defluunt. Torquetur aeger continuis doloribus nocturnis, carie et animi ea desponsione ut vitae taedeat. Sanguinis fluxus alvus colliquescens et depastio partium mollium ossiumque consumere vires et precipitare aegrum solent.

D. Varietates et complicationes.

§. 646.

Cum jam tetigerimus (§. 632) syphilidis varias formas, e climatis differentiis ortas, superest eas perstringamus, quae ab hominum discrimine et curationis ratione pendent.

Infantum recens natorum aegritudo alia est ac adultorum. Maciei confecti infantes saepe in lucem eduntur, cute corrugata, maculis lividis obsita. Oculi fracti videntur, cornea turbida: palpebrae tumidae: vasa adnatae varicosa. Maculae eae, quas supra descripsi, oris ambitum, linguam, palatum obsident, deglutitioni obsunt. Tota corporis superficies ma-

culis, rhagadibus, pustulis, verrucis occupatur, quae foedam saniem stillantes corpus conficiunt (*Mahon*: in *Samml für prakt. aerzte*, *XIX.* 400).

Alia est varietas, quae inepto hydrargyri usu producitur. Accedere solet salivatio, ulcera saniem limpidam vel cruentam profundunt: dentes vacillant: dolores augentur post minimam hydrargyri portionem; citissime aegri consumuntur.

Cum scorbuto complicatur lues venerea tum in agro Fluminali (*Heusteloup*: in *Salzb. med. zeit.* 1812. *IV.* 90) tum in Scotia, ubi *sibbens* morbus inde nascitur (*Hill's*: *chir. beob.* 153) tum in Norvegia, ubi leprae species, *radesyge* incolis dicta, inde exsistit (*Mangor om radesygen*, 25). Ossa plerumque et partes genitales minus adficiuntur in hac complicatione, Virium jactura est ab initio insignis; gingivae tumescunt et sanguinem profundunt: ulcera undique proveniunt dolentissima, carnibus moriformibus cruentis consita.

Arthritis quoque accedens memorabilem constituit complicationem, doloribus ad articulos circumscriptis, per circuitus redeuntibus.

CAP. IX.

DE SCORBUTO.

§. 647.

Cachexia, polaribus litoribus familiaris et nautis, si longe per altum mare cursum continuant infesta, quae lassitudine et virium jactura, gingivarum tumore, rigore genuum, lividis maculis et ulceri-

bus flaccidis fungosis perficitur, hoc nomine venit. Veteribus incognita fuit, cum μεγάλοι σπλῆνες Hippocraticae scholae longe differant (§. 313). Ab eo inde tempore, cum navigationes longae, acu magnetica adhibita, instituerentur, vulgaris, a mediterraneis regionibus fere aliena est, ni forte in urbibus obsessis, solo salibus marinis scatente, similes obveniant conditiones, quae morbo occasionem praebere possunt. Facillime commutatur cum morbo maculoso haemorrhagico aut ipsa putrida febre, dum inchoat: melius dignoscitur, cum jam inveteravit.

§. 648. *Continuatio.*

Initia vero morbi haec sunt. Insuetam lassitudinem conqueritur aeger et pigritiam; spirituum difficultatem, utique cum corpus exercitat aut aëra frigidum spirat; animi marcorem et desponsionem. Tum accedit ponderis sensus et rigor genuum, cute tensa et livida, aut anfractibus serpentinis squamarum et furfurum consita, pedibus stupentibus. Facies pallet, livet, halone circa oculos viridi-flavescente. Cum inviti corpus exercitant, facies tota rubescit, oculis prominentibus et quasi inflammatis. Oculorum caligo et amblyopia; cupiditas ciborum amissa, plerumque acidorum herbarumque recentium aucta, halitu oris ingrato, aegrum exercent. Tum gingivae tument, flaccescunt, sanguinem profundunt, dum manduntur cibi aut gingivae tanguntur. Maculae proveniunt rubicundae aut lividae ad suras, lentium, monetarum aut volarum etiam mole, ambitu

lurido aut nigrescente. eae per crura et ipsum abdomen proserpunt, integra facie Ubi in calidis climatibus scorbutus grassatur, desunt maculae eorum loco tumentibus membris hactenus ut digiti impressi vestigium diu supersit. Tubercula etiam plerumque cutim obsident, in quorum apice vesicula est: desidentibus postea succedunt maculae purpurascentes. Sanguis e vena missus ater est et spissus, cuticula viridescente tectus, sub quo seri copia limpidi adest.

§. 649. *Continuatio.*

Post decem circiter dies aut aliquot hebdomadas rheumatici urgent dolores, tensiones etiam in abdomine, quasi constringatur: deinde ad genua magis sedent, ut fungum etiam articulorum producant Rigor is prius obvenire quam gingivarum adfectiones in calidis, sequi eas in frigidis regionibus solet. Simul surae sanguinem variis locis effusum ostendunt: ulcerum etiam oris lividis, flaccidis, cruentis aut oedematosis et carnibus spongiosis sanguinem pravum saniemque flavam fundentibus. Si quid laesum fuerit, id facillime ulceratur.

Accedit spirituum summa difficultas, cum doloribus pectoris pungentibus, pulsibus torpidis et debilibus, urina turbida. Colici dolores saepius vehementer torquent aegrum, colicae pictaviensi similes, membrorum etiam resolutione. Tum sanguinis rejectio per tussim et vomitum vires magis infringere corpusque consumere solet. Gingivae non-

nunquam sphacelum concipiunt, cariem dentes, sanguine effuso facillime in grumos abeunte Cicatrices plagarum diutius sanatarum recrudescunt, fracta ossa, quae e longo tempore jam coaluerunt, iterum discedunt; sanescunt tamen, dum idonea adversus scorbutum praesidia adhibentur.

Nonnunquam singulas partes duntaxat scorbutus adfligit: subito saepe nascuntur ulcera pedum in hominibus, qui alieni a scorbuto videntur.

Memorabile etiam est, immunes esse scorbuticos e febribus remittentibus calidorum climatum, nec, qui his conflictantur, scorbuto obnoxios esse.

§. 650. *Continuatio.*

Ad extrema ventum est, cum membra algent et nigrescunt, sanguine continuo undique effuso, pulsu magis magisque desidente, spiritus difficultate summa, ut aërem etiam liberum ferre nequeant. Tum nervorum resolutiones et sphacelus mortem solent annunciare.

Cadavera secta sanguinis dissolutionem et depravationem universalem ostendunt: substantia viridescens, polyporum forma, e truncis magnorum vasorum, cordi vicinorum, extrahi potest. Pulmones farcti ac hepatis more duri, gelatina aut sero spissescente obducti, vel cum pleura coaliti sunt. Cor musculique cuncti flaccidi, pallidi sunt, spatiis quae intersunt, seri copiam continentibus. Serosa colluvies quoque in cavitatibus corporis obvia est.

§. 651. *Continuatio.*

Ut caussas hujus morbi enumeremus, primum est aëris indoles consideranda. Quodsi exploratum habemus, nebulas algidas boreales huic aegritudini maxime favere, aërem etiam clausum tabulatorum navis; deserenda est eorum opinio, qui aërem oxygene ditiorem, qualis marinus sit, in culpa esse arbitrantur. Incolae insularum graecarum a pristinis inde temporibus aërem marinum inhalarunt, neque unquam scorbuto conflictati sunt. Sed humida aëris et frigida indoles ita nocet, ut minus sanguis oxydari possit. Ita etiam pravitas aëris agit: cum ignavissimus quisque nautarum, qui semper in tabulatis degit, multo citius et gravius scorbuto adfligitur, quam sedulus et laboriosus, qui maximam temporis partem in navigiorum tectis degit.

Altera caussa in victu quaerenda est. Vulgatissimum est, recentium nutrimentorum defectum accusandum esse, ubi scorbutus dominatur. Nec salitae carnes propter salis copiam, quam continent, nocere videntur, sed quia sale nutrientes carnium partes consumuntur. Itaque nutrimentorum defectus recentium et infirmare vires et sanguinis depravationi favere propter oxygenis defectum debet. Simili modo et ignavia et animi perturbationes deprimentes agere solent.

CAP. X.

DE LEPRA.

§. 652.

Cachexia contagiosa, quae vel maculis sensu destitutis vel herpetibus urentibus incipit, perficitur autem ulceribus malignis vel foeda cutis per squamas deturpatione vel tuberibus etiam membrorum durissimis sensuque omni carentibus, *lepra* vocatur. Contagii naturam ignoramus: humores tamen, qui illud vehunt, peculiarem hircinum odorem exhalant. Singularis corruptio humorum partiumque solidarum, quae hic contingit, calidis climatibus familiaris: in zonis temperatis duntaxat rarius occurrit, ubi caussas peculiares, stases abdominales praesertim et diutinam nutritionis labem supponit. Cum orarum maritimarum incolas praecipue corripiat, piscium esus frequenter accusatus est, de quo tamen ambigendum est.

A. Prodromi leprae.

§. 653.

Lepra alba et nodosa, quas infra uberius distincturi sumus, annunciantur maculis vel albis vel bruneis, sensu destitutis, quae vel ad partes genitales, vel in fronte aut manibus proveniunt, intra cutim demersae videntur et pilorum colorem mutant. Per plures annos morantur, incolumi corpore, donec varia accedant symptomata gastrica et

nervosa; sapor amarus, vomitus, capitis dolores, vertigo, desidia et moestitia. Membranae cutis mucosae, nec corio substrato, infestum est vitium, *vitiligo* Romanis, ἀλφὸς Graecis (in λευκὴν s. album et φακὸν, seu lenticulam bruncam diducta) *Bahereth* et *Bohar* Mosi, Arabibus *Barasch*, et Latinobarbaris *Morphea* dicta.

§. 654. *Continuatio.*

Lepram squamosam seu graecam antecedunt *impetigines* seu *pityriasis*, quae deturpant cutim, solutam in furfures aut squamas crassas, quasi corneas, magnopere rodentes, urentes et prurientes. *Alopeciae* forma nonnunquam oritur haec impetigo, dum ab occipite inde capilli defluunt, finduntur et gracilescunt, fusco cutis colore et rodentibus magnopere doloribus. *Ophiasis* dicebatur veteribus alopecia, dum serpentino modo proserpens, bulbos capillorum et epidermidem erodcret. Cum haec diutius persistunt, ortae, dum pubescerent, quovis vere recurrentes, glandulis simul tumidis, suspicio est, leprae prodromos esse. Totam cutim devastare consuescunt eae impetigines, ut continuo cutis magnis squamis subcorneis decedat, sudoribus profusis hircinum odorem exhalantibus.

§. 655. *Continuatio.*

Nec tamen necessaria leprae perfectae successio, etiamsi suspecta sint haec prodroma. Salubres ipsae maculae a Mosis inde temporibus observatae fuerunt, si, quae sensu destitutae ante essent,

prurire coeperunt, aut in exanthema rodens abire, si circumscriptos limites adipiscuntur, colore saturiori, si menstruus fluxus aut haemorrhoïdes, ante interceptae, restituuntur. Impetigines etiam, si humectae sunt et latius proserpunt, ex urina desidente nubecula critica, spes est, criticas esse. Quo quidem praecepto, observationibus suffulto, certissime refutatur Schnurreri adsertum, nihil critici esse in lepra.

Quodsi vero vel maculis vel impetiginibus praegressis succedunt varia partium verendarum symptomata: blennorrhoea, ulcera, coïtus desiderium immane, glandularum inguinalium tumores, metus est, in lepram perfectam abitura esse. Augetur metus cum febris accedit vel tertiana vel quartana, aut horripilationes crebrae, *μυρμηκισμὸς*, lassitudo artuum, oculorum caligines, vocis raucitas, vertigo et varia nervosi systematis pathemata, dum animus marcet, alvus obstipatur, et urina turbida fit.

B. Lepra perfecta.

§. 656.

Febris autem lepram ipsam praecedens, magni momenti est. Intermittere semper, atque vel tertianarium typum servare, dum lepra squamosa imminet, vel quartanarium, si nodosa in promptu est, insolitam etiam lassitudinem, animi desponsionem, suspicionem perpetuas et meticulositatem gignere consuescit. Ad haec pulsus exiles, debiles

et chordae ad instar tensi; urina turbida et jumentaria aut lateritia; sanguis e vena missus ater crassusque ac granulis nonnunquam albidis, quae lymphae coagulabilis vitium sistunt, mixtus est. Aeger praeter brutale coïtus desiderium, inquietissime transigit noctes, somniis turbulentis expavescit, spirationibus anxiis magnopere impeditis et spasmo creberrimo interceptis conflictatur. Halitus oris et sudoris odor hircini aliquid habent.

Tum habitus, sive haec sequatur sive illa leprae forma, sequenti modo deturpatur. Facies pallet ac intumescit: palpebrae tumoribus aquosis aut duris turgent, oculi lippiunt continuo, opaca et turbida cornea. Nasus gracilescit, intus adeo arescit, ut nihil emungi possit. Sternutatio adsidua maxime in limine leprae squamosae observatur. Venae colli, frontis et quae sub lingua sunt, varicibus intumescunt. Capilli decolorantur, gracilescunt, finduntur et defluunt. Vox semper rauca est et debilis. Haec symptomata quamvis praecedunt leprae formam, recurrit etiam, quoties vere autumnove recurrit aegritudo.

§. 657. *Continuatio.*

Ternae vero sunt leprae perfectae formae, quarum prima, *mosaica* vel *alba*, nostris temporibus rarissima est, ex alpho alba orta, si praesertim sensus omnis expers est, nullae impetigines accedunt, sed ipsa macula, latius proserpens, nivem refert colore, et oedemata candida omnium membrorum, quae lympha coagulata caussatur, produ-

cit. Interdum rhagades existunt in cute et eschaerae albae, quibus cutis secedit. Hydropibus demum et sensuum omnium inertia consumuntur aegri.

§. 658. *Continuatio.*

Multo frequentior, et a me ipso et a Reuschio nuperrime (*Hufelands*: journ 1810 *Jan.*) observata forma est *squamosa* seu *graeca*, quod in Graecia popularis est. Nascitur autem post impetigines rodentes, aut alopeciam et ophiasin, dum febris tertiana accessit. Cutis desquamatur frustis subcorneis, quae mole ungues digitorum referunt, interpositis furfuribus, et cute, quae infra est, rubermima, inflammata et, noctu praesertim, ardentissima. Rhagades adjunguntur et ulcera, quibus insident maculae albae lardaceae. Ungues incrassantur: pili finduntur et defluunt: odore perspirationis pariter hircino: glandulis magnopere tumentibus et obdurescentibus. Spirituum difficultas strangulationem minatur, tussi sociata spastica et vehementissima, quae a quolibet aëris liberi, frigidiusculi accessu exasperatur. Cupiditas ciborum immanis est, sitis ingens, vox debilis et rauca: tandem animi deliquia accedunt, cum nervorum distensionibus alterna, quae praecipitare aegrum consuescunt.

Interdum ita occurrit haec forma, maxime in oriente, ut dolores membrorum rheumaticos et ponderis sensum anima etiam desponsionem sequantur pustulae lividae, apice rugufoso et acervis

majoribus coagmentatae. Gluteos frequentissime musculos obsident, poplitem quoque et faciem, rarius pectus et abdomen. Quibus arescentibus escharae nigriusculae supersunt, sub quibus promanat latex flavicundus, foetidus. Tum spirationes impediuntur, pulsus exilis fit, cutis rugosa et flavida. Sensus cutis deletur: exanthema nec pruritum nec sensum alium ciet: muco narium et lacrimis interea adeo acribus, ut malae exedantur. Tandem pustulae abeunt in ulcera rodentia, partibus quae juxta sunt, tuberculosis et lardum referentibus, quibus demum artus integri destruuntur.

§. 659. *Continuatio.*

Lepra nodosa seu *Elephantiasis*, tertia leprae forma vel ad secundam, quam modo posui, vel ad praegressam alphum fuscam seu morpheam accedit. Febris autem ante accenditur quartana, animi desponsionem et summam tristitiam adferens, glandulis interea obdurescentibus. Faciei color fuscus fit aut luridus, utri similis inflatio adest, palpebris inprimis turgidis, tubercula habentibus, inversis: oculo angulis destituto, globoso, aut distracto et torvo, adsiduo lippiente, caligante etiam. Ad aures, malas, labra, mentum, ad omnem denique corporis ambitum tubera sistunt, nucum juglandium aut ovorum etiam anserinorum mole, quibus et rhagadibus labrorum cruentis facies horridior morte ipsa redditur.

Huic turpitudini accedit melancholia vel ve-

rania, quae brutis similes facit homines: sensibus omnibus adeo obtusis, ut et infra bruta demergi videantur. Vox debilis, loquela blaesa aut penitus abolita: sensus totius cutis adeo deletus est, ut tubera incidi possint absque ullo sensu. Cupiditas ciborum et coïtus effrenata est: macies tandem accedit, qua cutis adeo adficitur, ut in plicas contrahi possit.

In praeceps datur aeger, cum tubera ulcerantur: sunt autem maxime maligna haec ulcera, oris duris et callosis superficie fungosa aut carnibus spongiosis, moriformibus obsita. Quin venereorum nonnunquam, ubi partes muci secretioni dicatae sunt faciem induere ulcera Pearsonius vidit, solo sensus acuti defectu differentia. Cutis, quae juxta est rumpitur, effluente sanie cadaverosa, cruenta, orisque rhagadum callosis. Tandem ossium vitia et caries sociantur, quibus tota membra vastantur.

Ad Rhodani ostia frequens est varietas hujus species, quae inchoat rigore tendinis Achillei, tumore cruris haud oedematoso, venarum turgore: tum sequuntur tubercula et plicae per totum fere corpus. Quae omnia per plures annos morantur, incolumibus functionibus: tum vero rauca fit vox, halitus oris teter, gingivae putrescunt, dentes corrumpuntur, ulceribus malignis membra vastantur. Hereditarium esse hunc morbum, nec contagiosum, Joannisii observatione constat.

§. 660. *Continuatio.*

Cadavera post mortem secta telam cellularem habent ubique spissam et cartilaginum ad instar

duram, glandulas scirrhosas, musculos indumento lardaceo vestitos: idem tegmen tam firmiter adhaeret ossibus, ut separari facilius fibrae ossium quam lardaceum illud tegmen possint. Nullum ideo periostium reperitur: tota ossium compages spongiosa est, mollis, carieque exesa. Nullus medullae tubus, sed farctum os est et uniforme. Viscera omnia, maxime hepar et splen, tuberculis et calculis obsidentur, pariter etiam mesenterium et pancreas.

§. 661. *Continuatio.*

Non raro elephantiasis topica est, aut in pede brachiove alterutro terminata. Febre quartana praegressa intumescunt glandulae axillares vel inguinales: vasa lymphatica partis rubescunt: accedente nonnunquam hydrocele vel testis alterutrius duritie. Tum membrum tumescit, durescitque ita, ut nullam digiti impressi vestigium supersit: nec sensus ullus in tumore est, nec motus articulorum qui magnopere turgent, tendinibus simul contractis et rigentibus Ungues spissescunt, finduntur et avium rapacium angulis similes fiunt Integrum interea est reliquum corpus, atque per totam vitam tolerabilis est valetudo, utique dum venae membri varicosae fiunt, quibus durities minuitur.

C. Varietates leprae et complicationes.

§. 662.

a. *Leucaethiopum morbus.*

Alphum album universalem cum Swediauero nuncupare licet *morbum leucaethiopum*, quibus incolae torridissimarum et humidissimarum regionum, praesertim isthmi darici, litorum Africae occidentalium et insularum australium conflictantur. Corii totius pigmentum, ex hydrogene et carbonico conflatum, deest, una cum uveae pigmento (*Phys.* §. 262). Hinc totus corporis ambitus pallescit, tumidus est et rugulosus. Crines caprinis similes aut ambusti apparent: in tota cute plumulae candidae erumpunt aut furfures. Simul nyctalopia adest, pigmento uveae deficiente, quod radiorum lucis vehementiam mitigat, unde roseum uvea colorem adipiscitur: continuo igitur nictitant palpebrae, quae et inversae et curvatae esse solent: ciliis er superciliis pariter candidis ac reliqui crines: oscillat continuo pupilla. Haec est vera leprae albae varietas, etiamsi pigmenti defectus in uvea et nyctalopia Germaniae incolas quandoque corripiant.

§. 663.

b. *Lepra rubra vel cayennensis.*

Medio aevo jam occurrit varietas leprae, *alopecia* Vitali de Furno dicta, quae magnas cie-

ret pustulas rubras aut vesicas in facie, gingivarum tumore cruento ac ulceribus malignis accedentibus, quae praeter cutim etiam carnes et ossa exederent. Similes aegritudines Bayonius Cayennae, Forsterus uterque in Insulis amicorum, ac Pallas inter Calmuccos observarunt. Maculae rubrae flavis mixtae, finibus circumscriptis, sensu destitutae in facie, ad aures et collum nascuntur: quae mox latius proserpunt, desquamantur et cutim furfuraceo pulvere implent. Tum incrassatur cutis, maxime facici: tubercula crassa deformia ad aures et labia oriuntur, pariter tetra aspectu ac in elephantiasi. Accedunt impetigines per totum corpus in ulcera foeda, spongiosa abeuntes, quibus etiam ossa exeduntur. Complicatio forte leprae cum scorbuto subest: in calidis regionibus se tali modo manifestans.

§. 664.

c. *Lepra norvegica e taurica.*

Quodsi vero in frigidis et nebulosis oris Norvegiae, Insularum orcadum, Islandiae, Lapponiaeque ad lepram scorbutus accedit, faventibus inprimis variis victus vitiis; inchoare solet doloribus rheumaticis symptomatibusque catarrhalibus, cum gravedine, capitis doloribus et temulentia, appetentiae defectu et tumoribus uvulae, palati tonsillarumque. Ad haec peregrinus faciei rubor, maculaeque ruberrimae ad nasum et malas per plures menses continuant, donec in impetigines abeant, squamas albidas aut furfures propellentes. Maculae

dein in facie fuscae aut lividae oriuntur, sensu destitutae, in ulcera pessima abeuntes. Tubera quoque cuprea, pisorum mole per corporis ambitum nascuntur, sensu privata, laticem cruentum fundentia ac demum in mala ulcera abitura. Quae dum faciem occupant, nobilissimas vastant partes; oris erosis, duris et sordidis aut impetiginosis, venis etiam, quae juxta sunt, valde turgentibus. Differunt ab iis, quae scorbutus ciet, quod duriores habent oras; a leprosis, quod carent escharis crassis, quibus haec teguntur.

In taurica chersoneso vulgare est malum, leprae norvegicae adfine, quod vero differt crustis crassis ulcerum, quibus norvegica forma caret: differt etiam, quod tot partes haud destruere soleat: immunes enim volae manuum, axillae, glutei musculi, poples et capillata capitis pars sunt.

§. 665.

d. *Lepra aleppica et asturica.*

Omnibus fere, qui Aleppum habitant aut ad eam urbem devertunt, familiaris est nota seu pustula rubra, in facie nata, parum dolens sed pruriens, et in unguis molem crescens. Post plures menses crusta oritur in impetigine farinosa, quae tandem, sine ulceratione, secedit, cicatrice foeda superstite. Nulla interea sanitati noxa inde adfertur: et eos infestat haec nota qui jamdiu Aleppum deseruerunt. Aqua ejus urbis accusatur, sed ne-

scio quanam ratione (*Schultz. Leitungen des Höchsten*, V. 230. *Ferriere-Sauveeboeuf. Reisen in die Türkei*, 511).

Similis nota incolas convallium Cantabricae et Asturiae quovis fere vere corripit, maculam similem relinquens: sed dorso soli manuum pedumve communis. Ad hanc accedit impetigo, vinculi collaris forma, quod oedemata brachiorum adfert tantamque virium jacturam, ut erecti stare nequeant, sed continuo contremiscant aegri. Tum etiam vesiculae, aphtharum more, oris ambitum et linguam occupant: noctu vero ardor per totum corpus et insomnia; denique melancholia, vesania, fatuitas, sensuum caligo ac sopor, quibus postremo consumitur corpus (*Thierry. Recueil d'observ. de médec. II.* 337.

§. 666.

e. *Lepra mediolanensis.*

Pellagrae nomine grassatur per plebem insubricam in agro mediolanensi, ticinensi et tridentino foeda lues, parcens iis regionibus, ubi febres intermittentes regnant. Dicitur inopiae plebis, pravo victui et stasibus abdominalibus originem debere: hereditate etiam transire, sed minime contagio.

Praecedunt symptomata diuturnae atoniae viscerum abdominalium; colici dolores, lassitudo, desidia, stupor, animi marcor, vertigo et pulsus lenti debilesque. Plurium mensium spatio interpo-

sito, plerumque vere, dum apricatione incaluit homo, nascuntur dolor tensivus et ardor in dorso manuum pedumve aut in pectore, qua vestibus nudum est. Rubor existit et tumor, erysipelati non dissimilis. Ad haec dolores capitis pungentes, formicatio etiam, fulguris ad instar spinam dorsi percurrens. Pedes doloribus rheumaticis cruciati ita infirmantur, ut ingressus impediatur, continuoque vacillet: nervorum distensiones quoque cum resolutionibus membrorum alternant. Mirabilis est odor perspirabilis cutanei et sudorum: aemulatur bombycum textum: saporem queruntur salsum, oculorum caliginem, dittopiam, marmarygas, tinnitum aurium.

§. 667. *Continuatio.*

Quodsi vero non apricaretur homo, vel protinus ut prima sentiret, symptomata, umbram domesticam quaereret, peculiari sua forma haud provenit exanthema, quod etiam salubre non est, cum symptomata nervosa etiam ingravescant post eruptionem. Erysipelas jam magis latescit, finibus haud circumscriptis: vesiculae nascuntur sanie farctae: cutis fissa rimas sistit in manibus vel articulis: tum demum desquamatur (*si pela* Italis, unde *pellagrae* barbarum nomen) furfuribus vel exiguis fragmentis. Cutis interea iterum sanescit ita, ut versus autumnum integra sit. Vere autem sequenti recrudescit: quoque crebrius revertitur, eo magis corpus conficere viresque extenuare solet. Ardor partium adfectarum noctu adeo exa-

speratur, ut quietem omnem adimat: accedit vitae taedium et insuperabilis animi abjectio. Aliis nunquam insidiantur: sibi solis nocituri, ni continuo in speculis sis. In aquam et puteos se conjicere student, remanente simul salacitate brutali, qualis in leprosis vulgaris est. Tandem vel febribus nervosis vel phthisi, hydrope et marasmo interimuntur.

Cadaveribus sectis viscerum abdominalium inflammationes, pulmonum durities coriacea, cordis flacciditas: vasorum lymphaticorum encephalo providentium turgor, ventriculorum colluvies aquosa aut meningum inflammationes in conspectum venerunt.

CAP. XI.

DE TRICHOMATE.

§. 668.

Dicitur *trichoma* seu *plica polonica* singularis cachexia, quae capillitii contortuplicatione inextricabili perficitur. Ad ripas Vistulae Borysthenisque vulgaris, et in Dacia et apud Insubres occurrere fertur, quinetiam in Germaniae regionibus udis observata est. Contagio propagari exploratum habemus, maxime vittis aut pileis aliisque capitis velamentis, quibus usus est trichomaticus: coïtu etiam et lactatione. Qualem vero originem habeat, merito ambigitur: Wolframii Larreyique opinio, syphilidis formam esse, aliena a veritate est, quoniam lues ea Poloniam etiam infestat suetis suis symptomatibus stipata. Ceterum eamdem opinio-

nem jam ante ducentos annos proposuerunt Luc. Laetius (*De sarmatica lue.* Ferrar. 1600) et Eustach. Rudius (*De morbo gallico.* Venet. 1604) refutati ab Andr. Posthumo (*Septem morborum ad Sarmatas dialogus.* Vient. 160.). Immundities certe plebis sarmaticae et mongolicae sufficere videtur ad pravitatem eam humoris, quo capilli nutriuntur, peculiarem producendam, cum similis caussa in aliis regionibus, maxime in Saxonia inferiore (*Vogler*: in *Hufelands* journ. *XI.*), similem effectum caussetur.

§. 669. *Continuatio.*

Plerumque morbus in ambitu prius non provenit, quam singularia praecesserint symptomata universi corporis adfecti. Per plures hebdomadas aut menses lassitudinem queruntur, animi marcorem, somnum inquietum, somnia turbulenta, dolores artuum rheumaticos, cupiditatem ciborum perversam, ut aveant potissimum sorbitiones spirituosas. Gravissimi sunt capitis dolores, praesertim in orbita et superciliis: adsidua fere vertigo, oculorum caligo, tinnitus aurium: frequentes ophthalmiae, in suffusionem quoque abiturae: crebrae palpitationes cordis, cardialgiae, colici dolores cum alvo durissima et membrorum resolutionibus. Mulieres a menstruo sanguinis cursu destituuntur: viri saepius symptomata haemorrhoïdalia conqueruntur. Ad haec hypochondriaci aut hysterici adfectus, cum gulae spasmis et ipsa hygrophobia.

§. 670. *Continuatio.*

Quodsi capillitium non derasum est aut non defluxit, vere plerumque perfici morbus incipit ita ut formicarum repentium, dolorum pungentium et horripilationum sensus in fronte et capite toto oriatur: tum sudores viscidi aut oleosi et foetidi per caput et ceruminis insolita copia ex auribus profunduntur. Bulbi capillorum tument: ipsi pili spissescunt, pinguedine obsidentur atque tam arcte conglutinantur, ut, pexi sint autem impexi, calamistris ornati, cincinnati vel coma longa defluentes, semper eamdem formam servent. Digitos, quibus tanguntur, imbuunt pinguedine, foetore atque nonnunquam pruritum et pungentes dolores cient. Crescunt interea implexi et complicati capilli, neque queritur aeger quidquam praegressorum adfectuum, postquam in capillos intravit id vitium. Quodsi vero plica haec deraditur; aut praeciditur, metastases periculosae, inflammationes viscerum, amaurosis, epilepsia, apoplexia et alii morbi nervosi sequi consuescunt. Potest tamen impune praecidi plica, dummodo exspectatur novus capillorum proventus, sub plica accidens, qui si digitis magis magisque tollitur, praeciditur plica citra noxam.

Cum non sufficiunt crines, aut cum virium jactura adest, febris hectica oritur, ulceribus et carie syphilidem aemulantibus stipata. Cum deraso capite vires tamen sufficiunt, intrat virus un-

gues, qui miro modo spissescunt, finduntur, ulceribus demum destruuntur: solent quoque sudores glutinosi saluti conferre.

CAP. XII.

DE SYCOSI ET THYMIOSI.

§. 671.

Sycosin (*Yaws* morbum, *Safath* Arabum, variolam magnam medii aevi) vocamus foedum morbum contagiosum, Africae Asiaeque tropicae familiarem, qui post dolores osteocopos pustulis variolas aemulantibus collumque maxime obsidentibus perficitur.

Thymiosin vero (*Pians*, *Framboesiam* Sauvagesii) appellamus vitium pariter contagiosum, quod post pruriginem et rosionem cutis impetiginibus et ulceribus perficitur, quae carnes habent luxuriantes moriformes partibus verendis praeprimis familiares. Aethiopibus pariter infestus, originem habet morbus in ora occidentali Guineae, utique in provincia Sanguin, unde in Indiam occidentalem servi aethiopes adferunt. Itaque, quod negarunt nonnulli, discrimen est constans inter utrumque morbum: tum leprae tum syphilidi uterque finitimus est, ut formam pristinam forte illius luis in hoc morbo quaerere liceat (§. 632). Coïtu enim uterque morbus propagatur, sub utriusque specie etiamnum variis regionibus lues venerea occurrit, eademque artis praesidia, utique hydrargyrum, ad sanationem expediunt. Differt

tamen sycosis a syphilide, quod natura sanescat, quod partes genitales minus adficiat, quod infantibus praecipue infesta sit. Thymiosis differt dolorum osteocoporum defectu et ulceribus scorbutica potius aemulantibus quam syphilitica.

§. 672. *Continuatio.*

Itaque sycosis nunciatur similibus passionibus, quae et leprae quasdam species praegrediuntur. Febris hectica hominem exercet, pulsibus tardis, jactura virium et doloribus osteocopis, somniis etiam terrificis. Ad haec cupiditas ciborum perversa, ut nauseosa appetat; animi desponsio et melancholia, quae in taedium vitae mutatur. Interea caput tumet et deformatur, pustulis variolas referentibus ad collum existentibus, quae furfuribus tectae mox latius proserpunt. Lente progreditur eruptio: qua perfecta symptomata nervosa praegressa quidem desinunt, persistentibus doloribus osteocopis, in cariem terminatis. Quodsi pustulae per aliquod tempus adfuerunt, pili qui juxta sunt, albescunt; ipsae pustulae sanie spissa tenaci implentur, quae vicinas partes devastat et corrosis venis sanguinis profusiones ciet. Ipsae vero nec graviores excitant dolores, nec sensu omni destitutae sunt.

Ulcera ex his nata oras habent furfuraceas, saniemque profundunt tenacem albidam. Ad articulos grandescunt, atque rigorem aut ancylosin efficiunt. In plantis pedum nascuntur ulcera callosa, carnibus obsita et varicosis venis

cincta: quibus ingressus penitus impeditur. Ulcerum eorum progressus febrim hecticam attrahit, macie, alvo colliquescente et hydropibus corpus conficientem: unde post mortem Schillingius viscerum suppurationes observavit. Nonnunquam in lepram impetiginosam abire is morbus visus est.

§. 673. *Continuatio.*

Thymiosin contra praecedunt prurigines et impetigines partium verendarum, cum hectica febre. Eae impetigines etiam in axillis et inguinibus aut ad plagas et ulcera, quae ante exstiterunt, obviae sunt. Insunt iis pustulae exiguae rubicundae, dein albescentes, quae ruptae acrem laticem flavicundum, sed nequaquam pus profundunt. Ad volae ambitum panduntur ulcera, partes verendas exedunt, habent carnes perpetuo spongiosas, flavescentes, ruborum aut mororum forma, quibus accedunt rhagades oris impetiginosis, saniem acerrimam stillantes. Capilli partesque vicinae flavescere solent. Abeunt autem, maxime in pedibus, in carcinomata et cariem. Haec etiam et ossium mollities sequuntur, dum eruptio haud perficitur: alioquin salubris est: cum ossium morbi praevii tollantur.

Nunquam vero sponte sua sanescit, qui thymiosi conflictatur: accedunt tandem macies, nervorum resolutiones adfectionesque. Cum syphilide non raro complicatur.

Finis voluminis septimi.

INDEX


VOLUMINIS SEPTIMI.


LIBER III. DE EXANTHEMATIBUS.

LIB. IV. DE EXCRETIONIBUS ABNORMIBUS.

LIBER V. NERVORUM ADFECTUS.

LIBER VI. DE CACHEXIIS.





TIGHT GUTTERS